LUDOVICI ANTONII
MURATORII
OPERA OMNIA.

ANTIQUITATES ITALICAE MEDII AEVI,

SIVE

DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magistratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Foederibus, aliisque faciem & mores Italici Populi referentibus post declinationem Rom. Imp. ad Annum usque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM,

Nunc primùm ex Archivis Italiae depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS NUNQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTO.

Arretino Seminario & Collegio Ecclesiasticorum Castilionensi Episcopalibus alteram hanc editionem curantibus.

TOMUS DECIMUSTERTIUS.

ARRETII MDCCLXXVIII.

Typis MICHAELIS BELLOTTI Impress. Episcop. sub signo PETRARCAE.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO,

POTENTISSIMI
POLONIAE REGIS,
ET
ELECTORIS SAXONICI
FILIO QUARTO=GENITO.

NIhil me impediet puerilis Tua aetas, SERENISSIME PRINCEPS, quominus Tomum Quinctum *Italicarum Antiquitatum*, Tuo illustri Nomine ornatum, Celsitudini Tuae venerabundus offeram & sacrem. Quamvis enim literarum Latinarum expers assequi nondum possis, quae ad Tuam laudem spectant; ceteri tamen, quibus eadem Lingua perspecta est, atque hic Liber in manus veniet, probe intelligent, Te non incrementum annorum exspectasse, ut laude dignus appareres. Certe indo-

indolem sortitus egregiam, animum praefers disciplinae patientem, & ad omnium Virtutum experimenta jam pronum, in primis vero in Sanctissimae Religionis officiis hilarem atque solicitum. Rem notissimam memoro: Regis ac Reginae Parentum Tuorum Pietas ita in numerosam felicissimamque Prolem pervasit, ut vel tenerioris aetatis Filii omnis probitatis Magistri evaserint, & admirationi jam sit tanta in Divinis rebus Saxonicae Aulae Devotio. Hujusce benedictionis quàm particeps sit tua quoque Celsitudo, cunctis exploratum est. Ingestâ autem in animos Principum, immo & ceterorum hominum, tam sanctâ affectione, quid inde proditurum sit, facile quisque conjicit. Nimirum e Religionis fonte Virtutes reliquae effluere consueverunt, quae Deo & Hominibus nos caros efficiunt. Grande hoc ornamentum, Coronam hanc Regalibus Diadematîs pretiosiorem, Tibi, Serenissime Princeps, prae omnibus a Deo datis gratulor, atque hanc ipsam a Te potissimum eximii Parentes Tui exposcebant. Quod superest, singulare meum erga Te obsequium hujus Libri oblatione testari cupiens, ferventibus votis Deum deprecor, ut omnia Tibi fausta succedant. Utinam Tu quoque aliquando memineris, me inter Tuae splendidissimae Nobilitatis admiratores, & excelsi Nominis amatores, postremum non tenuisse locum.

CELSITUDINIS TUAE SERENISSIMAE

Mutinae XV. Kal. Jun. MDCCXLI.

Humillimus, Addictiss. & Obsequentiss. famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

DE
ADVOCATIS ECCLESIARUM,
ET
VICEDOMINIS.
DISSERTATIO
SEXAGESIMATERTIA.

DISSERTATIO

SEXAGESIMATERTIA.

IN Hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis, ac potiſſimùm in Chartis rudium Seculorum frequens eſt mentio *Advocatorum*, quos Epiſcopi, Abbates, Canonici, & ceteri Sacerdotes Eccleſiarum Rectores, ſibi ad ſuarum rerum tutelam adſciſcebant. Eos habere perſpectos ad eruditionem noſtram pertinet. Et antiquiſſima quidem eſt hujuſce dignitatis origo. Nam uti dudum oſtendit Clariſs. Thomaſſinus Tom. I. Lib. 2. Cap. 97. atque etiam eruditiſſimus Du-Cangius in Gloſſar. Latinitat. ipſo Seculo Chriſtianae Aerae Quincto, Concilium Milevitanum II. (non autem Carthaginienſe, ut idem Du-Cangius cenſet) decrevit, ut peterentur a *glorioſiſſimis Imperatoribus Defenſores Scholaſtici, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſſarum Eccleſiaſticarum*, eiſque titulo juſto liceat *ingredi Judicum ſecretaria*. Qui tunc *Defenſores* appellabantur, ſubſequutis temporibus *Advocatorum* nomen geſſere frequentius. Inde verò natam neceſſitatem Eccleſiaſticis viris adhibendi ejuſmodi cauſſarum patronos, Thomaſſinus putavit, *quod ſummopere abhorreſcerent Clerici & a litibus & Tribunalibus Judicum Saecularium*. Equidem non abnuo, ſi de primis Eccleſiae Seculis id affirmetur. Verùm ſubſequentibus ego paſſim ad Saecularium forum confluxiſſe reperio Epiſcopos, Abbates, immo & ipſas Abbatiſſas, & reliquum Clerum, ibique litibus operam dediſſe, nunquam tamen ſine interventu & ope Advocati ſui. Horum igitur opera & auxilium potiſſimùm adhibebatur, quod ii in civilium Legum ſcientia excul-

exculti essent, & forensibus tricis & contentionibus assueti: quae peritia tunc neque aderat Ecclesiasticis viris, neque sacrum eorum ministerium sat decere temporibus iis censebatur. Propterea Causidicis Laicis commendata est ea cura ac disputatio in judiciis. Accessit & altera caussa. Videlicet litigare volenti ante Judices Saeculares deferendum fuit Juramentum calumniae; atque aliis etiam de caussis jurare necesse erat: quem ritum, etsi legitimum ac justum ratio probet, attamen sacri Canones aversabantur in Clero: tum quod vellent Ecclesiae milites lenitatis ac patientiae studiosos, atque adeo ab accusando Proximo alienos; tum etiam, quod ab eis periculum perjurii, quantum possent, arcere omnino cuperent. Advocatorum ergo erat pro Clericis jusjurandum praestare. Diserte id constitutum in Lege Primâ Langobard. Henrici II. Augusti, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 178. Mirum denique in modum necessitas crevit adhibendi Laicos Advocatos, ubi sub Regibus Langobardis, Francis, ac Germanis, Singularium Certaminum iniquissimus alioquin usus tantopere invaluit, ut & ipsi Ecclesiastici viri, quum de suis juribus tuendis aut recuperandis agebatur, non rarò pugnam oblatam suscipere, & quod acrius detestandum est, etiam offerre, si licet dicere, cogebantur. Eos nemo nescit, quantum olim dedecuerit, & adhuc deceat, arma corripere, atque in certamina sanguinolenta prosilire. Itaque ad ea spectacula eligebant Clerici aut Advocatos suos, non Causidicos tantùm, sed & militares viros, aut alios, ut ajebant, *Campiones*, ac propterea Seculares, uti jam ostendi in Dissertatione XXXIX. *de Duello*. Proinde videas, temporibus barbaricis duplex fuisse munus Ecclesiarum Advocatis, nempe tum ore ac scientia legali eas tueri, tum manu ac fortitudine. Utrumque Laicis, non Clericis, commissum. In Lege VII. Pipini Regis Italiae inter Langobardic. constitutum est, ut Episcopis, in quocumque Comitatu agros & jura possiderent, liceret habere unum Advocatum, & consequenter non unus erat eis interdum Advocatus, sed plures. Tum additur: *Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, bonae opinionis, Laicus, aut Clericus, qui sacramentum pro caussa Ecclesiae, quam peregerit, deducere possit juxta qualitatem substantiae, sicut Lex eorum habet*. Ita in vulgatis editionibus, & Baluzianâ hactenus scriptum: sed vitiose, ut ostendi in Notis ad eam Legem. Quippe Codice Estensi praeeunte scribendum est: *Laicus autem, non Clericus*. Dixi, potestatem factam Episcopis constituendi sibi non unum Advocatum. Et profectò duos *sanctae Mediolanensis Ecclesiae Advocatores*, *Boniprandum* scilicet & *Aribertum* reperio in Charta Placiti, olim habiti in Urbe Novocomensi, quam ex opulenti Archivi Monachorum Sancti Ambrosii Majoris Mediolani apographo pervetusto descripsi, atque huc inferendam censui, ut simul tyrones intelligant, quae in Placitis sive Judiciis essent Advocatorum partes antiquis temporibus.

Aistul-

Aistulphus & Everardus Missi Ludovici II. Imperatoris in Placito Novocomensi sententiam proferunt pro Monasterio Mediolanensi Sancti Ambrosii contra quosdam de casis & terris positis in Vico Dugno & Gravadona, Anno 865.

D*Um ad potestatem* Domni Ludowici Imperatoris *Missis directi fuissemus nos quidem* Aistulfus Archidiaconus Capelle sacri Palatii, & Everardus Vasso, & Senescallo Domni Imperatoris, *una cum Rafredo, Rapaldo, Teutulfus, Judicibus Imperiales, qui cum ipsis ad ipsum Missaticum aderant, inter quibus per singulas denominatas Comitatoras dum venissemus nos suprascriptis Aistulfus & Everardus in Civitate Cumo, cepit ipso Everardus una cum insimul cum Rafredo, Rapaldo, resedere in judicio in atrio Ecclesiae Sancte Eufimie: & adesset ibi cum eis Apo Gastaldio Domni Imperatoris, Atto de Canimalo, Angifredus, & Aribertus de Magiorini,* Boniprandus, & Aribertus Advocatores sancte Mediolanensis Ecclesie, *Rachifret, & Angilpertus Notariis, & reliqui plures. Ibique in eorum presentia veniens Jordanne Advocato Monasterii Sancti Ambrosii foris muro Civitate Mediolanium, una cum Petrone Preposito ipsius Monasterii, seu ex alia parte Andreas, & Ermefret, qui & Fredolo germanis filii quondam Albini de Dugno inter se altergatione habente. Dicebat his ipse Jordanne Advocato ad eidem prenominatis germanis:* Mitte mihi responsum de Casis & rebus illis in Vico Dugno & Gravadona, qui pertinet ad parte Monasterii Sancti Ambrosii. *Respondebant his ipsis Andreas & Ermefretus:* Casis & rebus ipsis, quod dicitis, habemus & detinemus, pro eo quod quia Aviani nostre fuit, & nos per legem hereditatem habere debemus. *Dicebat jam nominato Jordanne:* Non est veritas, quod res ipsas Aviani vestra Johannie umquam fuisset. Sed ecce judicato hic pre manibus habeo, quomodo jam antea casis & rebus ipsis per judicatum presentiâ Angilberti Archiepiscopi, & Ursiniani Missi Domni Imperatoris victum habuit. *Relecto ipso judicato continebatur inter reliquas, quomodo Sanderarius Monachus ipsius Monasterii una cum Garimundo Avocatore suo, Casis & rebus in Dugno & Gravadona, quae fuerunt quondam Liuperti & Sichimundi, Avione istorum germanis super Maria cum jugale sua Albina genitor & genetrice istorum germanis, victe habuit ad Judices, & a Notario roboratum erat. Respondebant his ipse Andreas & Ermefretus germanis:* Nulla vobis inpetit judicato ipso, quia casis & rebus ipsis non pertinuit da parte genitrix nostre, sed Aviani nostre fuerunt, & nos ipsis casis & rebus possesse habemus per annos triginta ad proprio. *Tunc eorum Judicatum est, ut perportent, qualiter dixerunt. Iterum venerunt ambas partes ibi in ipso loco in presentia Everardi Misso Domni Imperatoris, Rafredo, Ratpaldo Judicibus & reliquorum multorum: ibique in supra scriptorum presentia conjunxerunt se Jordanne Avocato cum Andreas & Ermefret germanis, sicut inter se wadiatum habebat. Dicebat his ipse Jordanne Advocatum Monasterii Sancti Ambrosii ad jam nominatis germanis:* Da mihi ipsa testimonia, unde mihi

waida data habetis. *Et ipsi ibi professi sunt & dixerunt, quia nullo testes exinde non haberet, nec invenire potuisset, quomodo casis & rebus ipsis a parte suprascripto Monasterio contendere possent. Tunc nos suprascriptis Auditoribus talem audiremus illorum altercationem, seu & ipsorum germanis professione seu manifestatione, recte nobis, cui supra, Auditoribus paruit, & ita judicavimus, ut revestisset suprascriptis germanis de ipsis casis & rebus Jordanne Advocato a parte suprascripti Monasterii, & ipsis germanis ibi ante nos eundem Jordanne Advocato per fuste de manu de suprascriptis Casis & rebus revestivit; & in eo modo finita est hac causa. Unde qualiter acta vel deliberata est, & presentem notitia pro illorum securitate suprascriptis Missis & Auditoribus mihi Angilberti Notarius scribere admonuerunt in Anno Imperii* Domni Hludowici *Sextodecimo* quondam Chlotharii filius, *Mense Martio, Indictione Tertiadecima.*

Signum manus Everardi Misso Domni Imperatoris interfui.

Rafretus Notarius Domni Imperatoris interfuit.

Rapaldo Judice Domni Imperatoris interfui.

Signum manibus Ariberti & Bertaldi Vassali Aistulfi, qui interfuit.

Signū manus Petroni Vassallo Aistulfi interfui.

Signum manibus Atoni, Riculfi, Utoni Vassalli Everardi, qui interfuerunt.

Vide etiam infra Dissertationem LXX. *de Cleri Immunitate*, in qua Placitum evulgabo, habitum Senis Anno Christi DCCCXXXIII. Ex eo constat, *Petro Episcopo Aretino* fuisse tres Advocatos in controversia contra *Vigilium Abbatem Monasterii Sancti Antemii*; sed & ipsi Abbati duos adstitisse Advocatos. Magni autem momenti res fuit ejusmodi Advocatorum electio; quippe illustre officium vel antiquissimis temporibus fuit Ecclesiarum Advocatia, ob annexos, ut infra dicam, honores atque proventus. Eam ergo ambiebant, ad eam certatim convolabant multi. Et profectò, ut nunc etiam accidit ad reliqua fortunae munera, tam apti quàm inepti, tam boni quàm mali, quibus quisque poterat artibus, ad illam inhiabant. At Carolus Magnus, cui in omnibus cordi erat rectus rerum ordo, in Lege Langobard. XXII. decrevit, *ut pravi Advocati, Vicedomini &c. tollantur, & tales eligantur, quales sciant & velint juste caussas discernere & determinare*. Infra addit: *Judices, Advocati &c. quales meliores inveniri possunt, & Deum timentes, constituantur ad sua ministeria exercenda*. Idem repetitum videas in Lege LV. ejusdem Caroli. Ludovicus etiam Pius in Lege Langobard. LVI. *praecipit omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero, Vicedominos, Praepositos, Advocatos, seu Defensores, bonos habere, non malos, non crudeles, nec cupidos, nec perjuros, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes*. Eam ob caussam statuisse videtur Carolus Magnus in Lege Langobard. LXIV. *ut Advocati in praesentia Comitis eligerentur, non habentes malam famam, sed tales, quales Lex jubet eligere*. Ratus fortasse fuit sapientissimus Imperator, frenum ita injectum iri tum eligentibus, tum eligendis, ne indigni ac improbi in hujusmodi munus irreperent. Accessit & altera caussa, cur Magistratus Regius ad electionem Advocatorum accersendus esset. Fruebantur enim Laici isti Advocati variis Regum Privilegiis, eisque non levis conceda-

debatur auctoritas, ut proinde Reges consensum quoque & confirmationem suam, aut saltem Comitum, hoc est, Ministrorum suorum, expetendam juberent, quum primum erant eligendi. Immo, nisi singulare Privilegium intercedebat, interdum Reges sibimet ipsis Advocatorum electionem reservarunt, atque ab iis erant petendi. Possem pluribus exemplis jam editis hanc firmare sententiam, sed Lectorum gratiam potiori jure initurum me spero, si Chartis nondum evulgatis argumento huic fecero satis. En ergo Diploma Lotharii I. Augusti, quod olim descripsi e Tabulario antiquissimi Parthenonis Ticinensis Sanctae Mariae Theodotae, nunc de Posterula. Quamquam ibi nullum Monogramma Caesaris occurrat, neque signarit membranam Cancellarius, nihilominus authenticum Praeceptum a Sigillo adhuc membranae innexo confirmabatur: quod animadvertendum in re Diplomatica. Non ejus ponderis, ut puto, fuit ejusmodi negotium, ut adhibenda foret Augusti subscriptio. Mirum tamen, quod neque Cancellarius Chartam signaverit.

Lotharii I. Imperatoris Praeceptum, quo Leonem & Johannem Comites constituit Tutores ac Advocatos Monasterii Ticinensis Sanctae Mariae Theodotae, cum facultate inquirendi de rebus & mancipiis ejusdem Coenobii, Anno 841.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei aeterni.* Hlotharius *divina ordinante providentia* Imperator Augustus. *Omnibus fidelibus nostris praesentibus & futuris notum sit, quia Deo devota femina nomine* Asia & ex Monasterio Teodotis Abbatissa, *retulit Serenitati nostrae, quod de rebus Ecclesiae suae vel familiis multam pateretur diminutionem atque dispendium a pravis & invasoribus hominibus: unde nostram deprecata est pietatem, ut &* Tutorem Monasterii sui *illi concederemus, & nostrae auctoritatis scriptum fieri juberemus, concedendo inquisitionem de rebus & mancipiis ejusdem Cenobii. Cujus precibus ob divinum amorem adquiescentes,* Leonem & Johannem Comites constituimus ad hujuscemodi Advocationem; *hoc simul nostrae Excellentiae scriptum fieri decernentes, per quod praecipimus, ut ubicumque necessitas postulaverit, de rebus vel familiis memoratae Ecclesiae vera fiat inquisitio per veraces & idoneos homines, & quorum testimonium dinoscitur esse probabile. Ut autem a nobis hoc jussum esse credatis, ac diligentius observetis, de anulo nostro subter jussimus sigillari.*

Data Decimo tertio Kalendas Augusti Anno Christo propitio Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris in Italia XXII. & in Francia II. Indictione IV.

Actum Aquisgrani Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Sigillum cereum absque ulla Epigraphe.



Vides;

Vides, non unum tantummodo *Tutorem*, sed duos, eosque *Comites*, a Lothario Augusto delectos ad hujus Asceterii *Advocationem*, fortasse quod in duobus diversis Comitatibus sita forent sacrarum illarum Virginum bona. Ita Carolus Crassus Augustus in Diplomate Anni DCCCLXXXII. Aroni Episcopo Regiensi concessit *Advocatos duos vel tres*, *quos ipsius Ecclesiae Pontifices aptos & sibi congruos eligant*, *qui causas Ecclesiae suae diligenter examinent & inquirant*. Simul autem hinc disce, jam tum potentes viros, eosque sublimis dignitatis, quales profectò erant *Comites*, non detrectasse, immo lubentissime amplexos fuisse, atque etiam exquisiisse sacrae Advocatiae munus. Quum tamen Episcopi, Abbates, ceterique Clero addicti, sibi non levi incommodo esse sentirent necessitatem adeundi Imperatoris, quoties Advocati forent eligendi: plerique opportune deinceps sibi consuluere. Facultatem nimirum ac Privilegium impetrarunt constituendi sibi, quos mallent, suarum rerum patronos, inconsultis ipsis Augustis. Quamquam attritum a tempore fuerit Diploma Ludóvici II. Caesaris, quod in Archivo nobilissimi Monasterii Brixiani Sanctimonialium Sanctae Juliae olim autographum vidi, nihilo tamen secius usui nostro heic erit. Pertinet ad Monasterium Carinthiae. Cur verò in Brixianum Asceterium immigrarit, divinare nescio. Fortasse Brixiano olim subjectum Carinthianum illud fuerit.

Ludovicus II. Imperator Monasterio Sancti Michaëlis in Viliana quaedam Privilegia concedit, Anno 857.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei aeterni*. Hludowicus *gratiâ Dei* Imperator Augustus. *Si Locis Deo dicatis munus benivolentiae impendimus, Deoque inibi militantibus studium tuitionis conferimus, compotes orationum nos esse confidimus, & ad beatitudinem capessendam prodesse minime ambigimus. Ideoque omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae ac nostrorum, praesentium videlicet futurorumque comperiat sagacitas, quia* Druclemirus Palatii nostri Archicancellarius, *una cum Hittone dilecto Vasso nostro, adientes excellentiam culminis nostri, innotuerunt, qualiter* Selmo Abbas Congregationis Sancti Michaëlis in Viliana, fecisset quamdam Cartam cum consensu Fratrum ibi Degentium, Petronasio & Tadasio germanis, ut Missi eorum existerent, ut ubicumque necessarium eis foret, amminiculum ferrent. *Et quia jam olim nos ipsum Cenobium sub nostro receptum habebamus mundeburdo, & inopiâ pressi nostram frequentare & pulsare nequibant presentiam, eorum nostra auctoritate freti auxilio, non solùm pro nobis, sed & pro ipsis Domini clementiam propensius expeterent. Nec non petierunt iidem Fideles nostri sublimitatem Excellentiae nostrae, ut quia isdem Abbas jam dictum Monasterium proprio fundaverat sumptu, nostra auctoritate concederetur ex se ipsi Abbatem eligere simul cum ipsis Missis, ne Sequorumlibet pressione, aut pulsationi Seculari premeretur, aut potestati Episcopali subdita videretur, sed potiùs nostro Privilegio illus consistens Monasterium hereditarium maneret ubique, sicut anteriores Aecclesiae, tam in pabulis*

lis animalium, quàmque in praecisione lignorum, ac captione piscium, libereque eis ad....... habere ab omnibus liberum sicut reliqua Monasteria. Nos itaque justas considerantes petitiones, eorum precibus libenter adquievimus, & presens Preceptum nostrum fieri jussimus: per quod memoratis germanis Petronasio scilicet ac Tadasio, sicut in Carta a prefato Abbate Selmone factâ continetur, omnem Missaticum de predicto conferimus Monasterio, ut nostro mundeburdio, & nostra auctoritate sub eorum maneat Tuitione & electionis Defensione assiduo ritu religionis Monastici. *Statuimus etiam, ut mox presens Abbas vitâ excesserit, Monachi ibi degentes*, una cum consensu memoratorum Petronasii & Tadasii, *ex se ipsis Abbatem faciant*, Episcopusque ipsius Civitatis, idest Carentinae, *absque ulla retardatione, ipsum consecret Abbatem.* Concedimus quoque Advocatum eis habere im....... reliqua....... & invigilet, ut nullus quis....... eorum vel possessionibus invasionem aut oppressionem faciat, non Episcopus, non alius quispiam, sed tantùm..... predictorum germanorum consistat Defensione. *Quod si quis contra hoc Praeceptum agere temptans in rebus vel hominibus ipsius Monasterii violentiam fecerit &c.*

Signum  *Hludowici serenissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Plato Notarius ad vicem Druclemiri recognovi & subscripsi.

Data III. Nonas Aprilis, Anno Imperii Domni Hludowici Pii Imperatoris in Italia VII. Indictione V.


Actum Mantua Civitate & Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Heic habes *Tutorum* ac *Defensorum*, quos antea Selmo Abbas pro Monasterio suo Sancti Michaëlis in Viliana *per quamdam* publicam *Chartam* constituerat, confirmationem nedum a Ludovico II. Imperatore largitam, sed & *Advocati* concessionem; qui *invigilet ut nullus* Monasterio eidem, eisque rebus *vel possessionibus invasionem aut oppressionem faciat, non Episcopus, non alius quispiam &c.* Verùm deficientibus verborum formulis in hac pergamena, integre non legitur concessa venia eligendi Advocatos. At istam nobis luculentius expressam exhibebit alterum Diploma, Lamberti videlicet Augusti, quod in Archivo Capituli Canonicorum Arretii notas omnes primitivi exemplaris praeferens vidi.

Confirmatio omnium jurium & bonorum facta Ecclesiae Arretinae a Lantberto Imperatore, Anno 898.

I*N nomine Sanctae & individuae Trinitatis.* Landbertus *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Decet nos justas Pontificum preces exaudire, ut nostra apud omnipotentem Dominum exaudiatur oratio. Idcirco omnium*

nium fidelium sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque scilicet & futurorum noverit industria, quia Johannes Aretinus *venerabilis* Episcopus *per interventum* Domine Genitricis nostrae, *seu* Amolonis Episcopi *insignis* Archicancellarii nostri, *suggessit nostrae Serenitati, ut omnes res Ecclesiae suae juste & legaliter acquisitas & acquirendas, precipue quoque res illas, quas Winibertus Tusciae habitator, videlicet in Comitatu Aretino jam dictae Ecclesiae per Cartulam emphiteosis, quae vulgo Precaria dicitur, obtulit: idest Curtem unam in loco Cassiano, vel ejus vocabulis cum sorticellis triginta, quam divae memoriae Genitor noster condicto Winiberto per suum Preceptum donavit, cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis suis, nostra Imperiali auctoritate confirmare dignaremur. Nos itaque dignis ejus precibus adquiescentes, & postulationes Dominae Genitricis nostrae, seu Amolonis Episcopi libenter exaudientes, omnes res & familias prefati Aretini Episcopatus confirmare decrevimus, in quo Sanctus Donatus humato Corpore requiescit, undecumque ibi justo ordine pertinere videntur, tam de oblatione fidelium, quamque alicujus ordinis datione; familias quoque ejus, Liberos ac Servos utriusque sexus, Libellarios ac Cartulatos, eodem ordine confirmamus; ut nullus Dux, Comes, Gastaldius, aut quislibet publicus exactor, nec aliqua persona parva vel magna in rebus aut familiis ipsius Ecclesiae aliquam invasionem seu molestationem aut diminorationem facere temptet sine legali judicio; sed liceat Pontifici praelibati Episcopatus cum universis suae Ecclesiae rebus, cunctisque sibi subjectis Liberis & Servis omni tempore sub protectionis nostrae tuitione quietè vivere, & pro nobis Domini misericordiam feliciter exorare.* Statuimus denique, ut quemcumque Episcopus, & pars ipsius Ecclesiae, Advocatum ad utilitatis suae necessitudinem constituerint, libera sit fronte, res & familias jam dictae Ecclesiae acquisiturus, quae ei juste pertinent, nullius adversarii impediente obstaculo, ad honorem & decus pretaxati Episcopatus. *Quicumque igitur temerarius hoc nostrae confirmationis Praeceptum in aliquo violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio nostro, & medietatem parti praefatae Ecclesiae. Ut autem veriùs credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propia subsignavimus, nostroque anulo jussimus assignari.*

Signum  *Domini Lanberti serenissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Andreas Notarius ad vicem Amolonis Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Domni quoque Lanberti piissimi Imperatoris Septimo. III. Nonas Septembris, Indictione II.

Actum Marinco in Dei nomine feliciter. Amen.

Hadria-

Hadrianus Valesius vir Clarifs. in Praefatione ad Anonymi Poëma de Laudibus Berengarii Augufti, Tomo II. Rer. Italicar. pag. 383. mortem Lamberti Augufti ftatuens ad Annum DCCCXCVII. ultra quàm deceat, dictatorie fcribit: *Carolus Sigonius falfi cujufdam Diplomatis fubfcriptione deceptus, Anno Domini DCCCXCVIII. Imperii fui VII. Lambertum obiiffe tradit.* Verùm nulla nunc dubitatio eft, quin Valefius bafilice falfus heic fuerit. En alterum Diploma, & quidem authenticum, Sigoniano, five Mutinenfi, plane concors in notis Chronologicis. Servatur autem adhuc, mihique non femel prae oculis fuit, in Archivo Capituli Canonicorum Mutinenfium Diploma idem, quod Sigonius memoravit, immo illud expurgatum a vitiis dabo in Differtatione LXXIII. *de Monafteriis in beneficium datis.* In eo autem deprehendi characteres omnes autographi Praecepti cum hifce Notis: *Signum Domni Laudberti Imperatoris piiffimi Augufti. Andreas Notarius ad vicem Amolonis Archicancellarii recognovi & fubcripfi. Data Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Domni quoque Lanberti piiffimi Imperatoris Septimo, Pridie Kalendas Octobris, Indictione II. Actum Marinco, in Dei nomine feliciter. AMHN.* Haec adferre placuit; non enim ea Sillingardus in Catalogo Epifcoporum Mutinenfium, neque Ughellius in Italia Sacra fat exacte expresserunt. Itaque non Anno Chrifti DCCCXCVII. fed quidem fubfequenti DCCCXCVIII. Lambertus Auguftus finem vivendi fecit, quod & Pagius antea recte animadvertit. Diu verò perduravit confuetudo petendi ab Imperatoribus Privilegium eligendi fibi Advocatos. Quae res conftabit ex Diplomate Henrici inter Imperatores Primi, quod in Archivo Monafterii Arretini Benedictinorum Sanctarum Florae & Lucillae autographum egomet legi atque defcripfi.

Henrici Regis II. Imperatoris I. Diploma, quo confirmat Monachis Arretinis Sanctarum Florae & Lucillae omnia illorum Privilegia & jura. Annò 1022.

IN *nomine Sanctae & Individuae Trinitatis.* Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguftus. *Si Sanctorum Dei Ecclefiis ex noftris rebus aliquid offerimus, prefentis & aeternae vitae bravium adipifci non titubamus. Quapropter omnium fanctae Dei Ecclefiae fidelium, noftrorumque praefentium ac futurorum induftria noverit, qualiter pro Dei amore, animeque noftre remedio, per hujus noftri Precepti paginam concedimus, donamus, atque largimus, & omnimodis confirmamus ad ftipendium & ufum atque fumptum Fratrum Monachorum in Coenobio Sancte Flore Deo famulantium, quandam Ecclefiam in honore Sanctae Mariae conftructam, in Monte Jonio fitam, cum omnibus terris, rebus, manfis, & familiis ad eam in integrum pertinentibus; necnon & campum juxta eandem Ecclefiam Regiae poteftati actenus pertinentibus; necnon & campum juxta eandem Ecclefiam, Regiae poteftati actenus pertinentem; atque Barbaritanos, & Martinenfes fimiliter juris Regni noftri pertinentes, cum omnibus rebus & terris conjacentibus in Comitato Aretino,*

quae dicuntur Martinenses, & Barbaritanae in locis ac fundis, qui dicuntur Galognanum; & Castrum in Quarata, & Monte Jonio, in Cignano, & Ficarita; & item Lucignano, Quillia-no, & Carna, atque Orneta Vesigiae, & Castellum Foconianum in Marcena, & Sesto, atque Lina, & in Carpinito, & Campobarbarensi, cum omnibus earum pertinentiis a Sibiano usque Classem flumen, ab Arno usque Matriniae-nem. Insuper & omnem illam terram, quam Berta Regina *ex Camarino adquisivit in Monte Ferentino & in Muglano, & sortem de Lauro, &* Ugo Rex ejusdem Bertae filius, *cum Ecclesia Sancti Marini Monasterio Sanctae Florae concessit cum Capella Sancti Mame, & ejus pertinentiis, quam quidam Godolprandus per Cartam vindictionis prefato Monasterio dedit Arnon ejus Preposito, atque mansum de Gragnano cum pertinentiis ejus, sicut actenus rectus fuerat per Januarium, & nunc tenetur per Leonem Crassum & consortes ejus &* Rodulphum Abbatem, *cum Ecclesiam, quam ipse ibi statuit, sicut Regiae actenus potestati pertinuit. Necnon etiam Castellum & Ecclesiam atque Cortem de Bulgari, & Corticellam de Cellule cum omnibus earum pertinentiis cum Seegi, & in Monticello, & in Waldinario, & in Bivignano, & in Campille, & in Grogi, sicut Ugo Judex, & Berta ejus Conjux Monasterio Sanctae Florae dederant; & omnes Mansos cum pertinentiis & edificiis earum, quas in Comitatu Aretino Teuzo filius Offredi, & Petrus filius Ingylelmi, Rainaldus de Rosina, Azzo Presbyter, Gerardus & Albertus filii Bonizonis, Johannes Langobardus, & Dominicus Ardi, & Angelus filius Martini, & Georgius & Gariprandus Presbyteri, & Rodulfus filius Liutardi, & Leo Presbyter, & Wido filius Griffonis in loco Corsigiano, vel alii fideles Christiani pro amore Dei eidem Monasterio dederunt in Cajana cum terra & omni decimatione illa, quam Episcopi Aretini prefato concesserunt Monasterio. Omnia autem, quae ab* Ugone *&* Lothario, *& a nostra clementia, vel ab aliis fidelibus Christianis data sunt & dabuntur, ut dictum est, Deo & predicto Monasterio in usum & sumptum Fratrum Monachorum concedimus atque largimur, & de nostro jure & dominio in eorum jus & dominium omnimodis transfundimus ac delegamus, & in illorum stipendio predicta predia cum rebus & familiis ad ea pertinentibus maneant; ipsi eorumque successores aeternaliter habeant, teneant, firmiterque possideant. Necnon & etiam omnes res & familias, quas constructor ejusdem Loci, ejusve posteri prefati contulerunt Cenobio, per hoc idem Preceptum eidem concedimus & confirmamus cum omni terra illa, quam quidam Willelmus Clericus filius Artii Sanctae Florae concessit.* Concedimus & eidem Abbati ejusdem Loci, qui pro tempore fuerit, facundiam eligendi sibi Advocatos quales voluerit. *Insuper etiam ad augendam securitatem & tranquillitatem Fratrum Monachorum ibidem Deo famulantium, quatenus eis pro nobis & imperio a Deo nobis commisso orare liceat, tam ipsos Monachos, & omnes prefatas res, quamque illorum familiam & Masarios, cunctasque res mobiles & immobiles, seseque moventes ejusdem Cenobii, sub nostrae defensionis Mundiburdium recepimus. Precipientes, ut nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, aut quislibet mortalium praedictum Cenobium, ejusque Rectores, suamque familiam de rebus suis absque legali judicio devestire, tollere, molestare, minuare, vel in aliquo ledere audeat. Si quis igitur hujus*

jus

jus precepti & mundiburdium violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Camerae nostrae, & medietatem predicto Cenobio & Fratribus ibi Deo famulantibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, hanc paginam sigillare jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Imperatoris invictissimi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Theodericus Cancellarius vice Eberhardi Papebergensis Ecclesiae Episcopi & Archicappellani notavi.

Data X. Kalendas Augusti, Anno Incarnationis Dominicae MXXII. Indictione V. Anno Domni Heinrici regnantis Secundi XXI. Imperii verò VIIII.

Actum Privaria in Comitatu Lucense.

Versabatur Henricus I. Augustus *Decimo Kalendas Augusti*, hoc est, die XXIII. Julii, Anni MXXII. in Comitatu Lucensi. Ergo jam post ereptam Graecis in Apulia Civitatem Trojam eo ipso Anno, in Germaniam regrediebatur. Idem quoque tradit Annalista Saxo, ab Eccardo editus. Quod adnotatum volui, utpote opportunum ad ejus Chronologiam certius stabiliendam, quam nonnulli Historici turbant. Nunc autem prodenda est caussa, quare tanto olim studio ambiretur Ecclesiarum *Advocatia*. Nimirum ejusmodi munus consequebantur emolumenta non pauca, quorum primum spes promerendae protectionis caelestis, & cumulandi apud Deum meriti, ob impensam sacris Locis protectionem suam. Vide Codicem Carolinum, in quo Romani Pontifices Pippino & Carolo Magno Francorum Regibus inculcare non desinunt, quantopere ii Deum sibi obstringerent, quod protegendam atque amplificandam suscepissent Ecclesiam Beati Petri. Uti ego quoque ostendi Cap. 36. pag. 353. Part. I. Antiquit. Estens. Obizo Marchio Estensis Anno Christi MCLXXXVIII. *Advocatiam Monasterii* Ferrariensis *Sancti Romani recepit*, obtestans, se id facere *pro remedio animae suae*. Alteram similem Chartam nunc profero, cujus exemplum antiquum in pergamena apud se adservat nobilis vir Comes Brandolinus de Brandolinis Foroliviensis Patricius, cujus erga me humanitatem ac beneficentiam non semel sensi. Hanc autem contuli cum altero authentico existente in Archivo Estensi, & quae in altero exemplo deerant, supplevi.

Advocatia Monasterii Sancti Romani Ferrariensis conlata Azoni VII. Marchioni Estensi, Anno 1230.

ANno Domini Millesimo Ducentesimo Trigesimo, Indictione Tertia, die IV. intrante Aprili, in presencia Domini Simonis Professoris Legum, Dominorum Jacobi de Trotta, Jacobi de Vecla, Petri Contrarii, Wigelmini de Joculo, Coni Judicis, Guizardini, Petriboni de Aldrevandino, Gerardini de Bancio, Moïses, & aliorum: cum Dominus Azo Estensis Marchio foret coram Domno Alemano Priore, & peteret sibi Investituram de suo recto Feudo & suo jure, & de Avocaria ipsius Monasterii, secundùm quod quondam Obizo Marchio Estensis, & Dominus Azo Marchio, & Aldrevandinus, & Dominus Willelmus & Athelardus de Marchesella habuerunt & tenuerunt a praefato Monasterio. Qui dictus Dominus Prior Sancti Romani una cum consensu & voluntate suorum Fratrum, Domni Widonis, & Domni Petri, & Domni Leonis, & Domni Venture, & Domni Wigelmi, & Domni Rubaldi, investivit dictum Dominum Marchionem Azonem cum Libro & Stola ante Altare Sancti Romani, de Avocaria Monasterii Sancti Romani, & de omnibus benefactis Sancti Romani, secundùm quod quondam Marchio Opizo, & Marchio Azo, & Marchio Aldrevandinus, & Guillelmus & Athelardus de Marchesella habuerunt & tenuerunt a dicto Monasterio. Et predictus Marchio recepit eam pro remedio anime sue: & promisit supra Altare & osculo pacis, esse fidelis Domno Abbati Sancti Benigni Fructuariensis, & omnibus suis Catholicis Successoribus, & Prioribus Sancti Romani, qui fuerint ordinati ejus voluntate & consensu. Et insuper investivit eum per Feudum in filio masculo & femina de omni eo jure, quod habet in Domo predicta, in qua habitabat dictus Marchio quondam Obizo, que fuit quondam Domini Wilielmi de Marchesella & Athalardi ejus fratris. Et investivit eum similiter per Feudum ad usum Regni de omni eo, quod quondam Wigelmus & Athalardus fratres habuerunt per Feudum a Sancto Romano in fundo Donorii, & in pertinentia Villenove. Et de omni alio Feudo & onori, quem Marchio Opizo, & Marchio Azo, & Marchio Aldrevandinus sui predecessores, & Dominus Wigelmus predictus & Athalardus fratres habuerunt & tenuerunt, vel visi sunt habere & tenere a dicto Monasterio Sancti Romani. Et predictus Dominus Azo eidem Domno Priori, recipienti pro dicto Domno Abbate, & se Priore, contra omnes homines (excepto Imperatore & suis anterioribus Dominis) tactis sacrosanctis Evangeliis, gratissimâ voluntate fidelitatem juravit. Hiis omnibus ita peractis precepit prefatus Dominus Azo Domino Petro de Merlaria ejusdem Domini Marchionis Vicecomiti, quatenus necessaria predicti Monasterii servicia, tamquam ipsius Domni propria, peragere deberet diligenter.

Actum est hoc in Ferraria in Ecclesia Sancti Romani predicti ante Altarem.

✠ Ego Bonifacinus filius Gerardi de Este, Palatini Comitis Notarius, presens rogatus scripsi.

Ego Bonajuncta Dei gratiâ Imperiali auctoritate Notarius hoc instrumentum sumtum ab authentico exemplavi, scripto manu Bonifacini Notarii filii Gerardi de Est, ita bonâ fide scripsi & exemplavi, nihil addens vel minuens me

me sciente, quod sensum vel sententiam mutet, in MCCLXXXIII. Indictione XI. Ferrarie, die VIII. intrante Martio.

Praeterea jure Patronatus fruebantur nobilissimi Marchiones Estenses in Monasterio Sanctae Mariae de Vangadicia intra Hadriensem Dioecesim sito, non longe a Lendenaria, utpote tunc iisdem regionibus dominantes. Diploma Henrici IV. Germaniae ac Italiae Regis, Anno Christi MLXXVII. datum produxi olim Cap. 7. Antiquitat. Estensium, in quo inter alias Ditiones Henricus ipse confirmat *Hugoni & Fulchoni germanis, Aczonis Marchionis filiis, Abbatiam Vangaditiam.* Hujus quoque rei egregium testem, quo tunc carebam, adferre nunc placet, Auctorem scilicet synchronum Translationis sacri Corporis Sancti Theobaldi Confessoris, ex Urbe Vicentina in Monasterium Vangadiciense translati Anno MLXXIV. Acta illa intulit Mabillonius in Partem 2. Seculi VI. Actor. Sanctor. Ordinis Sancti Benedicti pag. 168. Haec igitur ille Auctor scribit: *Quum itaque tam Fratres Monasterii, quàm reliquus Populus circumstarent, & attentius Sancti suffragia postularent, contigit, illustrem virum Azonem Marchionem, illius videlicet Monasterii Possessorem, advenire &c.* Infra addit: *Azo denique supra memoratus Marchio cum universis, qui aderant, prae gaudio resolutus in lacrymas, postquam Christo Domino in immensum, & pro debito gratias solvit, iterum manus ad caelum extendens, universorum Creatorem benedixit, quod se, Suaeque Ditionis Populum in adventu beati & omni laude celebrandi Confessoris Theobaldi visitaverit.* Quum verò frater Sancti Theobaldi ab ipso Marchione peteret sacrum Corpus in Galliam deferendum, *o quàm longe distans ab hac petitione fuit Marchio in sua responsione! Asserebat sibi abesse tanti effectus posse: se nolle tanti pretii thesauro Regionem Suam depauperare. Sed Dei pietas, in cujus manu est cor Regis, citò mutavit sententiam Principis.* Itaque jam tum Oppido Abbatiae Vangadiciensis dominabatur insignis ille *Princeps,* ex quo tum Regium Brunsvicensium Ducum in magna Britannia regnantium, tum Marchionum Estensium, Ducum Ferrariensium & Mutinensium, genus rectà descendere, palam feci, atque demonstravi in eisdem Antiquitatibus Estensibus. Monasterio autem Vangadiciensi, ut ajebam, dominabantur Marchiones Atestini jure Patronatus & Advocatiae, quod semper retinuere, donec potentia major in eorum ditiones ac jura successit *. Atque juris hujusce documentum, argumento praesenti perquam affine, ex Archivo Estensi depromtum, Lectori heic exhibere statui.

Instrumentum tutelae Monasterii Vangadiciensis, susceptae seu confirmatae ab Obizone II. Marchione Estensi, Anno 1270.

ANno Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo, Indictione XIII. die ultimo Martii, in Castro Villae Abbatiae, super Palatium infrascripti Domni Abbatis, presentibus hiis testibus, Dominis Albertino & Nicolao de Fontana,

(*) Exstare hac de re Commentarios eruditione refertos non vulgari, Lugduni Batav. ut praeferunt, impressos Anno 1755. quosque vidi aliquando, Literatorum Respub. non ignorat.

tana, *Uprandino de Gafaris de Mantua*, *Antonio filio Domini Petri de Navelatis*, *Sibello qui fuit de Montefilice*, *Antonio qui fuit de Castanedo*, *& Fratre Alberto*, *qui fuit de Lendenaria*, *& aliis*. *Ibique* Dominus Obizo Estensis Marchio *quasdam fecit* * *petiones* Domno Joanni *Dei gratiâ* Abbati Sanctae Mariae de Vangadicia, *& suo Conventui: cujus tenor talis est. Primo ei dixit*: Volumus & petimus, quod Syndicus Monasterii, Conventus, seu Capituli Monasterii Abbatiae Vangadiciae, ad infrascripta specialiter constitutus, sicut de constitutione ejus plenius patet ex Instrumento Sindicatus ipsius, *scripto manu mei Notarii*: considératâ utilitate Monasterii memorati, & ad hoc ut Monachi & Conversi in pace vivere valeant & quiete, & divinum valeant Officium celebrare, in suis . . . . & domicilio constituti; & ad hoc jura ipsius Monasterii per aliquam personam singularem, vel aliquam Universitatem, seu Corpus non usurpentur, sed libere Defendantur, augeantur, & Tueantur. *Consideratâ itaque fide* Illustris viri Domini Obizoni Marchionis Estensis & Anconitani, *& fide & devotione*, *quam praedictus Dominus Marchio*, *ac ejus omnes Antecessores habuerunt versùs Sanctam Ecclesiam Matrem omnium fidelium*, *& Christianae Fidei fundamentum*, *nec non adversùs alias Ecclesias*, *& Religiosas personas*, *& specialiter adversùs supradictum Monasterium Abbatiae*, *& personas praedicti Monasterii*, *& res ejusdem*. *Consideratâ itaque utilitate locorum praedicti Domini Marchionis*, *& aliorum suorum amicorum & fidelium: intentâ etiam & consideratâ potentiâ & viciniâ ipsius Domini Marchionis*, *de consensu & voluntate Domini Johannis venerabilis Abbatis Conventus positi in tali loco*, *& infra tale confinium*, *cum omnibus suis juribus & jurisdictionibus*, *piscationibus*, *& venationibus*, *pasculis*, *& pratis*, *nemoribus*, *& vallibus*, *& paludibus*, *fluminibus navigabilibus*, *vel non*, posuit in Protectionem & Defensionem curâ & sollicitudine . . . . . . Illustris & potentis & magnifici viri Domini Marchionis Estensis, & Anconitani Marchionis; ita quod predictus Dominus Marchio possessionem & quasi possessionem, dominium, sive proprietatem Defendat, Protegat, Tueatur, & augeat, & ea integrabiliter ab omni violentiâ, & expugnantiâ, injuriâ, & turbatione Defendat & Conservet illesam, ad utilitatem, & bonum ac pacificum statum Monasterii supradicti: opponendo se cuilibet Universitati, Corpori, seu Collegio, & singulari personae Seculari vel Ecclesiasticae, quae contra praedicta vel aliquod predictorum, aliquod presumeret facere, & attentare.

Qui Dominus Marchio, *tamquam fidelis & devotus Ecclesie in honorem beate Marie Virginis*, *in cujus honorem predictum Monasterium est constructum*, & pro remedio animarum suorum Antecessorum, & aliorum omnium fidelium Defunctorum, *gratanter & libenter suscepit*, *& solemni stipulatione* promisit *spontanee predicto Sindico*, *nomine & vice dicti Monasterii stipulanti*, *attendere & observare* cum tota ipsius fortiâ & potentiâ & virtute Castrorum & Turrium ad se spectantium, cum Populo, & militia, militia & Populo, cum armis & sine armis, si res exegerit; Exercitus & Cavalcatas ipsius propriis expensis facere, quandocumque necesse fuerit pro predictis attendendis & observandis, *& non contra facere vel venire*

nire vel attentare, sub pena mille Librarum de argento purissimo in quolibet & pro quolibet Capitulo, a predicto Sindico Monasterii solemniter stipulanti Domino Marchione solemniter promissâ, sub obligatione damnorum & expensarum.

Ob quas promissiones supradictas per dictum Dominum factas praedictus Sindicus Monasterii Abbatiae Vangadiciae, nomine & parte dicti Monasterii, spontanea voluntate & speciali pacto & stipulatione convenit, & promisit Domino Marchioni stipulanti, quod supradictum Monasterium, nec ejus jurisdictionem, nec ejus aliquod in totum vel in partem, nec dominium nec quasi dominium, non donare, nec vendere, nec possessionem in predicto Monasterio alicui Universitati, Collegio, & Corpori Clericorum vel Laicorum, vel singulari personae Seculari, vel Ecclesiasticae concedere. Et quod non permittet fieri, nec faciet fieri, & non concedere alicui vel aliquibus, Universitati, vel Corpori Clericorum vel Laicorum, & nec alicui Singulari persone Seculari vel Ecclesiastice, ad faciendam aliquam munitionem vel Castrum vel Fortezam in toto vel parte, seu loco alio ipsius Monasterii, titulo venditionis vel permutationis vel solutum dationis vel donationis, vel contractus emphyteoseos, sive libellarii, vel dationis in Feudum, vel aliquo alio titulo, qui dici vel excogitari possit, sine expressa licentia & voluntate predicti Domini Marchionis. Liceat tamen eis solitos contractus, & in solitis quantitatibus & qualitatibus facere, & cum solitis personis, & similibus, dum tamen non cum extraneis nec Potentibus. De qua licentia & voluntate appareant & apparere debeant tria publica Instrumenta manu trium Tabellionum in forma publica scripta, & in presentia trium religiosarum personarum: & sint dicta Instrumenta roborata Sigillo Domini Marchionis; & aliâ formâ dicta licentia non valeat. Asserendo dictus Sindicus nomine predicti Monasterii, quod dictum Monasterium in totum vel in partem suis jurisdictionibus & juribus nullam donationem usque in horam presentis contractus in aliquam Universitatem, Corpus, sive Collegium, vel singularem personam Ecclesiasticam vel Secularem, factam non esse. Et si contra factum esset hìc retro, vel fieret deinceps contra supradicta vel aliquod supradictorum, constituit predictus Sindicus, se possidere dictum Monasterium, & omnes jurisdictiones ipsius & jura, & quasi possidere in causis predictis, & cuilibet eorum, precario nomine pro dicto Domino Marchione ex nunc sic ex tunc, ita quod super dictis omnibus seu aliquo praedictorum possit auctoritate propria, & sine cujuscumque Judicis inquisitione Secularis seu Ecclesiastici, possessionem predicti Monasterii & quasi possessionem, jurisdictionem, & jurium, sicut ei quesitum, retinere, & de novo auctoritate propria ex vigore conventionis presentis acquirere, ad honorem & gloriam Virginis Mariae, & bonum statum Monasterii supradicti.

Et insuper promisit dictus Sindicus solemni stipulatione predicto Domino Marchioni, nomine & vice Monasterii, quod predictum Monasterium faciet & curabit, quod summus Pontifex presentem contractum, & omnia & singula supradicta scripta, & infrascripta, quae in eo continentur, confirmabit & probabit, & solemniter suam virtutem interponet. Renunciando dictus Sindicus nomine & vice dicti Monasterii exceptioni doli mali & metus, conditioni sine causa, & actioni in factum, & omni alii Legum & Juris auxilio tam Canonico quàm Civili. Juravit etiam dictus Sindicus, corporaliter tactis sacrosanctis

sanctis Evangeliis in sui animam, & dicti Domini Joannis Abbatis, & omnium Monachorum & Conversorum dicti Monasterii, quae dicta sunt de alienatione predicta non facta usque in horam presentis contractus, vera esse; & quod dictum Monasterium seu Capitulum perpetuo omnia suprascripta & infrascripta & singula habebit rata & firma.

Quae omnia & singula promiserunt predictae partes sibi ad invicem solemni stipulatione attendere & observare, & non contra facere vel venire sub predicta pena in quolibet & pro quolibet, hujus contractus contraventione committenda, commissa, possit exigi cum effectu, quoties contra factum fuerit, sive ventum, & eâ commissâ vel non, predicta omnia & singula permaneant firma sub obligatione bonorum cujuslibet predictorum, & sub refectione damnorum & expensarum. Asserendo dictus Sindicus sub juramento supradicto, omnia & singula supradicta, quae in presentibus promissionibus & conventionibus continentur, acta esse in commodum, & utilitatem Monasterii supradicti.

Item petiit dictus Dominus Marchio Estensis dicto Abbati & ejus Vicario, quamdam institutionem fieri in Villis Monasterii, quam porrexit dicto Abbati in scriptis sic continentem: Nos Domnus Johannes de Valvoletis Abbas dicti Monasterii, & Obizo Estensis & Ancone Marchio, statuimus & ordinamus, quo de cetero nullus habitator, terrerius vel forensis predicti Monasterii, seu Terrae Abbatiae possit vel debeat fieri Civis, & Cittadinanziam acquirere alicujus Civitatis, Tarvisinae, seu Lombardiae, aliqua de caussa generali vel spetiali, sive aliquo ingenio vel colore, nisi hoc processerit de speciali consensu, licentia & voluntate utriusque nostrûm, ita quod consensus unius nostrûm non excuset eum. Et qui contra fecerit vel facere attemptaverit, perpetuò banniatur de jurisdictione Abbatiae praedictae, & omnia ejus bona publicentur in nos Dominos supradictos. Et si captus fuerit, puniatur in pede sibi amputando. *Ad quae omnia respondit dictus Domnus Abbas unanimiter & ejus Conversus, quod non poterat, nec valebat consentire vel obedire aliquo modo vel ratione praedictis petitionibus sine Summi Pontificis licentia, voluntate, vel consultatione; cum dictae petitiones factae contra justitiam & contra libertatem Ecclesiae contra sacramentum dicti Abbatis, & jurium, honorum & jurisdictionum .... derogatione.* (Cetera desiderantur.)

Neque tantum antiquis Ecclesiarum Advocatis meritum apud Deum ob rite munus, quo fungebantur, curabatur, sed etiam accedebant temporales proventus. Quippe veteres Advocati *ab omni publica expeditione*, atque ab aliis publicis oneribus ex indulgentia Caesarum immunes erant. Praeterea consuevere Advocati quilibet ab Episcopis, Capitulis aut Abbatibus, Beneficio aliquo, sive Feudo donari in remunerationem laboris pro Ecclesia suscipiendi. Quae Beneficia, quo praestantiores ac ditiores erant Ecclesiae, uberiora etiam & majora fuere. Ad haec non modica fuit ejusmodi Advocatis potestas, quandoquidem Placita iis habere licebat, in quibus ex Imperiali Privilegio Vassallis, ac hominibus Ecclesiarum jus dicebant. Neque labori isti suum praemium deerat. Tunc eis ab Ecclesia cibaria decentia ministrabantur, & tertia Bannorum pars in eorum utilitatem cedebat. Ut autem est

est humanae cupiditatis nunquam saturari, nunquam dicere satis, praeter consueta stipendia non pauci ex Advocatis quotidie studebant, ut Ecclesiarum ubera, quantis possent viribus, atque artibus exsugerent, hoc est nova Beneficia, (Castella videlicet, Decimas, ac praedia) ab Episcopis atque Abbatibus clientelari jure sibi possidenda impetrarent. In hanc rem multae prostant Ecclesiasticorum virorum querelae, ab Historicis memoratae, a quibus recensendis compendii caussâ abstineo. Sed tum praecipue Advocatorum fames, & importunitas invaluit, quum Advocati ad eum potissimùm finem coepti sunt deligi, ut armatâ manu Ecclesiarum bona tuerentur, & ad proelium prodirent tum contra hostes finitimos, tum adversùs reliquos usurpatores; aut quum necessitas posceret, & Cleri milites ac Vassallos ad bellum Imperator acciret, ut eis praeessent, ipsosque in aciem ductarent. Propterea Proceres & Magnates in conferenda Advocatia ceteris praeferre mos deinde fuit. Erat autem Advocatorum in hisce expeditionibus Vexillum Ecclesiae deferre, unde etiam *Signiferi* & *Confanonerii* sunt appellati. Debebatur sua merces viris, tot pericula pro Ecclesia adeuntibus, & Ecclesiarum defensionem cuicumque negotio suo anteferentibus. Et procul dubio ad eam petendam segnes non fuere Advocati, ita ut oneri tandem esse coeperit clientibus suis illorum aviditas. Nolo pluribus distinere Lectorem, sed potiùs testem eorum, quae dixi, proferre Diploma Henrici II. Augusti, quod ex authentico existente in Archivo antiquissimi Monasterii Veronensis Sancti Zenonis depromsi.

Henrici inter Imperatores Secundi Diploma, quo duos Advocatos cum variis juribus ac Privilegiis concedit Monasterio Veronensi Sancti Zenonis, Anno 1050.


IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Imperialem sublimitatem condecet, ut quanto ceteris dignitatibus excelsior colitur, tanto justis peticionibus Deo servientium benignior nec non clementior inveniatur. Quapropter notum esse volumus omnibus sanctae Dei Ecclesiae, nostrisque fidelibus tam futuris quàm praesentibus, qualiter* Abbas Michaël Monasterii Sancti Zenonis Martyris, *nostram clementiam suppliciter exorando adiit, ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis Martyris reverentiam multum nos deprecans, quod de rebus Ecclesiae Sancti Zenonis Monasterii, quas nostra ei concessit pietas, ab invasoribus non modicum patitur dispendium. Unde deprecatus est*, ut ex nostris Fidelibus duos ei concederemus Advocatos, Berifredum videlicet, & David, qui caussam Monasterii procurent Advocationis gratiâ. *Nos vero justis ejus petitionibus consentientes, pro remedio animae nostrae, & ob interventum dilectissimae* Conjugis nostrae Imperatricis Agnetis, *& propter incrementum* filii nostri Heinrici Quarti Regis, *predicto Monasterio concedendo confirmamus, hoc serenitatis nostrae Literas censuimus fieri:* quibus precipimus, ut memorati Vassalli nostri in quibuslibet Comita-

mitatibus ſeu Pagis Advocati illius exiſtant de rebus ſupradictae Eccleſiae, Caſtris, Arimannis, ſeu Famulis, & in quibuſcumque neceſſitas poſtulaverit, nulluſque eis ad hoc exercendum opus aliquit contradicere praeſumat. Sed ſic huic rei ſtudeant, ne per aliquam injuriam jam dictae Eccleſiae minuentur facultates. Jubemus quoque, ut ubi neceſſitas poſtulaverit, & utilitas dictaverit, ut in illorum bonis, hac poſſeſſionibus, Arimannis, vel famulis, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, aut aliqua major, vel minor perſona nullo modo poteſtatem habeat placitandi, aut aliquod diſtrictum habendi, vel Noticias aut Cartas faciendi, excepto prenominatis Advocatis Michaëlis Abbatis, ſuorumque Succeſſorum. Concedimus poteſtatem placitandi, & Notitias vel Cartas faciendi in omnibus rebus, hac poſſeſſionibus Sancti Zenonis Monaſterii, eo tantùm videlicet ordine, ut jam ſupradicti Advocati de omni generali Placito, ſemel in anno facto, terciam porcionem in beneficia ſuae militiae conſequantur, excepto de Parona, & Caſſano, & Villa. Si ultra hoc beneficium aliqua importunitate Monaſterium quovis ingenio moleſtare, aut inquietare temptaverint, tamen Abbas noſtrae auctoritatis robore fretus, indubitanter habeat poteſtatem illis auferre dominium pariter cum beneficio, & aliis Fidelibus providâ diſpenſatione concedere; & inſuper de importunitate minime refrenata, quinquaginta Libras auri ſciant ſe compoſituros, medietatem &c.

Signum Domni Heinrici Tercii  *Regis invictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.*



Sigillum cereum, inſcriptione partim corroſâ.



Gunterius Cancellarius, vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Data III. Idus Novembris, Anno Dominicae Incarnationis ML. Indictione IIII. Anno Domni Heinrici Tercii Regis, Imperatoris autem Secundi, ordinationis ejus XXIIII. Regni quidem XIII. Imperii verò IIII.

Actum Veronae in Dei nomine feliciter.

Viden, duos haeic *Advocatos* concedi Veronensi Coenobio? Facultatem hanc, ut supra vidimus, Carolus Magnus Episcopis largitus est, utendi nempe pluribus Advocatis; eamque Lotharius I. Augustus in Lege XVIII. Langobardor. ad Abbates quoque extendit, ita statuens: *Singulis Episcopis, Abbatibus & Abbatissis duos concedimus Advocatos: unum, qui caussas procuret, alterum qui sacramentum deducat. Eosque, quamdiu Advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus.* Ecce unum e privilegiis, quibus Ecclesiarum Advocati olim fruebantur. Porro indultum illud fuit, quo tempore eligebantur ad id muneris viri Legum periti, potius quam militares uti subsequutis temporibus factum est. Repeto nunc Diploma nuper editum Henrici II. ut studiose animadvertat Lector, exclusos fuisse *Duces, Marchiones, & Comites, a placitando, aut aliquod districtum habendo, & Notitias, vel Chartas faciendo* in bonis illius Coenobii. Hoc enim jus Advocatis ejusdem reservatur. Insuper decernit Henricus, *ut supradicti Advocati de omni generali Placito, semel in anno facto, tertiam portionem* (idest bannorum, sive multarum) *in beneficia suae militiae consequantur.* Tum ad horum reprimendam cupiditatem addit Imperator: *Si ultra hoc beneficium aliquâ importunitate Monasterium quovis ingenio molestare, aut inquietare tentaverint, tamen Abbas nostrae auctoritatis robore fretus, indubitanter habeat potestatem illis auferre Dominium pariter cum Beneficio, & aliis Fidelibus providâ dispensatione concedere. Et insuper de importunitate minime refrenatâ quinquaginta Libras auri sciant se composituros.* Mirum videatur, quei Abbatibus implorandum foret Caesarum praesidium, ut Advocatos ministros suos in officio continerent. Sed jam eo prolapsa res erat. Advocatia speciem dominationis assumserat, disertisque verbis *Dominium* heic appellatur. Quare luctandum saepe Monachis fuit cum Advocatis suis; ideoque ad cautelam imploratum est Imperiale subsidium, & poenae iis propositae, si ultra pacta gravarent Ecclesiam. Eoque magis implorandum fuit Imperatorum praesidium; quippe tempora fuere, quibus Imperatores titulum ipsum ac munus Advocati Ecclesiarum, veluti nomine feudi, Laicis viris elargiebantur. Propterea quum Fridericus I. Augustus Germanico Monasterio Uslerstalensi (hujus situm eruditis Germanis designandum relinquo) Privilegium concederet, *Advocatorum* impotentiam hisce verbis repressit: *Nos deinde Uslerstal accedentes, super Altare beatae Dei Genitricis Mariae eidem Allodium contradidimus, ita sane quod nullus omnino jus Advocatiae vel aliam potestatem ibi habeat vel exercere praesumat, praeter Abbatem Monasterii illius loci.* Inserta sunt haec verba in Diplomate Adolfi Romanorum Regis, cujus me participem fecit nobilis olim ac humanissimus vir Octavius Angelus de Abramo, Canonicus Primatialis Pisanae. Illud autem si tenebris ereptum volo, nemini molestum, immo Literatis Germanis gratum futurum esse confido.

Confirmatio Privilegiorum facta Monasterio Uslerstalensi Ordinis Cisterciensium, ab Adulpho Rege Romanorum, circiter Annum 1293.

ADolfus *Dei gratiâ* Romanorum Rex semper Augustus. *Universis sacri Romani Imperii fidelibus, praesentes literas inspecturis gratiam & omne bonum. Binorum Imperatorum & Regum Romanorum nostrorum Predecessorum devotionem catholicam imitari corde piissimo cupientes, Loca Religiosa ad ampliationem divini cultus ab ipsis devote plantata, beneficiis cumulata, & convenientibus libertatibus condonata, intendimus suis juribus & libertatibus conservare, & gratiosius consovere. Cum itaque religiosi viri* Berlatus Abbas, & Conventus Monasterii in Urlestal, Cistercienfis Ordinis, *ad nostrae Majestatis culmen humiliter accedentes, a nostra magnificentia perpetuae paci suae petierunt suppliciter provideri, suasque libertates & Privilegia confirmari, & de benignitate Regia innovari; nostris conspectibus quoque exhibuerunt Privilegia subnotata. Primo videlicet Privilegium sue primarie fundationis, sub sigillo* Rabodonis, *quondam* Spirensis Episcopi *conscriptum, quod sic incipit:* Facile a memoria &c. *In quo, descripto Monasterii Fundo ab eodem Episcopo, & duobus germanis ejus* Armanno Comite de Lodenburg, & Ottone Comite de Alreheim, *eidem Coenobio collato, hec clausula subjuncta:* Silveque adjacentis eidem Fundo, que vulgari linguâ Almende nominatur, quam . . . , frequentant, que juris nostri, sicut & illorum esse dignoscitur, communionem, & omnem utilitatem Fratribus tradimus, pasturam animalium tam equorum quàm armentorum, ovium &, porcorum. *Et deinde subinfertur:* jura scilicet civilia eidem Fundo competentia a progenitoribus nostris tradita, huic Carte dignum duximus inserenda, ne fortè succedente tempore excidant a memoria, si quando propter extraneos seu vastatores, communis Silva, cujus superius fecimus mentionem, custodienda est a forinsecis rusticis, duo Custodes ab Abbate & rusticis, qui sunt in Valle, tertius accipiendus est; si quid vadimonii retentum fuerit, tertia pars Abbati & rusticis, qui sunt in Valle, dabitur, duae partes dabuntur rusticis, qui intrinsecus morantur. *Item Privilegium magnifici* Friderici Romanorum Imperatoris Augusti, *sic incipiens:* Si Ecclesiis & Ecclesiasticis viris &c. *In qua premissâ donatione atque descriptione Allodii supradicti Coenobii, in persona Imperatoris gloriosissimi prenotati hec clausula est annexa:* Nos deinde Uslerstal accedentes, super Altare beate Dei Genitricis Marie, eidem Allodium contradidimus ita sane, quod nullus omnino jus Advocatie, vel aliam potestatem ibi habeat vel exercere presumat, preter Abbatem Monasterii illius Loci. *Et quibusdam interpositis subinfertur:* Omnem quoque Almende supradicti Allodii in quolibet genere utilitatis sue, super idem Altare de Uslerstal contradidimus, sicut predicti largitores habuisse dignoscuntur, & prescripto Ordini libere contulisse. *Item Privilegium divi* Imperatoris Romanorum Heinrici, *sic incipiens:* Si Ecclesiis &c. *& hanc clausulam continens:* Preter ea, que

que dicta sunt, omnem Almende predictorum locorum, cum omni genere utilitatis sue cum universis bonis & possessionibus suis, quas eidem Monasterio diva memoria Patris nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti contradidit, & suis Privilegiis confirmavit, nos Imperiali auctoritate corroboramus, & presenti paginâ confirmamus. *Item Privilegium* Heinrici Romanorum Regis, *quod sic incipit:* Talentum cum lucro &c. *In quo hec diffinitiva sententia est descripta:* Sententialiter ordinavimus, & juxta prelibatorum tenorem Privilegiorum, firmum esse decrevimus, ut Silva in fundo prefati Monasterii adjacenti, de quo fuit contentio, Conventus ipse ad omnem suam utilitatem liberam habeant communionem. Ceterum si quando propter extraneos, seu vastatores communis Silva custodienda est, secundùm quod in fundationis Privilegio est ordinatum, teneat. *Item Privilegium invictissimi* Regis Romanorum Rudolfi *illustris, quod sic incipit:* Regalis excellentia &c. *In quo cum prescripto Privilegio Imperatoris Friderici jam premissa Regis Henrici sententia confirmatur, & favorabiliter innovatur. Item aliud Privilegium ejusdem Predecessoris nostri, quod sic incipit:* Accedens jam pridem &c. *In quo ab ipso Predecessore nostro dive recordationis Rudolfo approbatur, & de certa scientia confirmatur sententia arbitraria ac diffinitiva a strenuo viro Heinrico de Bannaker Milite, & quatuor aliis Coarbitris, in eodem Privilegio nominatis, juxta formam compromissi in ipsos facti, & tenorem prescriptorum Privilegiorum pro Monasterio lata; quod videlicet absque omni ambiguitate & scrupulo Abbas & Conventus Uslerstalensis Monasterii antedicti, ad omnem sui utilitatem, tam sectionem lignorum quorumcumque, quam pasturam quorumlibet animalium, communionem Almende predicte absque contradictione & prohibitione qualibet, sicut & rustici, libere nancisci debeant, & ipsis uti: ac quod rustici predicti quicquid juris in communione Silve prefate sibimet vindicant, & se ipsos habere fatentur, id ipsum & omnino consimile per omnia debeant Abbati & Conventui recognoscere, & illibatum pacifice observare. A quibus arbitris parti dicto Monasterio adversanti silentium perpetuum in hac causa est impositum & indictum, prout in Instrumento pronuntiationis eorumdem Arbitrorum, sub eorum sigillis confecto, plenius continetur. Nos predictis omnibus Privilegiis diligenter perspectis, & lucide intellectis, pie considerationis oculum advertentes, quod ex eo quod religiosi viri Abbas & Conventus predicti Regalibus obsequiis & Imperialium Insigniorum custodiis, ab antiquo a nostris Predecessoribus, atque nobis, sunt specialiter deputati; ad ipsos debet nostrae benignitatis favor specialius inclinari, omnia predicta Privilegia, & contenta in eisdem, sicut perinde sunt concessa, ratificamus, approbamus, innovamus, & presentis scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae ratificationis, approbationis, innovationis, & confirmationis paginam infirmare, vel ei ausu temerario in aliquo contraire. Quod qui facere presumserit, se gravem nostrae Majestatis offensam noverit incurrisse, & mulctandum pena, que in Privilegiis antescriptis Dominorum Imperatorum Friderici, & Heinrici hujusmodi transgressoribus & injuratoribus est inflicta, in premissis omnibus nostro & Imperii jure penitus tamen salvo.*

Datum Spirae . . . . . Reliqua desiderantur.

Quid

Quid praestarent etiam Ecclesiis antiqui illi Advocati nobis enarrabit Donizo Monachus in Vita Mathildis Comitissae Cap. postremo. Nam inclytae illius Principissae morte indicatâ haec subdit, quibus quoque confirmatur quidquid *de caussis imminutae Ecclesiasticorum potentiae* in Dissertat. LXXII. dicturus sum de raptoribus Ecclesiastici patrimonii.

Stabant ô quanti crudeles atque Tyranni
Sub specie justâ, noscentes te fore justam!
Qui dissolvuntur, jam pacis foedera rumpunt,
Ecclesias spoliant. Nunc nemo vindicat ipsas.
Si quis se forsan, Tutor quod sit quasi, monstrat,
Ecclesiae partem terrae grandem prius aufert.

Ejusmodi Advocatorum impotentiam ultra non tulit Walricus Patriarcha Aquilejensis, ac proinde eos coëgit eo munere se abdicare, uti constat e praelaudati Friderici I. Diplomate Anni MCLXXVII. apud Ughellium Tom. V. Italiae Sacrae, ubi haec leguntur: *Praeterea sicut Barobardus Aquilejensis Ecclesiae Advocatus, & postea Henricus placitum Advocatiae in manu Patriarchae Walrici pro se & successoribus refutarunt super omnibus bonis Aquilejensi Ecclesiae pertinentibus; ita & nos Placitum, districtum, & cetera ejusmodi jura eidem Ecclesiae Imperialis auctoritatis statuto confirmamus.* Chartam quoque adfert Ughellius, in qua Advocati praedicti suo jure ac munere cedunt. Accedat nunc & altera Charta, in qua constitutum videas, quod jure Feudi Olivolense Monasterium olim concesserit Advocato suo nuper electo, simulque formulam habebis, qua ille Dominico Contareno Venetiarum Duci, ejusdemque Coenobii Abbati, jusjurandum praestitit fidelitatis. Antiquum apographum adservatur in Archivo celeberrimi Monasterii Patavini Benedictinorum Sanctae Justinae.

Promissio recte exercendi jus Advocatiae pro Monasterio Sancti Hilarii Olivolensis, facta ab Uberto de Fontannive Duci Venetiarum Dominico Contareno, & Johanni Abbati ejusdem Monasterii, Anno 1064.

IN nomine Dei eterni. Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXIV. Quinto Calendas Septembris, Indictione II. Quia vos quidem Dominicus Contareno *Dei gratiâ* Venetie, Dalmatieque Dux, Imperialis Magister, *atque* Domnus Johannes Abbas Cenobii beatorum Sanctorum Hilarii & Benedicti, quod est positum in territorio Ollivolensi, super flumen quod dicitur Hune: concedistis mihi Uberto filio Ariprandi de loco Fontannive esse me Advocato per vestram inventionem & jussionem de prenominato vestro Cenobio, quod est proprie de vestro Ducatu: unde promittens promitto ego prenominato Uberto filio quondam Eriprandi cum meis heredibus vobis supradicto Domno Dominico Contareno inclito Duci, atque Domno Johanni Abbati ejusdem Cenobii, & Suc-

& Successoribus vestris, amodo in antea usque dum Advocatore sum ejusdem vestri Cenobii per vestrum consensum in omnibus factis vel pertinentiis ejus, quomodocumque ad prefatum Cenobium pertinet, ab intus & foris Advocatore & Defensore, esse promitto secundùm quod valuero & potuero, sive ante presentiam Imperatoris, quàm & Ducis, Marchionis, & Episcopi, Comitis, sive coram omnibus hominibus, ut valuero & potuero, sine fraude & bono ingenio, tam in istis pertinentiis, que modò retinent, verùm etiam in antea pro qualicumque ratione de res ejusdem Cenobii invenire potuero. Pro nullo amore parentum vel amicorum, neque pro ullo servitio de hoc, ut supra dixi, me subtrahere debeo, sed semper constans & fidelis esse promitto in omnibus, ut supra legitur, ad honorem vestrum & de prefato vestro Cenobio. *Nam verò per vestrum honorem & meae fidelitatis, usque dum Advocatore sum de prefato vestro Cenobio preferendum, concedistis mihi in loco, qui dicitur Nogariola, cum Silva, que dicitur Galianiga, & loco ubi dicitur Possa Liniaria, & locum ubi dicitur Pedriadulo, & loco cum Silva, ubi dicitur Flexen, cum suis justis & certis finibus ac terminibus seu circumdatis lateribus, hoc est de supra nominatis locis: primo latere desuper publica antiqua, que pergit de ipso loco supradicto Nogariola & erunt fines inter ipsam Nogariola & subter: & locum qui dicitur Perayrolo desuper, secundo latus Fossano percurrente in fossa, que dicitur Rodosa, tertio latus fluvio, qui dicitur Jerrola percurrente, quarto latus de subtus vado, qui dicitur Mazuro. Infra istis partibus necessariis, que per feudum mihi concedistis, ut supra legitur, sunt quatuor Massaritie, sive & alios quamque & idem sunt, & unum Molendinum, quod est allevandum in fossa, que dicitur Fossalta. Hec supradicte Massaritiis cum prefato Molendino, quod est ad levandum, cum omnibus ejus pertinentiis ab intus & foris usque dum vester Advocatore sum, in mea debet esse potestate. Et si in supradictis silvis spatium aliquod fecero, ad amplificandum territoriis vel massaritiis, campis aut pratis: due partes inde sint de prefato vestro Cenobio, & tertia mihi prope Feudum, eo ordine, ut supra legitur. Et si in predictis silvis vobis opus vel necesse fuerit, ligna incidere pro aliquo vestro servitio, in vestra sit potestate faciendi quodcumque vobis placuerit. Nam verò statutum est inter nos. Quod si aliquam fraudem in me videritis de hoc esse, quod supra legitur, supradicta investitione in vestra transacte debeat esse in potestate cum supradicto...... ut supra legitur, observare promitto.* Quod si non observavero, & non adimplevero omnia, quae ut supra legitur, & si recte cum bona fidelitate non valuero & potuero, prefato vestro Cenobio non sum Advocatore & Defensore, ut supra dixi, nec eo amplius de pertinentiis ejusdem Cenobii invidere aut retinere voluero pro aliquo ingenio, nam tantumodo quod mihi concessum habetis, ut supra legitur. *Et si recte hoc non observavero, & vos mihi in hoc, quod supra legitur, condiceritis, & ego me tacitus & separatus esse voluero, omnibus modis componere promitto cum meis heredibus, vobis & successoribus vestris auri optimi Libras decem.*

Signum ✠ manus suprascripto Domnus Uberto Advocatore, qui hanc Cartulam promissionis fieri rogavit, & ab eo relecta est.

Signum

Signum ✠✠ manibus suprascripto Richardo filius Rodulfi, & Richardo Grimaldi testes.

Ego Johannes Notarius, qui dicitur Bovino, scriptor hujus Cartule promissionis post traditam complevi.

Praeterea omnibus ejusmodi Advocatis mos, immo obligatio fuit, sacramentum praestare fidelitatis clienti suo; eoque titulo exploratum est, vel ipsos Romanorum Imperatores consuevisse idem sacramentum dicere Romanis Pontificibus, ex quo singulares Romanae Ecclesiae Advocati ac Defensores esse coeperunt. Sed progrediamur. Illud prae ceteris animadvertendum est, multis in locis Advocatiae munus stabile factum fuisse in una Familia, & Feudorum ad instar in liberos ac descendentes transiisse. Id contigit vel ex industriâ Advocatorum ipsorum, qui ad posteros suos officium ac beneficium istud transferendum enixe curarunt; aut etiam Episcoporum & Abbatum provido consilio, ne in novos Tutores nova liberalitas exercenda aliaque Feuda iis conferenda forent. Porro inter Ecclesiarum Advocatos in Italia famosum fortasse prae ceteris sibi peperere nomen in Civitate Tarvisina illius Ecclesiae Advocati, qui & *Advocarii*, *Avogarii*, *&* *Avogadri* aliquando appellabantur. Scilicet pro *Advocatia* aliquando dictum est *Advogaria*; quare postea nonnullis familiis ex hoc ipso munere adhaesit cognomen *De gli Avogadri*. Bella, seditiones, ac nobilitatem Advocatorum Tarvisinae Ecclesiae habes in Historiis Patavinis, atque in Tarvisina Johannis Bonifacii. Primo *Tempesta* Familia, deinde *Azzonum*, ejusmodi munere, & quidem hereditario, functa est; atque illius gratiâ ab Ecclesiâ Tarvisinâ Feudali titulo receperunt *Terras de Anoali*, *de Bormignana*, *de Abriana*, *de Mazacavallo*, *de Ruigo*, *Zumignana*, *Vigosollo*, *Damiseno*, *Tascenigo cum Decimis & Novalibus ad usum opulentum dictae Dignitatis:* ut habent monumenta evulgata in controversia inter Tarvisinos & Acelanos (nunc *gli Asolani*) nuper agitatâ. Mutinae quoque sunt, quae persuadeant, olim hujusmodi praerogativâ ornatam fuisse Familiam *de Balugola*, cui cognomen accessit a loco olim sito ad Scultennam fluvium in finibus Gombolae & Friniani ultra Guilliam. Gaspar Sillingardus in Catalogo Episcoporum Mutinensium, & post eum Ughellius in Italiae Sacrae Tomo 2 Chartam adferunt,. Anno MCXXVI. scriptam, per quam *Dodo Dei gratiâ Mutinensis Episcopus investivit Rainerium Advocatum, & Guizardum, & Ubertum fratres, filios Domini Rothechildi Advocati, de Roccha Sanctae Mariae &c.* Erravit Sillingardus, putans, Castellum sive Arcem illam feudali jure fuisse concessam *nobilibus de Advocatis*. Erant ii *de Familia de Balugola:* natu autem major Advocatus Episcopi fuit. Anno Christi MCCXXIII. ut ex authenticis tabulis constat, in Tabulario Canonicorum Mutinensium adservatis, *Gulielmus Episcopus Mutinensis* eamdem Roccham Sanctae Mariae confirmavit *filiis Tavivani de Balugola, recipientibus pro se & omnibus aliis de Balugola, cum usantiis, quas dicti Domini, & eorum Majores habuerunt & tenuerunt a Domino Episcopo Mutinensi &c.* Ad hanc autem Familiam, atque, ut opinor, non aliâ ratione, quàm Advocatiae, spectabat olim, novum Episcopum Mutinensem in equo insidentem deducere *a Porta Civitatis usque ante fores Ecclesiae Majoris*, hinc inde

inde equi habenas manibus tuendo. *Addestrare* Italica Lingua appellat regere equum Principum atque Magnatum. Ad eos quoque pertinebat hastas deferre umbellae, sive *Baldechini*, quod super Episcopum eâ occasione portabatur. Episcopo ad ostium Templi maximi deducto, equus gradarius (*Palafrenum* nuncupabant) super quem Episcopus processerat, cedebat in jus nobilium de Balugola. Praeterea illis commendata fuit *custodia camporum Duellorum*, quoties nempe in terra Episcopi peragebatur singulare aliquod certamen. Cogebantur pugnatores Custodibus hisce persolvere *Libras septem Imperiales, & unum Imperiale;* atque insuper nobiles isti lucrabantur *arma illius*, qui in campo succumbebat, aut deteriorem partem habebat. Haec omnia illi jure Feudi ab Episcopis Mutinae acceperant. In Diplomate Conradi II. Italiae Regis, Anni Christi MCLI. pag. 168. Tomi 2. Bullarii Casinensis, lego *Fodrum, Albergariam, & Districtum, Bannum, Placitum, Assaltum, & cetera, quae Regis sunt*. Voce *Assaltus* veri videtur simile, significari Custodiam, ut nuper dixi, Pugnantium singulari certamine. Eadem verò simul indicia sunt, Advocatiam Mutinensis Ecclesiae Familiae de Balugola aliquando fuisse commissam. An diu continuatum fuerit in iis ejusmodi munus, nulla documenta legi, quae id ostendant. At certe diu perseverarunt apud eos honores & Feuda conlata ab Episcopis. Cui rei, uti & moribus antiquorum temporum, lucem afferet Charta ab Aliprando de Balugola Anno MDCXII. Mutinae edita in Opusculo de Familiâ suâ, spectans ad Annum MCCLXXXIII. quam utilem huic loco censui.

Investitura seu confirmatio Feudorum & jurium data filiis Francisci de Balugola ab Arditione Episcopo Mutinensi, Anno 1283.

Anno a Nativitate Christi MCCLXXXIII. Indictione XI. die Mercurii XIV. intrante Martio. In Christi nomine. Cum a Dominis Rainerio, Gerardo, Racese, Pipiono, Lanfranchino, Richerio, Zopillarino, & Zaccharia filiis quondam Francisci de Balugola, etiam cum instantia petatur, ut venerabilis pater Dei gratiâ Episcopus investiret eosdem de Feudo, quod habent ab Episcopatu Mutinae, quando primo consecratus intrat Palatium Episcopatus, dictis Balugulis ducentibus per frenum equum ipsius Domini Episcopi a Porta Civitatis, usque ante fores Ecclesiae Majoris, eodem super sedente: & pariter, ut super custodia Camporum Duellorum habeant Libras septem Imperiales, & unum Imperiale, & arma illius, qui succubuerit, vel etiam in campo deteriorem partem habuerit: & de aliis Feudis antiquis; qui dicebant se habere paratas plures Chartas Instrumentorum, & testium, antiquitus productorum.

Et primo, sicut venerabilis pater Dominus Guielmus *Dei gratiâ* Mutinae Episcopus *fecit, & constituit Gerardum de Ricò de Albareto suum Nuntium & Procuratorem in causa, quam habet cum illis de Balugula, sive cum Baluganis, sub examine Domini Zanelli Zacaghi, & Domini Gerardi Urioni*, super facto Equi sive Palafreni, quem

quem ei videntur postulare. *Actum MCCXXII. Sexto Octobris per Albericum Notarium.*

Item aliud Instrumentum traditum isto Anno, sicut Domini de Balugula constituerunt Dominum Lanfranchinum eorum Procuratorem in causa, quam habent cum Domino Episcopo super facto Equi & de Feudo, *traditum per Lazarium de Palermo.*

Item aliud Instrumentum, sicut Dominus Guilielmus Mutinae Episcopus una cum Campiolo, & Zopellarino de Balugula pro se & consortibus suis elegerunt in communi concordia Dominum Zinellum Zacagum, & Gerardum de Honoribus, Procuratores Curiae Episcopatus Mutinae, ad cognoscendum super facto Palafreni, quem dicunt ad ipsos pertinere per Feudum.

Item Libellum authenticum, in quo petebant praedicti pro illis de Balugula, ut pronuntietur Palafrenum, quem equitat Dominus Episcopus, cum primo ascendit Palatium, rediens a consecratione, & item ut de cetero omnes Episcopi illum Palafrenum dare tenentur. *Actum & Scriptum per Albericum Zanellum Notarium MCCXXII. de Mense Decembris.*

Item testes productos in praedicta caussa, in quibus evidenter probatur, quod illi de Balugula debent habere ipsum Palafrenum: *scriptos per ipsum Albericum Zanellum Notarium, qui ipsos authenticavit & jurare fecit MCCXXIII.*

Item, sicut praedicti Domini de Balugula habent a dicto Domino Episcopo Mutinae in Feudum Custodiam Camporum Duellorum, in praedictis testes productos per ipsos de Balugola super praedicto facto. *In quibus probant, quod praedicti habent in Feudum a Domino Episcopo Mutinae: Scriptos manu Petrizzoli de Sancto Marino Notarii* Domini Bernardini de Cornazzano Potestatis Mutinae, *MCCXXVIII. Indictione I. per Johannem Angelicum Notarium.*

Item alios quamplures testes receptos precepto Domini Boccaccii Bremae Potestatis Mutinae *MCCXXI. Indictione IX. per Johannem Angelicum Notarium.*

Item alios quamplures testes receptos super eodem facto MCCXLVII. Item sicut coram Domino Boccaccio Brema Potestate Mutinae Arditio promisit Domino Zopillarino dare arma. Item sicut Dominus Bernardinus de Cornazzano Potestas Mutinae dixit, quod Domini de Balugola debent habere arma Ubertacii, qui amiserat Duellum: *scriptum MCCXXVIII. per Bonifacium Regale.*

Item sicut venerabilis pater Dominus Albertus Mutinae Episcopus *confessus fuit, quod* illi de Balugula debeant habere Libras septem Imperiales & unum Imperiale, occasione Duelli facti a Gerardo cum Guidone. *Quos denarios ipse Episcopus habebat penes se. Et sicut praedicti de Balugula confessi fuerunt se habuisse predictas septem Libras Imperiales, & unum Imperiale, MCCXXXVIII. Indictione XI. Scriptum manu Bonifacii Aspectati Notarii.*

Item Sententia lata super hoc, quod ipsi debebant habere arma Bernardini Becceti, qui amisit Duellum, *per sententiam latam MCCXXVII. per Dominum Bernardinum de Cornazzano Potestatem Mutinae, scriptam per Bonifacium Aspectatum Notarium.*

Item affirmantes praedicti de Balugula, quod quamplura alia jura super hoc habebant, sed ea amiserant, quando Balugula combusta fuit, & etiam nuperrime propter combustionem Beccariorum, testes produxerunt in causa Pala-

Palafreni *Reverendi patris* Domini Arditionis *Dei gratiâ* Mutinae Episcopi. *Unde ex praedictis omnibus dicebant, praedictum Dominum Episcopum debere admittere petitionem eorum, cum non sit Feudum novum, sed antiquum, & eos investire* de Feudo ipsius Palafreni, *de cetero in futurum habendi,* ducentibus praedictis Balugulis per frenum Equum ipsius Domini Episcopi a Porta Civitatis usque ante fores Ecclesiae Majoris, Domino Episcopo superſedente. Et de Custodia Camporum; *salvis omnibus juribus praedictis de Balugulis in aliis Feudis, quae dicunt se habere debere, si ostenderint, & habere debere alia Feuda a praedicto venerabile patre Domino Episcopo.*

Quare idem venerandus Pater nolens a juris tramite deviare, nec contra canonicas & legitimas sanctiones in aliquo procedere, sed eas omnimodo observare, videns, quod justum est justis petitionibus subjectorum annuere, in quantum potest, per Annulum, quem in suis tenebat manibus, investivit supradictos de Balugula, *recipientes pro se & consortibus suis* de supraſcriptis Feudis, *quatenus de jure potest, secundùm jura & canonicas sanctiones. Ita quod non sit contra formam sacramenti praestiti per ipsum Dominum Episcopum Domino Archiepiscopo Ravennati, in quo continetur, quod non possit alienare de novo. Et de omni Feudo antiquo, quod consueti sunt antiquitus habere ab Episcopo Mutinae, praestito ipsi Domino Episcopo a praedictis Dominis sacramento fidelitatis, quod praestare debent Vassalli Dominis suis, pro se & suis successoribus in hunc modum. Quod ipsi juraverunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, quod ab hac hora in antea usque ad finem vitae suaè fideles erunt venerabili Patri* Domino Arditioni *Dei gratiâ* Episcopo Mutinae, *& Episcopis suis successoribus, canonice ingredientibus, contra omnem hominem, Collegium, vel Universitatem de Mundo. Et numquam scienter erunt in consilio vel in facto, quod ipse amittat vitam vel membrum aliquod, vel mala captione capiatur, vel quod recipiat in persona aliquam laesionem vel injuriam, vel amittat aliquem honorem, quem nunc habet, vel habere debet, vel in antea possidebat. Et si sciverint vel audient de aliquo, vel aliquod supradictorum contra eum fieri, pro posse eorum, ut non fiat, impedimentum praestabunt; & si impedimentum praestare nequiverint, dicto Domino Episcopo suum auxilium praestabunt. Et si contigerit, quod ipse rem aliquam, quam habet, vel habebit, injuste vel fortuito casu amittat, eam recuperare curabunt, & recuperatam omni tempore retinere. Et si sciverint, ipsum velle juste contra aliquem procedere, & in specialitate vel generalitate fuerint requisiti, ipsi Domino Episcopo suum, sicut poterunt, auxilium praestabunt. Et si aliquod in secretum eis ab ipso Domino Episcopo manifestabitur, illud sine sua licentia nemini pandent, vel quod pandatur non facient. Et si consilium eis ab ipso Domino Episcopo super aliquo facto postulatum fuerit, illud ei dabunt consilium, quod eis videbitur magis expedire, & numquam scienter aliquid facient, quod pertineat ad suam injuriam vel contumeliam. Et alia & singula facient, quae Vassalli facere tenentur & debent suo Domino. Sic Deus eos adjuvet. Ad sancta Dei Evangelia promittentes, quod rata & firma habebunt supradicta omni tempore & contra non venient, sub expressa obligatione omnium bonorum suorum.*

Actum in Palatio Episcopali Mutinae, praesentibus Nicolao de Mattarello,

rello, Gerardo Carepto, Domino Petrino Praeceptore Templi de Mutina, Domino Piloguero de Pilogueris Canonico Mutinae, Domino Ritonello Archipresbytero Plebis de Pulinago, & Vicario ipsius Domini Episcopi, Domino Bazalerio de Montegarullo, Jacobino filio Domini Martini Precenarii, Zordano filio quondam Domini Azzoboni de Gorzano, Domino Thomasino filio Domini Philippi de Pedochis, Petrano de Retibus Beccario, & Ghibertono filio quondam Petri de Savignano.

In praesentia supradictorum testium & ipsorum de Balugula, ante aliquam investituram factam ipsis de Balugula, Dominus Arditio Dei gratiâ Episcopus Mutinae dixit, quod intendit investire de Feudo antiquo, non de novo Feudo, vel in aliquo venire contra leges vel canonicas sanctiones: & sub hac conditione, si Feudum erat antiquum, supradictos de Balugula investiebat, secundùm quod continetur in Instrumento per me Notarium tradito, & aliter non.

Ego Bartholomaeus de Berilariis Notarius scripsi.

In desuetudinem abiere multis in Italiae Urbibus, & non unâ de caussâ ritus varii ad solennem Episcoporum novorum ingressum, olim familiares, quo tempore aut Episcopi ipsi Civitatibus dominabantur, aut in Republica illustrem locum tenebant. Proinde excidit etiam praerogativa, Familiis aliquot olim reservata, deducendi novum Praesulem ad Cathedralem Basilicam. Eam tamen Mediolani constantissime adhuc retinet post tot temporum ac rerum vicissitudines nobilis Familia *Confaloneria*. Nam quotiescumque novus aliquis Archiepiscopus Mediolanum solenni ritu ac processu, universis Magistratibus, Clero, ac Populo stipatus intrat, quotquot viri in ea gente numerantur, ad illum deducendum ex privilegio singulari accersuntur. Singuli, uti egomet spectator vidi, tunc rubris omnibus vestibus induti, tam Seculares, quàm Ecclesiastici, pars Equum Antistitis regunt, pars hastilia umbellae deferunt, quam & subinde lucrantur; reliqui verò praecedunt. Hos quoque *Advocatiali* titulo atque officio olim donatos, Mediolanensi Ecclesiae suam operam praestitisse, Cognomen ipsum indicare videtur. Nam *Confalonerios*, sive *Confanonerios*, appellatos credere par est, quod *Confanonem*, hoc est *Vexillum Archiepiscopi* antiquitus in bello atque in solennitatibus gestarent: quae praerogativa, ut supra memoravi, Advocatis Ecclesiarum deferri consuevit. Idem dicendum de *Confaloneriis* Ticinensibus ac Placentinis. Dubius tamen sum, num eodem munere, quo nunc funguntur *Confanonerii* Mediolanenses, aliae ante eos familiae fungerentur, an verò & illis suus esset locus in famulitio Archiepiscopi, diversaque ratio officii. Neque enim audeo sine tabulis affirmare, unam eamdemque gentem, in varias lineas propagatam, diversa Cognomina assumsisse. Scilicet animadverti, *Rodenses* quoque, sive *de Raude*, *da Rhò*, & *Littos*, quos nunc *Littas* appellamus (quae nobilis prosapia non unum Archiepiscopum Mediolano olim dedit, & nunc etiam gloriari potest, quod in Cremonensi Civitate Episcopum habeat Illustrissimum Dominum Alexandrum Littam, pietate, zelo, eloquentiâ, ceterisque animi ac mentis virtutibus spectatissimum) animadverti, inquam, & hasce Familias olim in obsequium Antistitis Mediolanensis adhibitas fuisse. En Gual-

Gualvanei de la Flamma circiter Annum Christi MCCCXXX. scribentis verba Cap. 627. Chronici Majoris, quod MStum Ambrosiana Bibliotheca adservat: *Angilbertus Archiepiscopus Beati Ambrosii tumbam marmoream aperiri fecit, & ex devotione dentem de ore beati Ambrosii extraxit, & in anulo suo imposuit. Dum autem processionem in die Olivarum faceret Archiepiscopus more Ecclesiae Mediolanensis, & de Ecclesia Majori iret ad Sancti Laurentii Ecclesiam, ibi Archiepiscopus facit sermonem ad Populum. Postea benedixit palmas, & dedit Clericis. Postea venit extra Ecclesiam, ubi sunt columnae* (& adhuc supersunt illustre antiquitatis vestigium) *ubi erat unus equus coopertus de vajo, idest panno aureo. Et unus de genere Rodensium* (in margine eâdem manu additur: *Rodenses sunt Cathanei Archiepiscopi*) *vestitus variis, tenens strepam, Archiepiscopus equum conscendit. Et postea data fuit in manu una Crux chrystallina, ornata palmis & olivis, qua signabat Populum. Et ille de genere Rodensium vestitus variis, cum cirothecis in manu tenens frenum equi, duxit eum ad Ecclesiam Sancti Ambrosii. Praecedebant autem equum quatuor Nobiliores de Littis* (in margine Codicis adnotatur *Lites sunt Valvassores Archiepiscopi*) *praeparantes viam Archiepiscopo, amoventes lapides & trabes, & alia impedimenta. Post Archiepiscopum veniebant universi Clerici cantantes: & subsequebatur Populus cum palmis & olivis. Nec fuit tanta solemnitas in universo Mundo, quomodo erat ista, quam tenetur facere Archiepiscopus singulis annis. Quum autem pervenisset Archiepiscopus ad locum, ubi consuevit leprosum lavare, cantabatur Missa. Et postea Archiepiscopus ad suum Palatium rediit.* Procedente autem tempore, hoc est, Anno MCCCXXXIX. oborta lis est inter *Advocatos & Confanonerios* Mediolanenses, contendente utrâque cognatione, ad se pertinere jus deducendi Archiepiscopi, & lucrandi equi ipsum devehentis. *Facta est*, inquit idem Gualvaneus in Opuscul. de reb. gest. Azonis Vicecomitis, Tomo XII. Rer. Italicar. *controversia inter Advocatos & Confanonerios, quis equum Archiepiscopi habere debuerit. Et quia jura antiqua super hoc clara non inveniebantur, Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis, Ecclesiae Mediolanensis Conservator, ordinavit, quod Advocati ipsum conducerent per frenum, peditando usque ad Ecclesiam Majorem. Inde usque ad Sanctum Ambrosium conducerent Confanonerii; & equus Archiepiscopi pendente quaestione in deposito positus fuisset.* Ita Bergomi, quando novus Episcopus Urbem ingrediebatur, equus, in quo is advehebatur, in potestatem veniebat *parentelae de Advocatis, qui debent habere secundùm antiquam consuetudinem*, uti auctor est Castellus de Castello in Chronico Bergom. Tomo XVI. Rer. Italicarum. *Archidiaconorum* verò Familiae dabatur Episcopi *chlamys, seu mantellum de panno pavonatio:* Familiae *de Trenis calcaria* Praesulis ejusdem.

Sed ut Lectores fortasse lassos heic aliquantulum recreem, addere juvat, quae antiquitus, & ad nostra fere tempora, agebantur in Etruria, hoc est Florentiae, & Pistorii, quum primum consecrati novi Episcopi ad possessionem Cathedrae suae deducebantur. Quod juris Mutinae fuit *Balugolensibus*, Florentiae fuit *Vicedominis*, teste Ferdinando *del Migliore* in *Florentia illustrata*; sed ita ut ephippium & frenum equi Episcopalis traderetur Familiae *del Bianco*, quâ subla-

sublatâ idem jus in nobilem *Strozziorum* Familiam translatum est, qui tubis sonantibus, sacrum hoc trophaeum ad suas aedes deferebant, expositumque ad fenestras, honoris caussâ diu servabant. Equus Episcopi, statim ac ille descenderat, in jus cedebat *Abbatissae Monasterii Florentini Sancti Petri Majoris*, quam in solemni illo processu Episcopus sacrabat, sive uti olim vulgo dicebatur, anulo desponsabat. Ingratum Lectori non erit caeremoniae hujus descriptionem accipere a Petro Ricordato Monacho Casinensi, qui in Historiâ Monasticâ Romae Anno MDLXXV. impressâ, haec habet pag. 368.

Caeremonia ingressus novi Archiepiscopi Florentini.

P*Oichè voi siete entrato in San Pier Maggiore, io voglio dirvi una cerimonia, che usa questo Monasterio, ogni volta, che un nuovo Arcivescovo entra in Firenze a pigliare il possesso dell' Arcivescovato. La qual cerimonia non s' usa, cred' io, in altro luogo, salvo, che in Pistoja in un Monasterio medesimamente del nostro Ordine, e detto ancora di San Pietro. E m' è venuta voglia di dirlo, perchè* la Famiglia degli Strozzi *interviene a tal cerimonia, come udirete, e in quella di Pistoja la nobil* Casa de' Cellesi. *Quando fa l' entrata il nuovo Arcivescovo, lo va ad incontrare tutto il Clero e Magistrati, e così accompagnato s' invia sopra una Chinea a San Pietro. Et ivi giunto, smonta, e subito dagli uomini della* Famiglia Strozzi, *e non da altri, sono saccheggiati i fornimenti della Chinea, che sono ricchissimi, & ella così nuda resta alle Monache di San Pietro suddetto. Smontato l' Arcivescovo, entra nella Chiesa, incensato & asperzo d' acqua benedetta da i Preti, lì perciò apparecchiati, essendo poi aspettato dall' Abbadessa, e da tutte le Monache sopra un Palco benissimo parato presso l' Altare Maggiore. Saglie in su quello, e fatta un Orazione, si pone a sedere sopra ricca sedia, e preso un' anello d' oro, lo mette in dito all' Abbadessa, alla quale è tenuta la mano e il dito da uno de' più Vecchi della Parrocchia. E data la Benedizione al Popolo e la perdonanza, se ne va al nuovo Palazzo, dove ella li manda a donare un letto con tutti i soi fornimenti di gran valuta.*

Ita Ricordatus. Admiratus quoque junior in Histor. Florentin. Lib. XV. ad Annum MCCCLXXXVIII. memorat controversias compositas inter *Vicedominos* & *Tosingos*, *uti Custodes & Patronos Episcopatus*, & homines Parochiae Sancti Petri Majoris, excitatas non semel in solemni ingressu Episcopi Florentini. Pistorium nunc adeamus, ubi nobilis & antiqua *Cellesiorum* Familia eodem jure ac privilegio fruebatur, quo *Strozzii* Florentiae, uti Ricordatus nuper meminit. Quare Cellesiis quoque commendatam olim fuisse *Advocatiam* Pistoriensium Episcoporum, vestigia honoris diu servata in novi Antistitis processu innuere videntur. Legi ego olim in Tabulario Episcopatus ejusdem pergamenam, in calce quidem corrosam, quae, ut fert veri similitudo, ad ipsam Cellesiam gentem referenda est; nam in cunctis erga Advocatos suos Episcopi olim perquam liberales esse consueverunt, uti supra vidimus. Et profecto hanc ipsam Chartam exerere juvat, ut Lector evidentius intelligat, quàm plenâ manu sacri olim Pastores Ecclesiae patrimonium in Laicos effunderent.

Inve-

Investitura Plebis Cellensis & subjectarum Ecclesiarum, titulo emphyteusis data Signorecto filio Gerardi a Leone Episcopo Pistoriensi, Anno 1067.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnationis ejus ML-XVII. Mense Novembris, Indictione VI. Placuit atque convenit inter Leo Pistoriensis gratia Dei humilis Episcopus, necnon Signoretto filio bone memorie Jerardi, ut & ipse Leo Episcopus de pertinentia Ecclesiae Domus Sancti Zenonis libellario nomine dare, sicut de presente dedit & tradidit, idest Plebe & Ecclesia illa, cujus vocabulum est Sancti Pancratii, & Sancti Joannis Baptiste, que est edificata prope Celle, cum pertinentiis & jacentiis, que pertinet aut pertinere debet ad supraſcripta Plebe, cum redditum, & oblationem, offertionem, & mortuorum exitum & introitum, atque Cimiteriis, primitiam, & decimationem, quod amodo in antea, Domino Deo donare dignatus est, mobilibus & immobilibus, de Villis illis atque titulis nuncupate. Prima Villa, que dicitur Cella. Alia Villa, que vocatur Viugnano. Tertia Villa, que nominatur Petriolo. Quarta Villa, que vocatur Sancto Justo. Quincta Villa, que dicitur Montagnana. Sexta Villa, que vocatur Campillia. Septima Villa, que dicitur Momigno. Octava Villa, que vocatur Fagno. Nona Villa, que nominatur Rosana. Decima Villa, que dicitur Bovare. Undecima Villa verò, que nominatur Fabrica & ad Arciliano resorti duo. Duodecima verò Villa, que dicitur Casola. Tertiadecima Villa, que vocatur Presciano. Quartadecima verò Villa que nominatur Copano. Quintadecima Villa, que dicitur Lugnano. Sextadecima Villa, que vocatur Gulliano. Septimadecima verò Villa, que nominatur Vitthano: vel per alie locas & vocabula ubicumque, quod ad supraſcripta Ecclesia & Plebe sunt pertinentes, aut pertinere debent undecumque homines de supraſcriptis Villis ...... vel debiti reddendi ad pars supraſcripte Ecclesie; excepto antepono tibi Ville ille, que dicitur Varathano Major ...... prope Neule & Cagriano. Nam aliis omnibus rebus, que ad predicta Plebe sunt pertinentes, & ubicumque de rebus supraſcripte Ecclesie esse invenitur cum resorti duo. Una est posita in loco Carlatico, alia in loco Fagno, ubi Macejo vocatur, cum rebus & terris illis, qui sunt positi in loco Fagno & in loco Bovare. Has supraſcripta Ecclesia & Plebe cum pertinentia sua, que modo ibidem pertinet, aut in antea pertinere debent, excepto quod superius exceptavi, cum offertionem, introitum, & exitum, debitionem, & mortuorum primitiam, & decimam, quod amodo in antea ad jam dictam Ecclesiam Domino Deo, donare dignatus est, & modò pertinet, aut in antea pertinere videtur in integrum ipse Leo Episcopus per se & suos Successores eidem Signorecti, & ad sustitutos heredes ...... dedit & tradidit ad habendum, tenendum, regendum, meliorandum, laborandum, & laborare faciendum ..... privato nomine ad habendum, & supraſcriptam Decimatinem & offertionem & primitiam de .... pensionem recolligendum & recolligere faciendum ...... ipse Signorecto, & supradicti heredes ad ...... & Plebe per vestros conrogatos Sacerdotes & Clericos ministerium Dei diurnum vel noc ......

& Lu-

& Luminariam ibidem prebeatis, aut prebere faciatis, & Censum exin reddere....... supradicti heredes, aut eorum certo misso aput Curte Episcopatu Domus Sancti Zenonis infra Civi..... dicto Leo Episcopus vel ad suos Successores, vel ad eorum Ministeriale, qui pro tempore ibidem fuerit..... Decembris argentum Denariorum bonorum expendibilium de Moneta de Luca Solidos quatuor. Nam non amplius......, ut si quis ex his de suprascriptis convenitoribus, si suprascripto Pontifex, vel suos ..... certo vel suis heredibus de suprascripta convenientia distollere aut minuare, aut supra....... & Plebe ipsa pro ipsis usurpaverint pejoratas vel subtractas, aut in aliquo quod & .... per quem ex eis minus fos....... fuerint, componere debeant ad partem fidem servantem...... XX. quia in tali ordine inter eis...... duo Libelli.

Petrus Notarius, & Judex Sacri Palatii..... Castro de Celle...... hunc Libellum...., facto mea manu scripsi.

Ego Azo Archidiaconus mea manu scripsi...... Propositus in hunc Libello mea manu scripsi.

Ego Vitalis Archipresbyter Sancte Pistoriensis Ecclesie mea manu scripsi.

.... Petri & Rodulfini germani filii bone memorie Rodulfi, & Donati filio bone memorie Petri, rogati testes.

...... Judex sacri Palatii post traditionem complevi & dedi.

Nulla quidem heic *Advocatiae* mentio. Sed quum constet, *Cellesios* subsequutis temporibus Episcopum novum deducere solitos fuisse, aut post illam Investituram Advocatiam suscepere, aut etiam tunc eodem munere fungebantur. Neque enim id opus fuit memorare, quum idem munus, uti fit in Placitis, minime tunc exercerent. Itaque Pistorii eadem ab Episcopo novo praestabantur, quae Florentiae. Scilicet ubi is veniebat ad Monasterium Sancti Petri Majoris, de equo descendens, ac Templum ingressus ibi Abbatissam anulo desponsabat. En verba Salvii Tom. 3. pag. 87. Histor. Pistoriens. editae Anno MDCLXII. Venetiis.

Caeremonia Desponsationis Abbatissae S. Petri Majoris Pistoriensis, a novo Episcopo factae.

A*Ll entrare della Porta della Città erano tutti* gli uomini de' Cellesi, che quivi erano raunati, per dargli l'ingresso all'Antiporto *il quale avevano ornato con panni d'arazzo, imprese, e festoni, e l'accompagnarono per tutta Pistoja. Entrato dentro, i Collegi, che l'aspettavano in San Pierino, se li fecero innanzi. E fatta dal Capo di loro corta diceria, n'andò seguito da questi e da molta gente a San Pier Maggiore, ove disceso da cavallo, montovvi sopra uno de' Cellesi, e teneva uno sprone in mano. E così stette aspettando finchè il Vescovo le sue cerimonie finisse. Egli dunque entrato in detta Chiesa, ornata quant'era possibile, fece orazione. Poi s'accostò, dove era rotto il muro dalla banda del Monasterio; & essendovi un letto di gran valuta, egli sposò Madonna, o vogliamo dire Badessa, alla quale restò l'Anello, ch'era molto ricco e bello. Et andato alla Cattedrale, e fatte quivi molte cerimonie, i Bonvassalli diedero a lui la tenuta del Vescovado.*

Eumdem quoque ritum descripsit P. Dondorius e sacra Cappuccinorum familia in Libro, cui titulus *La Pietà di Pistoja*, quem Anno MDCLXVI. evulgavit. Et illum audiamus, ita de novo Episcopo scribentem.

Alte-

Altera descriptio Desponsationis supra memoratae.

IL Monasterio di San Pier Maggiore di Pistoja è de' principali, massimamente per la funzione, che fa ivi il Vescovo, quando solennemente piglia il possesso della Cattedrale: ed è questa. Fa la sua entrata per porta Lucchese, e colla comitiva, cerimonie, ed accompagnature solite, viene a dirittura a San Pietro, dove sopra un Palco a posta alzato avanti l'Altar Maggiore, dalla Badessa è ricevuto. E dopo una breve Orazione fatta da ambedue in ginocchione, si pongono a sedere in faccia del Popolo, poco il Vescovo dalla Badessa distante. E portato per uno della Corte del nuovo Pastore sopra un bacino d'argento un ricco Anello, Monsignore sposa con esso quella veneranda Madre. Questa cerimonia finita, senz' altro dire, ella torna in Clausura, e il Vescovo seguita la sua gita verso il Duomo. Quivi in nome della Badessa gli è presentato un Letto riccamente fornito &c.

Ejusdem quoque ritus descriptionem infra habebis in Dissertatione LXVI. *de Monasteriis Monialium*. Sed quando prae manibus habemus novi Episcopi Pistoriensis ingressum, quem non vulgares ritus maxime spectabilem faciunt, minime subtrahendum Lectorum oculis puto ordinem, quo Matthaeus de Diamantibus ejusdem Civitatis Episcopus primùm processit ad capiendam suae Sedis possessionem: quod contigit Anno Christi MCCCC. Excerpta fuit haec narratio e brevi Historia, quam manu exaratam reliquit Ser Lucas filius Bartholomaei Dominici, Auctor synchronus & Pistoriensis.

Ordo servatus Pistorii in primo ingressu Matthaei de Diamantibus novi Pistoriensis Episcopi. Anno 1400.

DOmenica mattina a dì 30. di Maggio 1400. si fece la Festa del Vescovo nuovo, il quale è Monsignor Matteo di Ser Lazzaro Diamanti: *e entrò in Pistoja, perciocchè il Papa a Roma l' aveva vestito, e datoli la Mitria, e Pastorale, e l' altre cose, sicchè non aveva se non a pigliare la tenuta. E venne, e fecesi in questo modo, cioè. Egli fu per tempo, come era dato grande e bello ordine, a Santa Trinita fuori di Porta Lucchese con sua Compagnia. Ivi andorno moltissimi Cittadini a cavallo incontroli; e detta la Messa per tempo, a Duomo sonò forte per un gran pezzo la Campana grossa. Ivi vennero tutte le Regole de' Frati con le Croci, e tutta la Chericia. Poi si mosse la Croce di Duomo; innanzi poi quelle de' Frati per ordine. E andorno a Porta Lucchese insine fuori della Porta: e fermonsi allato alla Porta. L'Ufiziali tutti a cavallo andorno incontro al Vescovo, e subito il Vescovo montò a Santa Trinita a cavallo, e venne verso Pistoja in questo modo, cioè. In prima erano innanzi molti famigli di Cavalieri, e Abati a cavallo; poi molti Donzelli dell' Ufiziali a cavallo; poi suoi del Vescovo, di nuovo vestiti di divisa furono quattro; poi erano quelli portano le spade all' Ufiziali; poi li Notari del Vescovo a cavallo; poi due Calonaci parati. L' uno era l' Arciprete, l' altro Messer Bonino. E Messer Bonino portava il Pastorale. Poi* Mon-

Monſignor lo Veſcovo a cavallo in ſu un grande e bello Cavallo, covertato tutto di panno lino bianco ſottiliſſimo e bello; e egli ſuvi parato con Peviale bianco, e con la bella Mitria in capo, e Guanti, e Anella in mano. E venía ſegnando; e intornoli a piedi da ogni lato tre giovani, grandi Cittadini e orevoli, con baſtoni lunghi d' aſta bianca e guanti bianchi. Dirieto a lui tutti gli Ufiziali a cavallo: poi Cavalieri, Giudici, Abati, Prelati, Chierici, e molti Cittadini a cavallo. Quando furono preſſo alla Porta ivi ſi cavorono tutte le Croci dell' Iſtipiti; e Meſſer Giovanni Cibichi prima quella del Duomo, poi ogni Priore del ſuo Convento la ſua portoronla in mano ſenza nulla in capo a Monſignor lo Veſcovo, l' uno di rieto all' altro, cantando dolce, e ſoavemente. E egli a una a una tutte le baciò divotamente. Poi rimeſſe le Croci nelli ſtipiti, s' avviorno a una a una dentro in Piſtoja per Porta Lucchese, prima quella de' Frati Minori, e poi ordinatamente gli altri, com' è uſanza. Quando il Veſcovo fu ſull' entrare dell' Antiporto, quelli della Caſa Celleſi, com' è uſanza, e alloro s' appartiene, ſi fecero innanzi, ſenza nulla in capo; e fatta bella diceria, lo riceverno grazioſamente, e preſenli la briglia, e addeſtronlo, e meſſenlo dentro. E di ciò ſi fece Carta. E erano eſſi Celleſi a pie' d' ogni lato del Veſcovo. E così vennero continuatamente. *E così ſi venne giuſo, ſempre cantando molti belli Inni da San Vitali alla Porta Vecchia, al Malcantone, a San Luca, a San Piero Maggiore. Ivi in San Piero erano i Signori in Coro: e tra dentro, e fuori era e venne tutto il Popolo di Piſtoja, e le trombe, e fuori uno deſco s' unì uno tappeto, & ivi sù montò un Calonaco; e ſposò Monſignor lo Veſcovo, e donò alla Badeſſa di San Piero il Cavallo ſuo; e ſimilmente tutti gli altri ſpoſorono. E ſonando le trombe, entrorno in San Pietro, e in sù la Porta erano due Parati, che l' uno dava l' Acqua Benedetta, l' altro l' Incenſo: e andorno per Chieſa dentro nel Monaſtero. Ivi era acconcio e ordinato molto bene. Ivi ſedea l' Abbadeſſa, e più là erano tutte l' altre Monache ginocchioni. E ivi come giunſe alla Badeſſa, la Badeſſa ſi gittò ginocchioni, e baciolli la mano. Poi ſi poſero a ſedere inſieme. E fatto e detto quello è d' uſanza, ſi la ſposò, e dielli l' anello. Poi ſe ne venne in Coro, e andò all' Altare, e orò, e baciollo, e poi ritornò in giù; e nel mezzo del Coro era fatto un bel Letto, e vi ſi poſe ſuſo a ſedere, e ſtette un poco, e la Badeſſa donò eſſo Letto a Monſignor lo Veſcovo predetto, come è uſanza. E poi fatto queſto le Croci ſi moſſeno, e vennero a Duomo da San Luca, e per Porta Guidi a Duomo a piedi ogniuno, come di ſopra ho detto. E come giunſe a San Pietro, Filippo Zaccharella, e Prete Filippo di Lazzero Ser Conti il preſeno per le valde del Piviale, l' uno da un lato, l' altro dall' altro. E così vennero infine a Duomo con alcuni di rieto a loro, a cui fare così s' appartiene. E entrati in Duomo, tutti i Frati ſe n' andorno, e i Preti entrorno in Coro. E giunto il Veſcovo a piedi delle ſcalette dell' Altar Maggiore, e cavatogli la Mitria di capo per un Calonaco, cominciò il Veſcovo, a cantare* Te Deum laudamus &c. *E tutto il Coro riſpoſe, e cantollo infine alla fine. E il Veſcovo montò sù all' Altare, che era ſcoperto, e orò, e baciollo. E rimiſſenli la Mitria, e preſe il Paſturale in mano, e ſtette ivi retto in mezzo a' Calonaci, in fine che fu compiuto di cantare; e poi diſſe:*

Sit

Sit nomen Domini benedictum, *e fece la Benedizione, come è usanza de' Vescovi. E uno de' Calonaci riprese il Pasturale. E vennero per Duomo alla Porta del Vescovado. Tutto il Duomo e la Piazza era piena di gente. E giunto alla Porta del Vescovado*, ivi erano quelli della Casa de' Buonvassalli. *E il soprascritto Filippo Zacharella, come è usanza disse:* E ci è nissuno della Casa de' Buonvassalli? *E eglino risposero:* Noi. *E egli disse a loro:* Tenete; siavi raccomandato il Signor vostro. *Et eglino senza nulla in capo il presero e ricevettero graziosamente e reverentemente. E messenlo dentro, e messenli la mano sull' uscio: e di tutto si fece Carta publica. E andoronsene suso con tutti gli Ufiziali, e co' Signori, Prelati, Chierici, e Cittadini assai, a' quali fece un grande, e bellissimo desinare, però che erano invitati, e dato l' ordine con molte grandi e belle vivande. Ivi erano quanti giovani c' è a servire, e ordinare. E mandò e fece mandare infiniti e belli presenti per Pistoja a' Cittadini. E desinato, ciascuno se n' andò a Casa con la grazia di Dio.*

Erunt hercle, qui majorum nostrorum ritus hactenus descriptos, ac tandem sublatos, audientes, a cachinnis vix abstinebunt. Sed ita fortasse compositi erant antiquae gentis animi, ut nullam in hisce ritibus deformitatem sentirent. Praeterquamquod mos (*) conservandi, sive, ut ajebant olim desponsandi anulo Sanctimoniales jam professas a multis Seculis invectus, perdurat adhuc in nonnullis Urbibus Italiae. Idque ego Mutinae ac Lucae peractum vidi summa cum religione ab istarum Civitatum Episcopis. Sed jam tempus est monendi, a multis Seculis *Advocatorum Ecclesiasticorum* munus desiisse, unde Cognomen suum aliquot Familiae in variis Urbibus traxere & adhuc retinent. Simul autem desiit *Vicedominorum* officium, de quo nunc pauca mihi dicenda supersunt. Vidimus nuper, *Bonvassallos* novo Pistoriensi Episcopo adstitisse, eumque ab iis invectum fuisse in possessione aedium Episcopalium. Suspicor ego, ad eam Familiam antiquitus pertinuisse munus *Vicedomini*, atque illud hereditario jure in illius gentis posteros transiisse. Vicedominis autem Episcoporum commendabatur cura temporalium bonorum Ecclesiae seu Episcopatus, ita ut nihil a Majore Domus, aut ab Oeconomo (nunc *Mastro di Casa*) differrent. Eorum quoque fuit Vassallis Episcoporum jus dicere, & quum Episcopus supremum diem obibat, ejus domum, ac reditus Ecclesiae custodire. Quapropter *Vicedomini* justitiam petentis ad instar Advocatorum, interdum mentio occurrit in Placitis. Unum ego proferam, quod authenticum in insigni Tabulario Archiepiscopii Lucensis olim sub oculis habui, atque uti idoneum rei testem producere statui.

Placitum coram Petro Lucensi Episcopo habitum, in quo Viventius Archipresbyter, & Vicedominus ejusdem Episcopi causam obtinet contra Ghisbertum Presbyterum, Anno 902.

IN *nomine Domini. Dum nos* Petrus *gratia Dei hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus, *resedissemus in judicio hic Civitate Luca, in broilo sub*

(*) Certe legendum *consecrandi*, aut aliquid simile.

sub lopia prope muro Ecclesie Episcopatui Sancti Martini, *insimul cum Adalberto Archidiacono*, *Paldo &c. Presbiteris Cardinalibus*, *Martino & Petrus Presbiteris*, *Romaldo Subdiacono*, *Laicos homines Ghisulfridi & Adalberto &c. Ibique nostris presentiis veniens* Viventius Archipresbiter & Vicedominus, qui causam da pars ipsius Ecclesie Episcopatui agebat, *& ex alia parte Ghispertus Presbiter*, *filio quondam Auriperti*, *altercationem inter se abentes*. *Dicendum ipse Viventius Archipresbiter* : Volo justitiam habere ab isto Ghisperto Presbitero, eo quod ipse introivit in Ecclesiam Sancti Gervasii Plebes Baptismales, sita loco Verriana, una cum casis & rebus ad eam pertinentes, & tulit exinde oblationes & fruges tam ipse quàm homines, quas ipse trasmisi, & in sua potestatem malo ordine avet. *Hoc dicto respondebat ipse Gispertus Presbiter*, *quod hoc veritas non fuisset. Tunc ipse Adalbertus Archidiaconus interrogavit exinde Viventius Archipresbiter*, *si hoc per testes approbare potuisset hoc*, *quod dicebat*, *an non? Quibus ipse Viventius Archipresbiter dixit*, *quod hoc per testes approbare non posset*. *Et dum taliter diceretur*, *sic ipse Adalbertus Archidiaconus judicavit se wadia dare* . . . . . *ipse Ghisperto Presbiter eidem* Vivenci Archipresbitero & Vicedomino *jurandi ad Evangelia justâ lege*, *quod in Plebe Sancti Gervasii*, *& hi casis & rebus ad eam pertinentes non introisse*, *nec oblationem & fruges*, *exinde tulissent*, *nec homines a tollendum misisset*, *neque infra potestatem abuisse malo ordine*, *pro quod legibus componere deberet*. *Et ipse Viventius wadia paratus esset sagramentum ipsum ab eo schultandum posuerunt inter se fideliter*. *Verè constituto & ipse Viventius Archipresbiter cepi dicere aversus eundem Ghispertus Presbitero* : Volo scire, si iste Ghispertus contendere aut contradicere vuld suprascriptam Ecclesiam Sancti Gervasii cum casis, & rebus ad eam pertinentibus, aut si abuit & abet exinde ordinationem, aut electionem, vel qualibet scriptionem, aut firmitatem, per quas ipsam Plebem, vel rebus ejus contendere, aut contradicere possit. *Tunc ipse Ghispertus Presbiter continuo ante nos professus dixit* : De ipsa Ecclesia Sancti Gervasii, & casis & rebus ejus ordinationem, nec electionem, neque firmitatem numquam abuit, nec abeo &c. *Dum ipse Ghispertus Presbiter taliter ante nos professus & manifestus fuisset*, *rectum nobis paruit esse*, *qui supra Adalbertus Archidiaconus*, *& suprascriptis Presbiteris Cardinales*, *ita judicavimus*, *ut abere pars Episcopatui* . . . . . *suprascripta Ecclesia Sancti Gervasii cum casis &c. sine contradictione ejusdem Ghisperti Presbiteri &c. Unde hanc notitia Cospertum Notarium scribere jussimus*, *Anno Imperii* Domni *nostri* Hludowici *gloriosissimi* Imperatoris, *postquam in Italia ingressus est*, *Secundo*, *XIV. Kalendas Junii*, *Indictione V.*

Ego Eripaldus Presbiter Cardinalis interfui.

Ego Teusimundus Presbiter Cardinalis interfui.

Ego Adalbertus Archidiaconus interfui.

Ego Roppertus Presbiter Cardinalis interfui &c.

Ego Ghiselfridi Notarius & Schabinus interfui &c.

Verùm ex Charta ista minime deducas velim, *Vicedomini* munus idem fuisse atque *Advocati*. Du Cangius quoque haec scribit: *Vidominos etiam ex Ordine Cleri habuere Abbates*, *qui inter-*

interdum iidem, *qui Advocati*. Quam ſententiam ad Epiſcoporum quoque *Vicedominos* extendit. Non ſubſcribo. Diverſa haec munera ſemper fuere. *Vicedominis* oeconomia bonorum Eccleſiaſticorum commendabatur. Advocatis tutela. Et quamquam interdum *Vicedomini* identidem occurrant tuentes in judicio jura Eccleſiae, non idcirco eodem, quo Advocati, munere fungebantur. Ii ab inſtitutione ſua e Clero tantùm aſſumebantur, ſed progrediente tempore id munus etiam delatum fuit Saecularibus viris, & per ſucceſſionem in una Familia perdurabat; *Advocati* contra ſemper e Laicorum coetu aſſumti fuere. Atque inde prodierunt *Vicedominorum* Familiae (nunc Italice *Vicedomini*) celebres in quibuſdam Civitatibus. In aliis verò *Vicedomini* munus Eccleſiaſtica dignitas adhuc eſt in Canonicorum Collegiis, ac praecipue in Mediolanenſi. Florentiae *Vicedominorum* Familia tempore Dantis vigebat, atque ad eam ſpectabat adminiſtratio redituum Menſae Epiſcopalis Sede vacante. Propterea is ſcribit Paradiſ. Cant. XVI.

A

Così faceano i padri di coloro,
Che ſempre che la Chieſa voſtra vaca,
Si fanno graſſi ſtando a Conciſtoro.

Haec Dantes de *Vicedominorum* Familia, uti ſcribit Benevenutus de Imola in Commentariis MStis. Et Ughellius quidem Tom. 3. Ital. B Sacr. in Epiſcopis Florentinis, Chartam refert *Raynerii Epiſcopi*, Anno MLXXXIV. ſcriptam, cui ſubſcribunt *Guido Vicedominus*, *Albizo Cauſidicus & Vicedominus*, *& Petrus Vicedominus*. Quod ſane rarum: uno quippe Vicedomino uti conſueverunt Antiſtites ſacri, ibi verò tres uno tempore memorantur. Clariſs. vir C Don Virginius Valſecchius Monachus Benedictinus in Piſana Academia Profeſſor, Anno MDCCXXVII. Epiſtolam edidit *de veteribus Piſanae Civitatis Conſtitutionibus*: & rarum ibi nobis exhibuit Judicatum, ex quo intelligas, quale olim foret Vicedominorum munus. Chartam plane dignam, quae majori luce fruatur, in- D ferre huc ſtatui. Deſumta haec fuit e Tabulario Piſani Archiepiſcopii.

Judicatum Reghinardi Piſani Epiſcopi, & Locopoſitorum Piſanae Civitatis in controverſia agitata inter Arnulfum Vicedominum, & quoſdam Clericos, contendentes, ſe liberos eſſe homines, non verò Servos Piſanae Eccleſiae, Anno 796.

IN *Chriſti nomine. Amen. Regnante piiſſimo* Domino noſtro Carulo *viro excellentiſſimo* Rege Francorum & Langobardorum, *hac* Patricius Romanorum, quod *Langubardia cepi*, *Anno Vigeſimo Secundo*, *&* Domino noſtro Pippino Rege Langubardorum *filio ejus Anno Regni ejus Sextodecimo*, *Quinto die intrante Menſe Junio*, *Indictione Quarta*. *In Dei nomine*, *dum* E *reſediſſe* Reghinardus *in Dei nomine vocatus* Epiſcopus *Sancte* Eccleſie Piſane Civitatis, *& nos inſimul* Petrus Diaconus, Fiducia Clericis, Locipoſiti ſupraſcripte Eccleſie hujus Piſane Civitatis, *atque & Dondò idem Scabino de Piſa*, *ubi a lerant nobiſcum & Thomas Diaconus*, *Otus Presbiter*, *Chunifrid Presbiter*, *Roſchiſi Presbiter*, *Johannis Clericus*, *Hildipertus Subdiaconus*;

Grimpo

Grimpo Clericus, Sanitas Notarius, Sachipertu Clericus, Petro Clericus, Baucherat Vassus Domini Regis, Willardo gart istabili manepas, *Guntpertus filius quondam Ursi, Teodingo, Pertualdo, Amulo, Allo, Gumprando & Walprando germanis, Grauso Clericus, Sulprando, Kundifrid, Lautpertus, & alios plures. Venerunt ibi ante nos* Arnulfus Vicedomui, *nec non & Sotprandulu, Aspertulu Clericus, & Perticausulu germanas personas, altergationem habentes. Dicebat* Arnulfus Vicedomoi *contra jam nominatos Sotprandulo, Aspertulu Clericus, & Perticausulu*: Pro quas res personas vestras queritis subtrahere de servitio Sancte Marie, quia quondam Anscausulu genitor vestrorum servo fuit Sancte Marie Domoi Episcopalis Civitatis Pisana. *Hac contra respondebat suprascripti Sotprandulus, Aspertulus Clericus, & Perticausulu*: Non faciat dictus, quod genitor nostrorum servus fuisset Sancte Marie, nec nos de personas nostras servi esse devemus, nisi tantùm de ipsa Casa Sancte Marie hic fecimus servitio pro liveris homenis. *Tunc qui supra Petrus Diaconus, Fiducia Clericus, seo Dondo Scabini pertractantis nos una cum suprascripti Auditores judicabimus, & wadiam dare fecimus Arnulfus Vicedomoi, ut consignare per testimonia, qualiter Ascausulu pater Sotpranduli Clerici, & Perticausuli, servus fuisset Sancte Marie, & ante nos eorum fidejusso reposuet. Et dum prefatus Arnulfus ivi presentem testimonia ante nos presentasset, & nos eos singulatim, & diligenter sub Dei timore inquisivimus; in primis Tiontis dixit: Iscie Ascausulu pater istorum Sutpranduli, Aspertuli Clerici, & Perticausuli infra triginta annos esset servus Sancte Marie, & quando Rinevaldo battedit ipsum Ascausulu, ad partem Sancte Marie composuet. Gumprando filius quondam Gausperti similiter dixit. Aurulus germanus ejus similiter dixit: Audilasci Presbitero dixit*: Scio, Sicualdo Presbiter esse Vicedomoi Sancte Marie, & prindere Ascausulu pater istorum Sotpranduli, Aspertuli Clerici, & Perticausuli, & batebant eum pro servo, & infra trigintas annos servo fuit Sancte Marie de persona sua. *Post testimonium vero reddito ipse testimonia unusquisque ipsorum germanis per Dei Evangelia juratus dixerunt ante nos*: Sicut testimonium rededimu, sic fuit certa veritate. *Et insuper Arnulfus Vicedomoi ante nos omnes Sotpranduli, Aspertuli Clerici, & Perticausuli juratus dixit.* Per sanctam Dei Evangelia, sicut testimonias istas ad parte Sancte Marie testimonium reddiderunt, sic fuit certa veritate. *Postea interrogabimus nos Petrus Diaconus, Fiducia Clericus, & Dondo Scabini jam dictos Sotprandulo, Aspartulu Clericus, & Perticausulu, ut si poterit adaniare livertate sua, aut per chartulam, aut per testimonia vel possessionem juxta lege quidem: ipsi dixerunt, quod sua livertate adprovare poterit, & taliter ipsi Arnulfi de consignationem wadiam dare fecimus. Tunc ibi presentem Sotprandulo, Aspertulu Clerico, & Perticausulu post wadiam data manifestaberunt in judicio ante nos omnes*, quia neque per testimonia, neque per chartulam, nec per possessionem juxta lege, nulla consignationem, sicut wadiam dedimus de persone nostre, qualiter liveri fuissemus facere non potemus, nec livertate nostra adaniare non potemus, quia servi sumus de persone nostre Sancte Marie Domus Episcopalis Pisane Civitatis. *Unde nos, qui supra Petrus Diaconus, Fiducia Clericus, & Dondo Iscabini, judica-*

judicavimus , ſicut Arnulfu Vicedomoi per teſtimonia conſignabit , & per ſagramentum firmaverunt ; & ſecundùm ipſorum manifeſtationem judicabimus deſervire in Caſa ſancte Marie de perſonas ſua pro ſervi omnibus diebus vite ſue . Et fenita eſt inter eis cauſatio . Et hanc notitia Judicati Iſtaipertu Notario ſcribere ammonuemus .

Actum Piſas per Indictione ſupraſcripta feliciter .

✠ *Ego Petrus Diaconus in unc Judicatu ad nos factu manus mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Fiducia Clericus in hoc Judicato ad nos factum manus mea ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manus Dondi Lociſſi* (fort. *Loco poſiti , vel Loci Servatoris*) *qui hunc notitia Judicati pariter fieri ammonuet .*

✠ *Ego Thomas Diaconus in hoc judicio interfui .*

✠ *Ego Otus Presbiter in ohc judicio interfui .*

✠ *Ego Chuniſridi Presbiter in hoc judicio interfui .*

✠ *Ego Roſchiſi Presbiter in hoc judicio interfui .*

✠ *Ego Johannes Clericus filius Alpert in oc judicium interfui .*

✠ *Ego Sanitas Notarius in hoc judicio interfui , & manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Nonpertu Subdiaconus in hoc judicio interfui .*

✠ *Ego Ghrimpo Clericus in hoc judicio interfui .*

✠ *Ego Rachipertus Clericus in unc judici interfuit .*

Signum ✠ *manu Gumperti filio quondam Urſi in hoc judicio interfuit .*

✠ *Ego Teudintu in hoc judicio interfui .*

Signum ✠ *manus Amuli filio quondam Pertuinghi in hoc judicio interfui.*

Signum ✠ *manus Alli filio Aduli in hoc judicio interfuit .*

✠ *Ego Grauſus Clericus filio Dondi in oc judicio interfuit .*

✠ *Ego Petrus Clericus filio quondam Ftuiſrigi in oc judicio interfuit .*

✠ *Ego Suilprandus filiu quondam Tinſuli in oc judicio interfui .*

Signum ✠ *Walprandi filio quondam Auruli in hoc judicio interfui .*


Ego Staipertu Notarius poſt rovoratam ſupplevi .

Locipoſiti heic memorati, Vicarii fuerint Comitis, ſive Praefecti Civitatis, qui tunc fortaſſis aberat, & una cum Epiſcopo ad judicium ſedent. Interfuerunt etiam *Willardo Gart. Iſtabili Manepas*. Neſcio an ſcribendum ſit *Gaſt.* ideſt *Gaſtaldius*, & *Marepas*, ſive *Marepais*, hoc eſt *Strator*. Sed quando erudite pro more de *Vicedominis* multa loquuti ſunt Clariſſimi Viri, Ludovicus Thomaſſinus in Lib. de Veter. & nova Eccleſiae Diſciplina, & Du-Cangius in gloſſar. Latin. ego rem innuiſſe contentus, hoc unum addo, ſi quando controverſia de praediis olim erumpebat inter Eccleſias, & privatas perſonas, quae Chartarum ope dirimi non poſſet, compluribus Epiſcopis, Abbatibus, & Abbatiſſis conceſſum fuiſſe, ut aut adductis teſtibus, aut jurejurando ſuſcepto per Advocatum ſuum, liti finis imponeretur. Cujus privilegii etſi multa in hoc ipſo Opere exempla dederim, unum tamen heic proferre ſtatui, deſumtum ex Tabulario Capituli Canonicorum Parmenſium.

Privi-

Privilegia nonnulla Ecclesiae Parmensis, incendio consumta, Berengarius Imperator novo Privilegio, Aicardo ejus Urbis Antistiti reparat, Anno 920.

IN *nomine Sanctae & individuae Trinitatis.* Berengarius *divina favente clementia*, Imperator Augustus. *Juste quidem fore credimus, si in Ecclesiarum Dei desolatione dexteram misericordiae porrigamus, & eas nostro clippeo protectionis muniamus, & relevare satagimus pro pace Regni, & futura manente mercede. Igitur omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque presentium semper, & futurorum comperiat sollertia, quia* Hicardus *sanctae* Parmensis Ecclesiae *venerabilis* Episcopus, *nosterque dilectus fidelis, per* Grimaldum, *&* Odelricum *illustres* Comites, *& dilectos fideles nostros, nostram adiit clementiam pro eo quod peccatis ingruentibus divini flagelli repentino incendio Civitatis ejus Ecclesia cum suâ Canonicâ igne consumpta est, ubi inter cetera ornamenta, quaedam munimina ipsius Ecclesiae, & praefatae Canonicae (heu proh dolor!) perierunt. Super quibus idem Praesul deprecatus est nostram mansuetudinem, ut pro honore Sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae, nostraeque animae mercedis intuitu, ipsius res, quarum munimina interierunt, taliter nostro corroborassemus Edicto, ne a pravis, aut occasionariis personis ipsa Ecclesia vel Canonica, necnon & Plebes sibi subiectae in suis rebus dampnum paterentur. Cujus precibus aures misericordiae, prout dignum fuit, inclinantes, pro affectu consulimus, & hoc dampnum cum fidelibus nostris compossibili indignacione pertractantes, jussimus prelibato fideli nostro hoc nostrum fieri Praeceptum. Per quod statuimus & decrevimus, ut ipsa Ecclesia cum sua Parochia omnes suas res, quocumque ingenio adquisitas, ubicumque sitas, de quibus hactenus investita fuit, per hoc idem nostrum Praeceptum habeat & possideat & defendat, tam per inquisitionem,* quamque per sacramentum adjurante suo Advocatore, *ut eo die, quando ipsum incendium repentinum advenit, suprataxata Ecclesia corroboratas firmitates exinde haberet, & in suo proprietario jure teneret. Si quis verò, quod minime credimus, hujus nostri Praecepti paginam aliquando infringere aut violare temptaverit, sciat se compositurum auri Libras optimi sexaginta, medietatem Palacio nostro, & medietatem eidem Parmensi Ecclesiae. Et hoc ut verius firmiusque ab omnibus credatur & observetur, manu propria subter firmantes, anulo nostro insigniri jussimus.*

Signum Domni  *Berengarii serenissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Clericus & Notarius ad vicem Johannis Cancellarii recognovi & subscripsi.

Data

Data Mense Octobris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXVI. & Anno Domni Berengarii V. Indictione VIII.

Anture Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Descriptum ab aliis hoc monumentum accepi: atque utinam accuratius e membrana expressum fuisset. Certe heic notae Chronologicae intolerandis erroribus laborant, quos Librario potius quàm antiquae pergamenae tribuendos puto. Ita ergo, si me audire vis, restitue: *Data Mense Octobris Anno Dominicae Incarnationis* A *DCCCCXX. & Anno Domni Berengarii V. Indictione VIII.* aut *VIIII.* Ibi quoque locum dati Diplomatis corruptum puto. Emendationem verò a me adhibitam juvare & confirmare poterit alterum Diploma, eisdem ferme diebus, Aicardo ipsi Parmensi Episcopo concessum, & ex eodem Chartophylacio depromtum.

Confirmatio omnium Privilegiorum Episcopii Parmensis facta a Berengario Imperatore, Anno 920.

IN *nomine Domini Dei aeterni.* Berengarius *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Si recolendae matri Ecclesiae necessariam solaminis opem impertimur, eique nostrae protectionis dexteram porrigimus, a Christo, qui Ecclesiae sponsus est, pro hac re nos specialiter sublimandos, minime diffidimus. Unde notum esse volumus omnibus ejusdem sanctae Dei Ecclesiae Fidelibus, nostrisque, praesentibus ac futuris; qualiter interveniente* Odelrico *gloriosissimo* Marchione nostro, Aichardus *reverentissimus* Parmensis Ecclesiae Praesul, *nostram adiit celsitudinem, nostris optutibus offerens quaedam Praecepta Praedecessorum nostrorum, Regum videlicet ac Imperatorum, quibus Dominae nostrae Dei Genitricis & Virginis Mariae Basilicae, quae ipsius Parmensis Episcopi caput est....... donaria, multiplicia que beneficia, ab ipsis ibidem collata, corroboraverant; universas res quocunque modo eidem venerabili loco ab animabus fidelibus collatas, per quae etiam Praecepta inibi statuerant, ut si* B *vel subeunte vetustate vel negligentia, vel ignium impetu occupante, instrumenta Cartarum deficerent, de rebus, unde eadem Ecclesia legitimam teneret vestituram, nullus eam exueret, sed per vicinos & circummanentes probatas....... per munimina & diversa instrumenta Cartarum possideret. Quibus oblatis suppliciter imploravit nostram munificentiam,* C *ut nostrae auctoritatis Praecepto roborare dignaremur, & eadem Praecepta, & quae ab ipsis Praeceptis...... videbantur. Nos quidem hujusmodi petitionem ratam existimantes, id fieri annuimus, hoc nostrum Pragmaticum scribi jubentes, per quod eidem Parmensi Ecclesiae tam eadem Praecepta, quamque universa Cartarum instrumenta.......* D *res mobiles & immobiles, servos & ancillas, Aldios & Aldianas, & omnia, quae ab Antecessoribus suis, usque ad tempus ejusdem Aicardi Episcopi possedit, & quaecumque inposterum per fideles animas adeptura est, confirmamus, concedimus....... ut tene t & possideat, fruaturque jure perpetuo sine qua-*

libet inquietudine & . . . . . . ipsius Ecclesiae munimina flammâ consumptrice perierint, statuimus, ut de rebus suis tamquam pars nostra publica per vicinos inquiestum . . . . Si quis igitur hoc nostrae auctoritatis, concessionis, & confirmationis Praeceptum infringere vel violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Camerae nostrae, & medietatem praedicto Aichardo venerabili Episcopo, suisque Successoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius observetur, manu propria roborantes, anulo nostro subter insigniri jussimus.

Signum Domni (M.) *Berengarii serenissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data VI. Kalendas Octobris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Berengarii serenissimi Regis XXVIII. Imperii autem sui V. Indictione VIIII.

Actum Papiae, in Christi nomine feliciter. Amen.

Heic Notae omnes Chronologicae recte procedunt, si Annos Regni excipias, in quibus describendis nullo negotio agnoscas, Librarium hallucinatum fuisse; nam pro *XXXIII.* scripsit *XXVIII.* hoc est unum *V.* pro *X.* sumsit: quod in aliis & vetustis & recentibus exemplis interdum contigisse animadverti. Denique *Advocatorum* ejusmodi familiare munus fuit, quod & apud veteres Romanos institutum atque usurpatum novimus, tueri in judicio ac litibus erumpentibus caussas Ecclesiarum, in judicio stare, ac pro iis petere & excipere, immo & aliis Contractibus adesse, ne quid detrimenti Ecclesia pateretur. Exemplo uno rem conficiam. Salerni regnante Rogerio I. Siciliae Rege, quarumdam Ecclesiarum Presbyteris infestus erat Landolfus filius Ademari Comitis. Opem iis ab Archiepiscopo Guilielmo implorantibus, Advocatus Archiepiscopi Landolfum ad Judices traxit, & victor in caussa discessit. Rursus eosdem Presbyteros infestante Landolfo, idem Advocatus Judicum praesidium imploravit, atque iterum decretum est, ut nihil aliud oneris Presbyteris incumberet, nisi dandi Landolfo aliquot *Candelas*, & *duas Salutes singulis annis*, eique cantandi Missam, quoties vellet. *Salutes* dicebantur Xenia (nunc *Regalo* Lingua nostra appellat, & inde *Salutaticum*, ut puto vectigalis, seu doni genus, a navibus persolvendum) sive ex piscibus, sive ex aliis rebus comestibilibus, quae directo domino pensitabantur. Chartam exhibeo depromtam ex Tabulario insignis Monasterii Cavensis.

Sententia Judicum Salernitanorum, pro quibusdam Presbyteris contra Landolfum Ademari Comitis filium, instante Guilielmo Archiepiscopo Salernitano. Anno 1151.

IN nomine Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Quinquagesimo Primo, & XXI. Anno Regni Domini nostri Rogerii Sicilie & Italie gloriosissimi Regis, & Primo Anno Domini Gulielmi carissimi ejus filii, Mense Octobris, XV. Indictione. Nos Petrus Protojudex, & Johannes, & Alfanus, & Petrus, & Salernus, Judices Salernitane a Deo conservande Civitatis, brevem recordationem facimus, quod cum Alumpo Domino de Fasanella, & Florio de Camarata, Justitiariis, & ab Alfano Camerario invictissimi dicti Domini nostri Regis, Curia solemniter celebraretur, ante nostram & aliorum presentiam Domnus Guilielmus venerabilis noster Archiepiscopus per Advocatum suum prius revocavit quoddam Placitum, quod Anno praeterito tractatum & definitum fuerat in Curia ejusdem Domini Regis, celebratâ in Palatio Terracine. Dum enim predictus Dominus noster Rex in eodem Palatio moraretur, coram Cossa, Buccafurno, & Gualterio de Misiano, & dictis Lampo & Florio Justitiariis, & alii, qui tunc aderant, facta est talis proclamatio a parte prefati Domni Archiepiscopi adversus Landolfum filium quondam Ademari Comitis, quod ipse Landolfus invaserat terras cum arbustis, Ecclesie Sancti Petri, & Ecclesie Sancti Laurentii, & Ecclesie Sancti Martini, que site sunt in territorio Nucerino, & per suam violentiam expulerat inde Presbyteros ipsarum Ecclesiarum, quos Domnus Archiepiscopus ibi ante ordinaverat. Ad quos prefatas Landolfus responderat, se ideo Presbyteros de suis Beneficiis expulisse, quia de Cantare & de Altari sibi non serviebant, sicuti Mantoni olim fratri suo erant soliti servire. Ad quod prefati Presbyteri responderunt, quia nunquam Mantoni fratri suo aliud dare soliti fuerant, nisi per aliquas vices Candelas, & duas Salutes, alteram in Pascha, alteram in Natali Domini: & cum Missam audire vellet, Presbyteri eam cantarent sibi. Cumque diu multumque res ventilata & examinata fuisset, tali veritate a Curia cognitâ, judicatum fuit, ut prefatus Landolfus restitueret Presbyteris, & parti ejusdem Domni Archiepiscopi terras & arbusta ipsarum Ecclesiarum, & quidquid inde abstulerat. Et Presbyteri earundem Ecclesiarum nihil dare cogantur prefato Landolfo, nisi Candelas per vices, & Duas Salutes per annos singulos, & Missas sibi cantarent, sicut dictum est hoc Placitum anni preteriti. Per Advocatum suum prefatus Domnus Archiepiscopus adversus eundem Landolfum proclamationem fecit, quod ipse Landolfus easdem terras earundem Ecclesiarum, & Beneficia eorundem Presbyterorum iterum invasit, & per suos ministros vendemiari fecit. De quibus judicium & definitiva sententia data fuerit anno preterito in Palatio Terracinensi. Quod jam dictus Landolfus cum primis negare vellet, tandem confessus est, ministros suos arbusta suo precepto vindemiasse. Tunc nos, & dictus Lampus de Fasanella, & Florus, & Guaimarius Terracinenses Justitiarii, recordati sumus, quod anno

anno preterito coram nostrâ presentiâ sic fuerat tractata causa, & sic fuerat inde judicatum, sicut superius scriptum est. Hanc commemorationem facere de judicio preteriti Placiti, quod tractatum & definitum fuerat in Terracine Palatio, consilio habito in universa Curia judicatum est, id ipsum debere teneri & observari, quod anno preterito in Palatio Terracine presentialiter fuerat definitum. Videlicet ut predictus Landolfus restitueret, & deinceps quiete pacificare haberet predictum Domnum Archiepiscopum, & partes ejus predictas tres Ecclesias sitas, ut dictum est, in territorio Nucerino, cum terris, arbustis, & omnibus pertinentiis suis. Nec aliud a Presbyteris earum exigeret, nisi ut superius legitur, per aliquas vices Candela, & per annos singulos binas Salutes, *alteram in Pascha, alteram in Natali Domini, &* Missam sibi cantarent. Tanus *verò nullus ab eis exigeretur. Et quoniam quod in prima Curia judicatum, constitutumque fuerat, ausus fuerat saepe dictus Landolfus removere, nomine pene dare Curie judicatus est............ Verum de talibus constituerunt & voluerunt predicti Justitiarii, Lampus videlicet & Florius, que superius leguntur, te Landolfum Notarium ad memoriam in scriptis redigere jussimus.*

✠ *Ego qui supra Petrus Protojudex.*
✠ *Ego qui supra Johannes Judex.*
✠ *Ego qui supra Alfanus Judex.*
✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*
✠ *Ego qui supra Salernus Judex.*

Ceterum de veterum Advocatis, sive *de Advocatia armata*, spissum edidit Tractatum *Martinus Magerus*, eruditus in Germania Jurisconsultus, quem consulere plura cupienti licebit

DE

DE VARIO STATU

DIOECESEON EPISCOPALIUM.

DISSERTATIO SEXAGESIMAQUARTA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMAQUARTA.

Vidimus in Dissertatione XXI. *de Statu Italiae*, atque in Dissertatione XLVII. *de Amplificatâ Civitatum Italicarum potentiâ*, quot mutationibus obnoxii olim fuerint politici regiminis ac Urbium fines. Nunc disquirendum, an meliori sidere Ecclesiae, earumque Dioeceses fruerentur. Sine haesitatione credendum, quamquam longe firmiores antiquis etiam Seculis fuerint Episcopatuum limites, nihilominus ne ipsos quidem perstitisse humanarum rerum vicissitudine immunes. Erant & inter Episcopos, non secus atque inter Urbes, aliquando controversiae de finibus Dioeceseon. Idque potissimùm ediscere licet ex iis, quae infra in Dissertatione LXXIV. *de Parochiis* sum allaturus. Atque heic non reticenda lepida ratio, quam iniisse feruntur Episcopi Mutinensis ac Bononiensis, ut litem de finibus suarum Dioeceseon diu flagrantem componerent. Primus Carolus Sigonius, illustre Mutinensium decus, Lib. I. de Episcopis Bononiensibus haec habet ad Annum DCCXLIV. de Praesule Bononiensi, cujus nomen ipse ignorabat: *Dioecesim cum Episcopo Mutinensi hac ratione divisit. Factâ inter se sponsione singuli delecti utrimque juvenes sunt, viribus corporis ac pedum pernicitate aequales, quorum unus Bononiâ, alter Mutinâ eodem die, horâque profecti, cursum quàm velocissime intenderunt. Atque ubi inter se obvii fuerunt, ibi communes terminos utriusque Ecclesiae posuerunt. Hujus rei vetus monumentum exstat in Actis Civitatis, neque est aliud eo vetustius.* Peregrinam hanc narrationem, ut fieri solet, ambabus ulnis excepit, atque expressit in suo Catalogo Episcoporum Mutinensium Sillingardus Episcopus noster: tum Ghirardaccius in Historiam Bononiensem intulit; eamque rursus in Italiam Sacram invexit Ughellius, qui eo tempore Bononiensium Episcopum statuit *Clarissimum*, postea *Barbatum* subjiciens, quum tamen ex ea Inscriptione, quam ipse adfert, liqueat, Barbatum floruisse Liutprando Rege regnante, & ante Ratchisium, atque ideo ante Annum DCCXLIV. Porro Amicus meus eruditissimus D. Gaspar Berettus Monachus Benedictinus, num. 33. Dissertationis Chorographicae, praepositae Tomo X. Rer. Italicarum, Sillingardum ridet, atque hoc factum ad fabellas amandat. Riseram & ego, quum primùm legi: neque enim quicquam excogitari potest tam alienum a sapientiâ illorum Praesulum, ac similitudine veri

veri destitutum, quàm adeo fallaci ac puerili invento, ejusmodi controversiae decisionem committere; & praesertim quod necesse foret, ut boni Mutinenses elegerint pro se claudum, quando ad Mutinam ambo cursores, unus tam lentus, alter tam velox occurrerunt. Quare Bononienses amicos rogavi, ut sinerent me intime posse rem perscrutari. Illi verò, qui commenta etiam in utilitatem, gloriam-ve Patriae suae fabricata minime amant, immo aspernantur, humanissime e pervetusto suo *Registro* Chartam ipsam descriptam ad me miserunt: quam evulgare non ingratum Lectoribus futurum puto.

Charta commenticia de divisione finium inter Episcopatus Mutinae atque Bononiae, Anno 745.

De quadam antiqua determinatione Episcopatus Bononiae ab Episcopatu Mutinae.

IN nomine Dei eterni. Regnante Domino nostro Excellentissimo seu magnifico Rege Longobardorum in Italia...... Rachis Imperaduro Augusto, Anno Imperii ejus vel pietatis a Deo coronando pacifico Rege imperio Secundo die Mense Septembris pro Indictione Quinta. Quando verò ipsio Donus Imperator Augustus conmoravad in Corte Cardeto, regalia ejus donega, cum magnifico Povulo Longovardoro, super intentione litis de Episcopo sancte Bononiensis Ecclesie, nec non sancte Motinensis Ecclesie, de confinia sua trovada in terminatione controvada eodem fecisse convintione & controvatione devenire homines ipsius Episcopio Bononie incontra ominis Episcopio Mutine. Tunc controvare, cod primitas voce galli canto consurgere & movere se tirare illi incontra illi, & ubi se se conjunsiere insimul, ibi debebant facere terminationes. Facta autem controvatione per singolas personas per singulos Episcopios Bononie & Motine consurgerent, & iterati sunt itinere noctis custodia quilli incontra quillis, tantum, cod pervenere in Strada Predosia, se vero limite Plano conjunsiere se insimul ambas partes in ipsa noctis, & per illius ambas partes collaudatione controvavere, grande una petra ficaverunt in Strada da ambas parte Strada Predosa. Item duas petras ficaverunt, ut memoria sit a retinenda impostero de perpetuis temporibus. Postea patefacta veritate, non volebant stare in ipsa conventione. Partes aliqua de eo roveniere in Corte Cardeto in conspectu suprascripti Regis Augusti excellentissimi Imperatoris ex..... Longovardoro mandavit seu precepit, ut a notitias factas da ambas partes, ut que neque quilli, & incontra quilli veniere amplius, neque de sacratione, neque de ordinatione, neque aliqua judicatione peccatoro, seu de consecratione Presbiterorum seu Clericorum, vel de ulla aliqua re, qui ad Episcopio pertine, ordinationem non amplius pertineat ex ipsa re ultra eodem limite Plano, excepto Pleve Sancti Anastasii de ipsa Pleve contra planitias. Et sia vocado d' amodo limes Mutia: & cod homines Bononie Ecclesia Mutia-ve...... pedes duodecim ultra suprascripto limite aveas ipso Episcopio Bononie pro rectitudine eoro limitem Mutia per usque flovio Lucido. Item per usque a Pleve Sancti Mar-

Martini, ut ipsi & illi aveas, illi da una parte limitem, & illi da alia parte illius limitis onne a consecrationibus, onne...... onne a districtionibus, qui ad Episcopio pertines, in jura & potestate, dominioque illorum Episcoporum veneranda religiositate sacratissimas Ecclesias vocabulo Sancte Marie Virginis sancte Motinensis Ecclesie, atque beati Petri Apostoli sancte Bononiensis Ecclesie, & onne a successitas illorum de perpetuis temporibus da successore in successore in perpetuum. Cod nullus unquam Augustus neque Augusta da presenti die in antea licentia avea inrumpere nostra annotatione & colaudatione, vel violavere. Et si qui contrafecerit, vel violaverit, nihil legis aveat virtute, si quid in leges situm vel propositum est de pactionibus vel pacti, conventionisque fides servanda est, cod judicavit Conselmus Judice, seu Adelperto Judice, atque Ildeprandus Judice, seu Odelberto Judice, adque Lannis Judice, seu & multos Scavinos ad causa intenta audienda, & colaudanda, ut ac notitia memoranda facta inposterо tenenda colaudanda, ut quiqui confregerit vel violaverit seu inruperit vel aperierid da ullo, qui Agusto sive Agusta sit, ut nihil petat, ut nihil valeat, nihil firmitatis obtineat, sed sit irritum factum & violatum perpetuis temporibus corruptum. Et si qui contra petierit, componat poena ab Agusto statuta auro obrizo optimi Mancosos mille, & argenti Pondera cento; aut qui modo presente Episcopio sinit, aut qui de ullo qui tempore successore illorum fuerit in perpetuum. At enim a notitia me Adelberto Notario rogato, & da summo Agusto preceptado asrivii, ut imposterо memoria retenenda de cuncta statuta illius a presentibus Ducibus, Comitibus, Warius Duco, Rotharius Duco. Johannes Duco, Urso Duco, Anestasio Duco, Ansilmus Duco, Desiderius Duco, Demetrio Duco, Gricorius Duco, Florius Duco, Petro Duco, Mechis Duco, Tedis Duco, Notepertus Duco: Voderagus Comes, Alterius Comes, Hipone Comes, Ugo Comes, Aldeberto Comes, Odelberto Comes, Mundus Comes, Framundus Comes, Sigelardus Comes, Gothus Comes, & alios innumerabiles omnissis, qui.... presentaneastatuta conlaudatione illorum.

Conselmus Judice interfue.
Ildeprandus Judice interfue.
Artmus Scavino interfue.
Adelperto Judice interfue.
Odelberto Judice interfue.
Lanno Judice interfue.

Profectò miratus sum, quei Sigonius, vir emunctae naris, & in Historia Italici Regni, corumque temporum Chartis, aevo suo versatissimus, minime animadverterit, heic agi de putida impostura, cujus figmenti signa apertissima vel in oculos tironum incurrere possunt. Verùm Sigonii Opus de Episcopis Bononiensibus, illo jam e vivis sublato, atque adeo inconsulto, in lucem prodiit. Fortassis haec ab illo minime haberemus, si vivens ipse suscepisset edendi Libri curam. Veri, inquam, mihi videtur similius, quum postumo ejus labori non unus pannus adsutus fuerit (ut jam monui in Vita ejusdem Sigonii Tomo I. illius Operum, nuper Mediolani recusorum) nos heic in unum ex iis additamentis incurrere. Animadverte quaeso, obvium nos habere in Charta ista Ratchisum Regem Langobardorum *Imperatorem* simul & *Augustum*. Ad exsibilandam Chartam nihil aliud est opus. Attamen adde, Anno Secundo Ratchisii Regis, idest Anno Christi DCCXLV. vel DCCXLVI. in cursu fuisse

fuisse *Inditionem* XIII. aut XIV. aut XV. si illam a Septembri deducis, nunquam verò *Quinctam*, ut Charta ista praefert. Linguae ibi usurpatae peregrinitatem, & reliqua praetermitto, quum paucula ista satis certos nos faciant, corruere prorsus cum ipsa membrana divisionem ludicram, & somniatam illorum Episcopatuum. Quod tamen dissimulare nolo, antiquitatem sapit ejusmodi figmentum; atque id deducere posse mihi videor e mentione *Scavinorum*, atque a nominibus Procerum, qui sententiam illam comprobasse finguntur. Ii sunt *Urso Dux*, cujus nomen nobis obtulit Charta *Johannis Ducis* illius filii, supra a me edita in Dissertatione XXI. *de Statu Italiae*. Itidem *Ansilmus Dux*, qui Seculo abjurato Monasterium Nonantulanum, Aistulpho Rege regnante, condidit: *Nortepertus Dux*, cujus memoria occurrit in Donatione Nonantulano Coenobio facta a Carolo Magno, ut infra in Dissertatione LXVII. videbimus; & *Desiderius Dux*, is nempe, qui Rex Langobardorum renuntiatus finem vivendi fecit in carceribus ejusdem Caroli Magni. Quei nomina heic non falsa impostor in Chartam hanc falsam invexerit, mirari quisquam possit. Sed fortasse usus fuerit aliquâ aliâ germanâ Chartâ ad confingendam suam. Atque utinam tempus confictae Chartae divinare mihi liceret. Nam si antiquitate multâ eadem constaret, & referenda exempli caussâ foret ad Saeculum Christi Undecimum, aut etiam ad Decimum, illam magni facerem, quod nullam fortasse parem Chartam haberemus, quae Vulgaris nostrae Linguae vestigia exhibeat.

Ceterum antiquis Seculis, quum bella susdeque omnia verterent, in iis tumultibus, aut etiam Sedibus vacantibus, aut Episcopis in exsilium trusis, interdum territoria Episcoporum, quae a Graecis *Parochiae* seu *Paroeciae*, postea *Dioeceses* appellata sunt, grave quandoque detrimentum accipiebant, multisque mutationibus obnoxia fuere, Episcopis vicinis aut Caritatis caussâ, aut dilatandi imperii Cupiditate, in aliorum jura intrantibus. Ad haec nonnunquam unus Episcopus intra Episcopi alterius territorium sacram aliquam Aedem aut jure patronatus possidens, aut aedificans, aut ibi Episcopale munus fortè, consulto-ve exercens, litem subinde movebat de finibus Dioecesis. Quam in rem consule Gratianum XVI. Quaest. I Et ante annos quidem mille *Balsari Lucensis Episcopus*, ut Ecclesiae suae illaesa jura servaret, quum *Johannes electus Pistoriensis Episcopus* in quadam Baptismali Ecclesia aut sacrandus esset, aut aliquid juris sibi esse contenderet, ipsum adegit ad antea fatendum, Aedem illam ad Lucensis Episcopi Dioecesim ac potestatem pertinere, nihilque ex eo actu diminutum iri Lucensi Ecclesiae. Id posse deduci mihi visum est ex Charta plane obscura, vocibus etiam nonnullis prae vetustate absumtis, quam ex antiquissimo apographo descripsi, adservato in Tabulario Lucensis Archiepiscopii.

Johannis

Johannis electi Episcopi Pistoriensis professio facta Balsari Lucensi Episcopo, nihil juris deperiturum Ecclesiae Lucensi in quamdam Aedem sacram, Anno Christi 700. aut 715.

IN *nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Repromitto tibi* Balsari *Deo gratia* Episcopus, *me* . . . . *ad filio meo* Johannis electus Civitati Pistoriensis *Sacerdotibus*, *ut justo moderamine conservemus fermitatem quotiens alia inter bo* . . . . . . *essoris evenerat bone voluntati* . . . . *& si de officiorum* . . . . *Ecclesiasticis oportet de ea, que semel fecerit, per scripto fermari, & ideo auctori Deo prometto adque spondeo* Johannis electus Civitatis Pistoriensis *tibi viro beatissimo* Balsari Episcopus, *postea quam me Populus Pistoriense in loco Episcopati elegerunt, recordati sumus*, eo quod de Deocisis at Lucano Episcopus semper fuerunt, & menime potuimus foris tuo consilio Episcopus predictus in ipso loco profeciscere, recorrentis nos ad orationibus petivimus licentiam, ut in eo loco Episcopatio nos suscepere deveremus; *si tamen ut at governatione erga Eglesie Pistoriensis patrocinio, sic ita, ut dum advivere meruerimus*, ordinationem Presbiterorum, Diaconorum faciendam, non nobiscum, sed tua Sanctitas peragendum. Et hoc repromitto tibi Dominus Balsari Episcopus vel Socessoribus tuis, de Eglesie, vel qui prope nos esse videtur, me numquam esse causator, neque subtragendum da vos hoc ipse Eclesie. *Vel & si subtraère voluero ego Johannis per me ipsos de* . . . . . *vel Celiesis Eclesie, vel per somessione alio viu* . . . . . *promessionem ire temtaverimus, componat parti vestre auri Soledos centum pene causa, sed in omnibus adimpleta, qualiter decrevimus, & amodo Dei incorrat judicium, & ad sagrosancto Altario sed remotus, si ego Johannis, & cum causa vero da suprascripta repromissionem* . . . . *Quam viro repromissionem per* Domno genitore meo Adrohald Abbas *vovis suprascripte parti pars elegi, uvi & propria consermationem vel conscriptionem manevus meis, vel Sacerdotum meorum tradidi scribendam.*

Actum in Domo Sancte Eclesie Civitati Lucense, sub die XII. Kalendarum Juniarum, Indictione XIII. feliciter.

Fuerunt etiam tempora, praecipue post Seculum Aerae Christianae Decimum, quibus propter aliquod enorme crimen, puta Schismatis, imminuta fuit Metropolis Archiepiscopis, aut Dioecesis Episcopis, non secus ac factum Civitatibus nonnullis, quas ira Imperatorum seu Regum antiquo Comitatus jure exuit. Sed quod in primis animadvertendum, plurimis in locis, ubi insignia Monachorum Monasteria invaluere, decurtata olim fuit Episcoporum ditio atque Dioecesis. Sunt adhuc plura Monasteria, sive a suis Abbatibus recta, sive Secularis Cleri primoribus commendata, quae propriâ Dioecesi fruuntur, ibique tanquam Episcopi, Ordinum, & Chrismatis collatione exceptâ, omnia administrant. Notissimà sunt Casinense, Farfense, Sublacense, Novalicìense, Pomposianum, atque, ut alia omittam, amplissimum Nonantolanum in agro Mutinensi fundatum, cujus Dioecesis vario ac inter-

tercifo curfu in plurimas Parochias excurrit in Mutinenfi, Patavino, Bononienfi, aliifque territoriis, atque in Friniatum, five Frigniani Provincia fitas: quas omnes Epifcopali jure nunc moderatur Eminentiffimus S. R. E. Cardinalis Alexander Albanus, perpetuus Abbas Commendatarius. Plura ejufmodi Monafteria vetufta aetas agnovit, quorum jura & auctoritas turbidiffimis Italiae temporibus exciderunt. Plura etiam praerogativâ hac praedita oftendit adhuc Germania. Quanam ratione, petas, quove tempore, ita Monachorum potentia aucta eft, ut ex Epifcoporum fpoliis ditionem fibi propriam conftituerint. Illud exploratum, non folùm Baptifmales omnes Ecclefias antiquis Seculis Epifcopo uni obtemperaffe, fed etiam jus Epifcopis fuiffe in ipfos Monachos, eorumque Monafteria. Quae auctoritas multis in locis etiam poft Saeculum Chrifti Decimum perduravit, donec Pontifices Maximi integrum Monafticum Ordinem fenfim Epifcopali poteftati fubduxere. Vide infra Differtationem LXX. *de Cleri Immunitate*. Antiquiffimis etiam Seculis fuerunt Ecclefiae in jure Monachorum, aut ex eorum fundatione, aut ex dono Fidelium; quae tamen Oratoria fere omnia & Capellae erant, atque illic fuos Clericos, & Rectorem Abbates conftituebant, quamquam ne id quidem Epifcoporum juri officeret, uti neque officiebat jus Patronatus, quo Laici multi in varias Ecclefias fruebantur. Sed ad Parochiales Ecclefias quod attinet, arduum puto decernere, quo praecipue tempore divelli ex Epifcoporum poteftate, ac pleno jure ab Abbatibus, feu Monachis poffideri coeptae fint. Juvabit interim Lectori ante oculos fiftere fragmentum non parvi faciendum, hoc eft, partem Catalogi veterum Privilegiorum praelaudatae Abbatiae Nonantulanae, quam, Privilegiis ipfis deperditis, aut aliò devectis, in Archivo Monafterii ejufdem fuperftitem deprehendi.

Index aliquot vetuftiffimorum Privilegiorum Nonantulano Coenobio a Regibus Langobardorum, ac primis Imperatoribus Francis conceflorum, confcriptus a Monacho ejufdem Monafterii, Anno 1279.

Quoniam ego novi, quod in hoc Cenobio multi funt Fratres, qui ignorant rationes, & jura illorum, & hujus Monafterii, idcirco infra memetipfum cogitans volui breviter retrahere fubftantiam omnium noftrorum Privilegiorum tam Papalia, quàm Imperialia. Ideo noverit univerfitas veftra Kariffimi Fratres; quod omnia bona, quae poffidetis, & etiam illa, quae olim poffeffa fuerunt a noftro Monafterio, quae tamen amifimus, acquifivimus folummodo ab Imperio Romano, largitione Ducum, Marchionum, Comitum, feu oblatione fidelium hominum ac mulierum. Ab Ecclefia verò Romana habemus tantùm fpiritualia, fcilicet exemtionem noftri Monafterii, & Ecclefiarum nobis fpectantium, confirmationem quoque temporalium rerum, largita a fupradictis, & alias Indulgentias, ut notata funt inferius, ideft Mitra, Dalmatica, Cirotechae, Sandalia, & omnia infignia Epifcopalia, quae . . . . . ad Abbatem noftrum. Quibus fingulis reduco in fcriptis, ut ambiguitas & ignorantia . . . . certitudinem verò jurium ac Privilegiorum noftrorum vobis fit cognita con-

congruenter. Annotare enim dispo,ui omnia & singula Privilegia supradicta Papalia & Imperialia . . . . . . nunc habet tempore custodiae meae, in Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Nono, *Indictione VII. vacante Sede Abbatiae, tempore Domini Nicolai Papae Tertii. Volui incipere a* papyris Imperatorum, *propter vetustatem.*

In primis Privilegium Aistulfi Regis in papyro (*ille enim est exordium Nostri Monasterii Nonantulani*) *qualiter donatur Monasterio in sanctissimo* Abbate Anselmo *Fananum, & Silva de Gena, quae est Curtis Nonantulae, cum consine Strata publica, Panarius, Zesa, quae est intus Persicitanos usque in Rivo mortuo, & Paludes, una cum Basilica Sancti Martini in Cotiano, & ipsa Silva cum fluvio Gena usque in Rosalese. Et ut nullus audeat aedificare molendina a Strata publica inferius, sine consensu Rectoris Monasterii, praeter duo in Curte Panciano, neque cum fandonibus & navibus navigare, neque pontem vel transitum facere, neque piscare in ipsis fluminibus Panario & Gena . . . . . illorum fluminum ab utraque parte duodecim pedes via. Curtem quoque Canetulum in territorio Mutinensi, cum omnibus pertinentiis suis: & duas partes de Silva Lupoleto, seu de Silva Murianese, Macematicum, Capraisa . . . . . . Grumulenses usque in limite Decimano, qui percurrit in Mutinum, & Villam Ullianam, & de ipso limite in Panarium veniente. Et Casale Modenula, & Luduria . . . . . Moclena, sicut vadit Argile Salese cum Fossa Quintana, seu Vico Siculo, qui nunc dicitur Sancti Petri in Coneta, cum ipsa Ecclesia, & cum omnibus pertinentiis suis. Item omnibus silvis, paludibus, campis & piscariis, usque in Rosalese per supradictos consines. Item silvis, fossis omnibus, campis, latis, piscariis, fluminibus, & cuncta quae nobis pertinent in Bondeno, cum omnibus jurisdictionibus & piscariis in territorio Mantuano. Et quod possumus piscare Padum a loco Sarmate usque in mare. Et quod in omni loco, ubi habemus Cellas, aut habebimus in futuro, semper nostram porcionem de silvis & piscariis debemus habere, si ibi sunt. Et ut nullus praesumat in Italico Regno servos vel ancillas Monasterii, qui fuga lapsi fuerint, quoquo modo retinere, & in tota Italia ripaticum vel toloneum non solvere, nec publicam functionem facere. Concedit etiam mercata in propriis nostris terris, & . . . . in omnibus nostris Monasteriis. Et quod quicumque voluerit refugium facere possit, & res suas offerre Monasterio.*

Item aliud Privilegium Flavii *praedicti in* papyro *factum supradicto* Abbati *Anselmo, confirmans supradicta, adjungens medietatem Porti in Aqualonga, quae est Situla, scilicet a Strata publica inferius, incipiens in loco Citanovae; ac etiam Massa . . . . cum pertinentiis & familiis suis.*

Item aliud Privilegium Flavii *antedicti, concessum* Abbati *praedicto* Anselmo in papyro, *confirmans supradicta, adjungens Insulam, quae est intus . . . . . . & Fossa, quae dicitur de Munda; consines ponuntur Salicetum, ipsa Fossa, & Militaria, intrante in Panarium. Et silvam unam in Gauri, & Arnele. Et etiam Monasterium Domini Salvatoris de Fanano, & Massa Lizano, ut omnes homines habitantes ibi faciant operas cum bobus & manibus, necnon & angarias, atque portaticum exigere, ubi opportunitas fuerit. Similiter namque quadraginta octo praeceptales Persicitanos, quos* Ursus Dux *donavit huic Monasterio. Etiam ut Notarii possint fieri Cartas de omni conditione, quae pertineat ad Monasterium, sine*

sine alicujus contradictione. Et adjungens quamdam viam per Wilzachara. Confirmatur donatio illa, quam nobis Anscausus Episcopus, *& Guidoaldus Medicus fecerat. Et quod quando obierit Abbas, semper de ista Congregatione eligatur. Et quod, quando de navibus nostris in omni loco, ubi habebimus, portaticum tollere; & ut nulla persona Ecclesiastica vel Secularis audeat mansiones facere sine nostra licentia in nostris locis, vel freda exigenda, sive parafredos aut fidejussores extollere, aut in placitum conducere, sive homines servos livellarios, & emphitheotecarios, ad aliquid functionis publice coërcere vel distringere, nec non suprascriptos praeceptales Persicetanos ullo modo distringendos, aut redibitionem ullam, aut inlicitas occasiones requirendas consurgere audeat. Irritae sint scriptiones factae sine consensu omnium Monachorum . . . . . . sine consensu Abbatis. Concedens etiam Olivetum unum . . . . . . Castellum Aginulfi in Comitatu Lucense, & duas casas massaritias. Et pro benedictione debemus Regi quadraginta Lucios in Quadragesima majore, & Sanctae Mariae in Papia, in Mantua, & in Ravenna.*

Item aliud Privilegium Ludovici Imperatoris Petro Abbati, *confirmans pactum, quod fuit inter ipsum Abbatem, &* Gisonem Episcopum Mutinensem de Ecclesiis Baptismalibus, & aliis: videlicet, quod ipse Abbas dedit eidem Episcopo Ecclesiam Sancti Thomae Baptismalem prope Lamma pro universis aliis Ecclesiis; & ipse Episcopus alias reliquit in pace. *Et ita invicem inter se firmaverunt pactum.*

Item aliud Privilegium ejusdem Ludovici *in ipso* Petro, *reconfirmans viam per Guilzachara, & fluvium Genae, veniente per ea.*

Item aliud Privilegium ipsius Ludovici, *reconfirmans adhuc semel Privilegia* Aistulfi, *&* Karoli patris sui, *recipiens sub protectione Monasterium cum suis famulis, servis, livellariis, emphyteotecariis, & omnibus rebus, quae pertinent ad Monasterium, & de ordinatione Abbatis de Congregatione ista.*

Item aliud Privilegium dicti Ludovici *in praedicto* Petro. *Simili modo concedit.*

Item aliud Privilegium praelibati Flavii in papyro, *emisso in supradicto venerabili* Anselmo, *confirmans antedicta, adjungens Castrum Fanani cum Ecclesia, & universis ejus pertinentiis, alpibus, rupinis, planitiebus, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus. Seu Castrum Sclopanum, Sestula, Montecalvo, Cervariolo, & Alpe currente Rivo Cerciliense, & Lardiniola fluvio. Necnon Plebem Sancti Mammae in Lizano cum jurisdictionibus rerum temporalium, & cum universis, quae pertinent ipsis suprascriptis Lizano & Galba, idest Aquaviva, Rivofrigido, Viliciatico, Saxocluriano, Gricla, Variana, & Porcile, cum montibus, vallibus, & silvis, hominibus, & domibus quae nunc sunt, & in futuro erunt.*

Item aliud Privilegium in papyro Adelchisi Regis in Silvestro Abbate, *confirmans omnia Privilegia superius annotata, cum universis rebus mobilibus & immobilibus.*

Item aliud Praeceptum Flavii Aistulfi in papyro . . . . *donans illo Ursoni quadraginta octo praeceptales Persicetanos . . . . confirmat nobis. Et quod salto . . . . . . & . . . . . juges terrae in loco Casale, qui vocatur Castellionus, & in loco Veron . . . . . quarum rerum ipse Ursus videtur nostro Monasterio concessisse. Et in ipso* Ursonis *Praecepto continetur*, quia donaverat

naverat illi ipsi Flavius Rex Bononiam, & Imolam, atque Castellum, quod dicitur Trentum, *in illo & in suis heredibus*.

Item Privilegium clementissimi Karoli Imperatoris in cartula pergamena *emisso in praedicto* Anselmo Abbate, *confirmans Privilegia* Astulfi, *&* Desiderii Regum, *scilicet Privilegium, de quo facio mentionem superius:* ideo non scripsi, sicut illa Astulfi & Adelchisi, quia consumptum est, & dissolutum prae vetustate, quia fuit in papyro, ita quod non potui ex illo extrahere bonum quidquam: unde dimisi. *Sed istud supradictus Karolus comprehendit, confirmans illud Desiderii & Astulfi in omnibus similiter, ut ipsi dicunt. Adjungens, ut homines de Fanano, Lizano, Galba, non audeant conducere extraneos homines in ipsis Curtibus, & locis praenominatis. Item de Aqua Genae veniente per Guilzacharam ad molendina nostra.*

Item alind Privilegium ipsius Karoli *in ipso Abbate praefato, qualiter ipse donavit huic Monasterio Plebem de Bondeno, cum hominibus & colonis universis, & feminis, & massariciis, aedificiis, & omnibus rebus & pertinentiis in ipsa Corte Bondeno tam paludibus quàm piscariis usque in Spino, pro reverentia Beati Silvestri, cujus Corpus heic requiescit.*

Item aliud Privilegium uno tenore Karoli *praedicti in ipso* Anselmo, *quem Monachum ipse dicit, ubi offert Monasterio Camuranam, Solariam, & Grumulum, cum pertinentiis suis, domibus aedificiis &c. aquis, fluminibus, & piscariis.*

Item alind Privilegium ipsius Karoli *in ipso praefato* Anselmo, *qualiter ipse suscipit Monasterium in suum mundeburdum vel defensionem, cum omnibus rebus vel hominibus Monasterii, & quod quando ipse obiret, ipsi Monachi semper de ista Congregatione eligent Abbatem.*

Item aliud Privilegium praedicti Karoli *in ipso* Anselmo Abbate, *confirmans quandam sententiam, quae lata fuit inter ipsum Anselmum Abbatem & Pas. . . . . . Avocatum suum ex una parte, & homines de Vico Salecta, Vico Flexo de Comitatu Regiense, & alia de Silva & Palude de Gajo Lamese.*

Item aliud Pivilegium praefati Karoli *in praelibato* Anselmo, *confirmans aliam quandam sententiam, quae lata fuit inter ipsum Abbatem & inter Raynaldum Castaldionem Civitatis Novae, & Populum ejusdem Civitatis, & Populum Sorbariensem, Albertum, & Colegariam, de Insula & Silva, quae esse videtur inter Panario & Fossa, quae dicitur Munda.*

Item aliud Privilegium praelibati Karoli *in saepe fato* Anselmo, *concedens illi quosdam homines de Persiceta in hac forma:* Item concessimus, ut Abbas vel Monachi pro ut aliqui homines liberi ex territorio Persicetano ex nostra voluntate licentiam habeant . . . . . sine ullius inquietudine aut intentione judicii pro jure & pro utilitatibus Monasterii discurrere ubi necessitas fuerit. Hi sunt Deodatus, Persuic, Arriald, Gualmarenus, Trasolo, Armato, Vitalianus, Januaria, Maurus, Johannes, Raynaldus, Ubaldus, Anricus, Guisus, Constantinus, item Dominicus, Senator, item Joannes, item Walbertus, Curianus, item Johannes Blanca, item Dominicus, Apolenaris. Hi omnes in ejus obedientia deserviant Monasterio.

Item aliud Privilegium ejusdem Karoli *in jam dicto* Abbate Anselmo, *confirmans quandam offersionem, quam huic Monasterio fecit quidam, qui vocabatur*

cabatur Aldoin filius Vecturi quondam scilicet in Comitatu Vicentino & Veronense. Insuper concedens in territorio Bononiense Sucido, Caldario, & Cesaretico, & fundo Casanovola.

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in ipso* Anselmo, *confirmans* concordiam, quae fuit inter ipsum Anselmum Abbatem, & Vitalem Episcopum Bononiensem de Plebe Sancti Mammae in Lizano, videlicet ut ipse Episcopus habeat spiritualia tantùm, ipse verò Abbas habeat temporalia & Patronatus in eligendis ibidem Clericis.

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in supradicto* Anselmo Abbate, *confirmans breviter omnia, quae concessa fuerunt per Astulfum, etiam adjungens duas Ecclesias in Comitatu Motinensi in honorem Sancti Martini consecratas, nihil dicens de locis, ubi sint, cum universis appendiciis.*

Item Privilegium piissimi Imperatoris Ludovici *in* Petro *Abbate, confirmans Praecepta Astulfi, Desiderii, Adelchisi, & serenissimi patris sui Karoli Magni Imperatoris.* Cetera desiderantur.

Clarissimus Vir Scipio Marchio Maffejus Veronensis, cui eruditum Opusculum debemus de antiquorum *Papyris*, sub *Diplomaticae* nomine editum, jam post Mabillonium adnotavit, diu viguisse in Italia Aegiptiacae *Papyri* usum ad conscribenda Regum Diplomata, & Acta publica, sive privatorum hominum contractus. En quanta eorum copia Anno etiam MCCLXXIX. custodiretur in Tabulario Nonantulano. Animadvertas autem velim, Langobardorum quidem Regum Diplomata *Papyro* inscripta fuisse, Francorum verò Caesarum pergamenâ: Privilegium Desiderii Regis ait Auctor Catalogi, *non scripsi, sicut illa Astulfi & Adelchisi, quia consumtum est & dissolutum prae vetustate, quia fuit in Papyro, ita quod non potui ex illo extrahere bonum quidquam.* Ceterae Papyri intactae erant; sed jamdiu evanuere. Nunc ad rem nostram redeundo, ex Privilegio Ludovici Pii Augusti heic memoratur concordia inita inter *Gisonem Episcopum Mutinensem* & *Petrum Abbatem Nonantulanum* (eum nempe, quem Eginhardo teste in Annalibus Francor. Carolus Magnus Anno Christi DCCCXIII. una cum *Amalario Treverense Episcopo propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit*) concordia, inquam, *de Ecclesiis Baptismalibus, videlicet, quod ipse Abbas dedit eidem Episcopo Ecclesiam Sancti Thomae Baptismalem prope Lamma pro universis aliis Ecclesiis; & ipse Episcopus alias reliquit in pace.* Ergo ex his inferas, jam circiter annum DCCCXV. ad Nonantulanum Abbatem spectasse quasdam *Ecclesias Baptismales*, atque in ejus jure fuisse, non (*) repugnare Episcopo Mutinensi, in cujus Parochia sive Dioecesi aedificatum fuerat Monasterium ipsum. Verùm his superstruere judicium certum nemo ausit, quando ipsum Diploma, pactumque tunc stabilitum periit, neque licet nobis rite narrationem illius perpendere. Potuerunt enim pertinere ad Nonantulanum Monasterium Ecclesiae illae, sed ut Abbas temporalia earum administraret, aut jure Patronatus illic Parochum, & Clericos collocaret, intacto tamen Praesulum Mutinensium jure, quibus probandus esset Rector electus, & a quo accipienda foret Sacramentorum ministrandorum facultas. Infra quoque memorari audis concordiam alteram *inter Anselmum Abbatem, & Vitalem Episcopum*

(*) *Lego* non repugnante &c.

ſcopum Bononienſem de Plebe Sancti Mammae in Lizano, videlicet ut ipſe Epiſcopus habeat ſpiritualia tantùm, ipſe verò Abbas habeat temporalia, & Patronatus in eligendis ibidem Clericis. Si qua ergo Monaſteria ante Annum Chriſti Milleſimum, immo & poſtea pleno jure, aut excluſo Epiſcopo, dominata fuiſſe Eccleſiis Parochialibus deprehenduntur, aequum erit expoſcere, ut id certis, neque confictis tabulis confirmetur, quod ſi fiat, tunc edocendum reſtabit, num liberâ concedentium Epiſcoporum voluntate, aut ſaltem Apoſtolicae Sedis Privilegio, in Abbates Epiſcopale jus ejuſmodi translatum fuerit, an ad eos devenerit illegitimâ potius aliquâ ex ratione. Quod poſtremum dico; fuerunt enim olim potentes, qui illuſtriores Abbatias, Saeculo preſertim Aerae noſtrae Decimo commendatas habuerunt: notumque omnibus eſt, eaſdem rurſus noviſſimis hiſce Seculis primoribus Eccleſiae fuiſſe traditas, ut ajunt, in *Commendam*. Quod Proceres ampliſſimo Monaſterio Nonantulano dominati fuerint eodem Saeculo Decimo, oſtendam in Diſſertatione LXXIII. *de Monaſteriis in Beneficium datis*. Fieri potuit, ut veteres ii Commendatarii Abbates (nam quos recentiora Secula peperere, venerabundus praetereo) Archiepiſcopi nempe, ac Epiſcopi in Italia, apud Reges potentiſſimi, uti in Monaſteriis ſibi traditis, ita in Eccleſiis etiam Baptiſmalibus, ad jus Monaſteriorum ſpectantibus, dominari voluerint ſpretâ Epiſcopi auctoritate in cujus Dioeceſi eaedem Eccleſiae ſitae erant. Principes quoque viri Saeculo Decimo, ac Undecimo, quum Eccleſias etiam Parochiales invaſiſſent, eas poſtea non Epiſcopis reſtituere, ſed Monaſteriorum Abbatibus tradere, immo & vendere conſueverunt: quam ob rem inter Epiſcopos, & Abbates acerrimae obortae ſunt controverſiae; & deductae ad judicium Apoſtolicae Sedis. Id erudite animadvertit Thomaſſinus Part. 2. Lib. I. Cap. 36. de Beneficiis; atque eâ de re extat Epiſtola Johannis Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis ad Epiſcopum Moliſmenſem, Tomo 9. pag. 479. Concilior. Edition. Labbeanae, ſcripta circiter Annum Chriſti MLXXX. Quo Cardinali fatente diſcimus, *omnes Eccleſiarum res in manu Epiſcoporum eſſe debere, uti canonica decreta conſtituunt*; ſed invectas poſtea conſuetudines contrarias, & lites non modicas, turbatae videlicet juriſdictionis Epiſcopalis cauſsâ. Idem vero Thomaſſinus Part. I. Lib. 3. Cap. 22. plura congerit, ad oſtendendum, Epiſcoporum jus antiquitus etiam ſervatum fuiſſe in Eccleſias Monaſteriis ſubjectas. Tum eodem Lib. 3. Cap. 30. & ſequentibus in originem Privilegiorum inquirit, quae Monachis aut ab Epiſcopis, aut a Metropolitis, ſive a Romanis Pontificibus conceſſa fuere.

Unum mihi tantummodo addendum, ſcilicet quod eſt ad antiquiora tempora, circumſpecte admodum de pleno jure Abbatum in Plebes ſive Parochiales Eccleſias, eſſe judicandum. Certe inficias non ierim, quin & longe ante Milleſimum a Chriſto nato Annum Monaſteria fuerint ad eam dignitatem evecta, ut aliquid ex juribus Epiſcopalibus commune cum iis foret: quae videlicet ab Imperatoribus condita erant, aut eorum immediatâ protectione fruebantur, qualia fuere Caſinenſe, Farfenſe, Nonantulanum &c. Exemplum accipe. Monaſterium Domini Salvatoris non longe ab Urbe Ticinenſi conſtruxit Anno

no DCCCCLXXII. religiosissima Augusta Adhelais Ottonis Magni conjux. Impetravit illa, ut sacer locus immediate subesset Apostolicae Sedi: ac proinde Johannes XIII. Papa Constitut. LIII. editâ in Bullario Casinens. Part. 2. inter alia statuit, ut *Baptismus etiam in eisdem Ecclesiis Monasterii licenter fieret Apostolicâ auctoritate*. Tum alterâ Constitutione interdicit Episcopo, *ne in eodem Monasterio alicujus potestatis praerogativam sibi aliquando usurpare praesumat*. Haec sane (praecipue verò quod de jure Baptismatis conferendi additur) innuere satis videntur, Praesuli Ticinensi ex vi Apostolici Privilegii nihil juris relictum fuisse in Ecclesias Baptismales eidem Monasterio subjectas: quod an secus esse potuerit, judicent alii. In hisce enim casibus dispiciendum est, num Diplomata autographa sint: interpolationis quippe suspicio in apographis licèt vetustis suboriri potest. In eo autem Diplomate desideratur Annus Pontificatus *Johannis XIII.* & perpendendum superest, an *VIII. Kal. Majas*, Anni DCCCCLXXI. decurreret *Annus V. Ottonis II. Augusti*; & quare eidem Monasterio nuper condito ab ipsa Augusta confirmentur *possessiones, quae a Regibus & Principibus, seu quibuslibet Christi fidelibus collata sunt*; & cur Augusta simul dicatur *aedificasse ac renovasse* ejusmodi Coenobium. Basilica quidem Salvatoris ante multa Secula fuerat condita. An ibi antea fuerit & Monasterium, eruditi Ticinenses ostendent. Vide quae supra, de hoc ipso Monasterio memoravi in Dissertatione XXI. *de Italiae statu*. Denique in Literis ejusdem Johannis Papae ad Episcopum Ticinensem Adhelais Augusta *Monasterium* illud *in propriis* constituisse dicitur; eique Antistiti jus *in idem Monasterium* abrogatur (quod de aliis multis factum novimus) sed nihil *de Ecclesiis Baptismalibus* additur. Certe animadvertas, in aliis ante Annum Christi Millesimum Romanae Sedis Privilegiis nullam fieri *Baptismi* ministrandi mentionem. Neque statim asserenda est Monachis plena immunitas in iisdem Ecclesiis, quòd licuerit eis *Chrisma*, *Oleum Sanctum*, *Consecrationes Altarium*, *Ordinationes Clericorum &c.* a quocumque vellent Catholico Episcopo recipere: nam consistere haec poterant cum jure Episcoporum in Parochiales Ecclesias. Atque heic praesertim considerandus venit Canon IV. Concilii Claromontani, habiti Anno MXCV. praesidente Urbano II. Papâ. Haec sunt ejus verba: *Quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt* (en quod antea pronuntiavi, nempe usurpationes aliquas in hanc disciplinae Ecclesiasticae partem irrepere potuisse) *statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consensu Presbyteros collocent. Sed Episcopi Parochiae curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant; ut ejusmodi Sacerdotes de Plebis quidem cura Episcopo rationem reddant*. Ceterum post Seculum Undecimum in illustrioribus quibusdam Monasteriis clarius spectanda se praebent Dioecesis propriae vestigia; inter quae eminet nobilissimum Casinense, cujus Dioecesim atque jurisdictionem spiritalem inlustravit Angelus de Nuce in Dissertatione appositâ ad Cap. V. Lib. I. Chronici Casinensis a me jam editi Tomo IV. Rer. Italicarum. An autem ea tantae sit antiquitatis, quantam ipse opinatur, aliorum erit inquirere. Dicam & ego infra aliquid in Dissertatione LXX. *de Immunitate Cleri*. Neque enim hac de re certum judi-

judicium proferre possit, nisi qui universa atque integra amplissimi loci Privilegia ante oculos habeat. Margarinus Part. 2. Constitut. 81. Bullarii Casinensis, Bullam Benedicti VIII. Papae pro eodem Coenobio evulgavit, sed mutilam, atque in calce etiam addendae erant Chronologicae notae istae: *Datum XI. Julii, per manum Bosonis* (*Bossum* depravate appellat Ughellius in Episcopis Tiburtinis) *Episcopi Sanctae Tiburtinae Ecclesiae, & Bibliothecarii sanctae Sedis Apostolicae: Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Vigesimo Tertio, Pontificatus verò Domni Benedicti Hortani Papae, sedente Anno XII. Imperii verò Domni Henrici Romanorum Imperatoris . . . . Indictione VI. Mense Junii die Vicesimâ nonâ*. Quare Ciampinio in Catalog. Bibliothec. sanctae Romanae Ecclesiae, minime subscribendum est, exhibenti ad Annum Christi MXX. *Benedictum Episcopum Portuensem, & Bibliothecarium sanctae Apostolicae Sedis*: quum Boso Tiburtinus, ut constat ex alterâ Bullâ Farfensis Monasterii, ejusmodi munere fungeretur Anno MXVII. & fungi perrexerit Anno MXXII.

Pari praerogativâ Dioecesis propriae antiquissimum Pomposianum Monasterium post Annum Christi Millesimum frui deprehenditur: qua de re certos nos faciunt plura Privilegia apud Monachos Benedictinos, nunc Ferrariae in Coenobio Sancti Benedicti Deo famulantes. Unum tantummodo ex Archivo Estensi depromtum dabo.

Leonis IX. Papae Bulla, qua Monasterio Sanctae Mariae de Pomposia confirmat varia illius jura & bona, Anno 1052.

LEo Episcopus, *servus servorum Dei*, Ecclesiae *gloriosae Matris & Virginis perpetuae* Beatae Mariae, *sitae* in Insula Pomposiae, *& per eam dilecto in Domino Jesu Christo filio*, Mainardo *venerabili* Abbati, *tuisque successoribus juste intrantibus in perpetuum. Regina Caelorum Dei Genitrix super Choros Angelorum exaltata, ut a nobis pia exaltetur devotione, nostra, in quantum potest, providere debet sollertia, scilicet in locis nomini suo dicatis, augendo benefitium, quo sui speciales famuli commodius sibi possint exhibere servitium. Quapropter te, venerande fili, quem sibi videmus fideliter . . . . . . in praefato Monasterio ei famulantibus Monachis volumus nostro adjutorio bene praeesse, ut tu ipse moraliter, sicut oportet, vivas, debitum dantes consilium, & bona, quae vel aliunde vel praecipue a Sede Romanâ, tua tenet Ecclesia, vel acquireret in perpetuum, confirmantes tibi per hoc sanctae Apostolicae auctoritatis Privilegium. Igitur quia petistis a nobis, quatenus ex nostra largitate, nostroque dono concederemus vestrae Religiositati Massacellam integram, quae vocatur Materaria, & Massam, quae vocatur Mau,euli, integram, & fundum integrum, qui vocatur Casale publico, & Massam, quae vocatur Nepoti, & Massam, quae vocatur Caputbovis, Terram & Vineam, sicuti modo vos habetis, & tenetis jure Beati Petri Apostoli. Necnon & ripam Fluminis Alemonis ex utrisque partibus juxta Massam, quae vocatur Prata, extendente ipsa ripa a Bigaziolo usque ad Campum Bedalli, & Terram & Vineam juxta muros Civitatis Ravennae*

cum Turre, quae vocatur Branca, in integrum a Pusterula Augusta usque ad Portam Taurensem. Et Hortum unum in integrum in loco Pontis Calciati in .... Sancti Andreae a duobus lateribus jure ipsius Sancti, a reliquis duobus via publica. Et Lacum, qui vocatur Sanctus, cum omnibus rebus & pertinentiis suis, cum Plebe & Capellis ac titulis ipsius, vocabulis Sanctae Mariae & Sancti Martini, Sancti Petri, Sanctique Venantii, cum Piscaria, quae vocatur Tidini, & Fossa Archipresbiteri, & Piscaria, quae vocatur Falce, cum loco, qui dicitur Monticello Laci sicco, cum ripis Fluminis Padi & Gauri ex utrisque partibus usque in Mare, & a loco Concae Agathae ex una parte usque in Mare, cum loco in integrum, qui dicitur Masinzatica, inter affines de toto loco ac territorio Massae, quae vocatur Lacus Sanctus, ab uno latere Fossa Molendini de Volta Latercli, descendente in Aquiliolo, & a fluvio Tribba usque in Elliam, & per Paludem usque mediam Curbam, ultraque Curbam usque Padum, & ultra Padum usque ad Gazium Episcopii Sanctae Comaclensis Ecclesiae, inde usque ad Fluvium, qui vocatur Cesi; ab alio latere Curlo descendente in Concam Agatulae, & per ipsam in Gaurum; a tertio latere Palude, quae pergit inter Rivum Anzeli & Masenzaticum usque Monticellos, & Vedetosa currente in Padum; a quarto latere Vaculino, & Arzere malo, & Calle de Vincareto pergentem in Laterculum. Insuper concederemus vobis Piscariam integram, quae vocatur Volana, cum Rivo Badarino, & Gavelona majore ad ipsam Piscariam pertinente, cum Porticellis ex utrisque partibus, sicut olim intraverunt in Mare, eidem similiter pertinentibus. Cuncta praedicta loca cum omnibus suis integritatibus ac pertinentiis, quantum sanctae Romanae, cui Deo auctore praesidemus ac deservimus, pertinere videntur Ecclesiae vobis ad tenendum emissâ praeceptione concedere deberemus. Inclinati precibus vestris cuncta praefata loca, vel quaecumque modò habetis ac tenetis cum omnibus suis integritatibus & pertinentiis, ut supra legitur, & insuper nostro dono ac benignitate, si aliquid amodo in futuro de pertinentiis sanctae Romanae Ecclesiae acquirere potueritis circa vos in toto Exarchatu Ravennae, licentiam nostram, nostrorumque Successorum canonice intrantium, tibi, tuisque Successoribus, regularem vitam ducentibus, Monachisque religiose viventibus, perpetualiter concedimus habendum & tenendum. Ita sane, ut a te tuisque Successoribus singulis quibusque annis pensionis nomine sanctae nostrae Ecclesiae Romanae tres argenti Solidi, difficultate postpositâ, persolvantur Actionariis. Praeterea amore ejusdem intemeratae Genitricis Dei, tuoque dilecte in Domino Fili, constituimus & ordinamus per illam auctoritatem, quam Christus Dominus noster beato Petro Apostolorum Principi, suaeque Ecclesiae Rectoribus concessit, ut numquam Locus ipse, aut res ad ipsum pertinentes, alicui submittantur personae, nisi Apostolicae tuitioni, & Regiae ditioni: nullusque mortalium praeter Imperialis potestatis culmen, in praefato Monasterio aut in Curtibus, vel in Castellis, sive in Plebibus, aut Cellis, seu Villis, vel omnibus rebus mobilibus & inmobilibus ipsi pertinentibus, necnon in servis aut famulis utriusque sexus, sive etiam villicis super terram ejusdem Monasterii residentibus, aliquam ordinationem, aut jurisdictionem, vel potestatem tenere, aut conversationem Monachorum impedire, seu molestiam inferre praesumat, vel in aliquibus locis ipsius districtum

seu

ſeu Placitum tenere, aut res Monaſterii invadere, vel quovis modo alienare, aut fodrum, vel paratas, ſeu aliquas publicas functiones exigere audeat. Ipſius quoque proprietates Monaſterii tam a poteſtate Archiepiſcoporum, quàm omnium mortalium, praeter Regiae ſublimitatis .... inrevocabiliter ſubtraimus, ac liberam eſſe cenſemus, ſalvâ inibi auctoritate Apoſtolicâ, ac primae Sedis invocatâ, ſi neceſſe fuerit, audientiâ. *In acquirendis autem bonis Sancti Petri, haec ſervetur conditio, ut prius ex ipsâ & qualitas & quantitas rerum nobis, aut noſtris Succeſſoribus intimetur, & tunc licentiâ, praecepto, & conſilio a Romana Sede accepto, additâ juſta penſione, a te ſuſcipiatur. Hoc quidem modo proprietas terrarum & aquarum Sancto Petro remanebit, & bono eorum uſu vos amodo fruemini. Violatorem igitur hujus ſacri Privilegii, niſi reſipuerit, & ad condignam ſatisfactionem venerit, Apoſtolicum anathema condempnet. Conſervatorem verò Dominae noſtrae Beatae Mariae interceſſio glorioſa laetificet.*





Datum XV. Kalendas Aprilis, per manus Friderici ſanctae Romanae Sedis Bibliothecarii & Cancellarii, vice Domni Herimanni Archicancellarii & Colonienſis Archiepiſcopi, Anno Domni Leonis Papae Quarto, Indictione V.

Ita poſt Saeculum Chriſti Decimum ſe prodere videtur integrum jus Nonantulani Monaſterii in Eccleſias Parochiales ſibi ſubjectas, quum ipſe Abbas novam quoque condidiſſe dignoſcatur. Teſtes habeo tabulas, quas licèt attritas ex apographo exiſtente in Archivo auguſtae illius Abbatiae deſcripſi, atque heic in lucem efferendas cenſui.

Fun-

Fundatio Parochialis Ecclesiae Sancti Michaëlis apud Nonantulanum Coenobium in agro Mutinensi, facta a Rodulpho ejusdem Coenobii Abbate, Anno 1011.

☧ SErgius Episcopus *servus servorum Dei. Apostolatus nostri est proprium, quotiens si qua sancta Ecclesia adjutorii aliquid seu corroborationis ab eo poposcerit, totiens cum omni alacritate sese impetrasse congaudeat. Et ne aliqua improborum calliditas, sive adversariorum sanctae Ecclesiae astutia in posterum eidem addere praesumat calumniam, non solùm dictis, sed etiam scriptis quicquid a nobis sibi concessum fuerit, in perpetuum confirmare dignum duximus. Quapropter notum fore velumus omnibus Christianis fidelibus, qualiter* Rodulfus *venerabilis* Abbas Ecclesiae *sanctae* Nonantulensis, *una cum omni Congregatione Fratrum seniorum Monachorum, nutu divino, & instigatione Spiritus Sancti, qui mentes, quas repleverit, ad omnipotentis Dei obsequium, ejusdemque Sponsae, scilicet sanctae Ecclesiae, ineffabiliter accendit, praedicatione quoque fidelium praedictorum Fratrum coëgit habitatores atque agri cultores jam praefatae Abbatiae nostrae ...... Parroechiae Decimas Deo dare, qui actenus usque rerum suarum decimas Deo minime tribuebant: Q...... mum scelus arbitrabantur, eo quod in Veteri ac Novo Testamento praecep..... meminerant, non solùm...... Deo conferre decimas dierum. Ad quorum exhortationes, venerabilis videlicet Abbatis & praedictae Congregationis, omnes unanimiter sua corda inclinantes, contrito corde Decimas Deo per annos singulos de omnibus, quae possessuri erant, offerre voverunt, atque obnixe petierunt, ut praedictas Decimas; quas libenter Deo reddere dis...... bant, ne in futuro Laicis hominibus in beneficio darentur, nostro Apostolico interdicerent Praecepto. Propter hoc autem jam fatus Abbas una cum consilio Fratrum, nostram deprecatus est magnificentiam, ut constitueret de jam dictis Decimis nostro largimine* unam Canonicam, suae etiam Abbatiae subjectam, in qua Clerici diurnis ac nocturnis horis Domino, & ibidem convenienti Populo sollicite divina exhiberent obsequia. *Hae autem sunt fines Decimarum illius praefatae Canonicae: a* Claudia Strata *usque ad Porciolam: a Mucia verò usque ad Panarium flumen, & ultra quicquid & quantum a praedicti fluminis vill...... seu a Nonantulae habitatoribus laboratur. Et quicquid Clerici in praefata Canonica Deo communiter militantes juste adquirere poterunt. Nos verò precibus illius annuimus, quod cognovimus juste peti ...... denique constituta est in honore* Sancti Michaëlis Canonica, ordinati sunt Clerici, Archipresbyter......... lis, cui etiam Archipresbytero hanc potestatem concessimus, ut de criminalibus culpis ipse judicium indicat poenitentibus. Attamen, si necessitas incubuerit, ab aliquo Episcopo expetat judicium, *ne desideranti animae poenitentiam interim negare videatur. Eidemque verò Archipresbytero cura sit pro omnibus, in divinis videlicet officiis, in luminariis, in architectis, in hospitibus, in decimis, & in oblationibus dividendis inter ceteros, sic qualiter se recognoscat Deo redditurum rationem in die judicii; eique concessa est decima*

decima unius Villae, quae dicitur Salicetus, ante alios propter curam solicitudinis. Statuentes Apostolicâ auctoritate, ut quicumque hanc ordinationem, quam Deo auxiliante pro salute animarum fidelium ordinare jussimus, & ut ab errore pristino liberarentur, ampliare, vel observare studuerit, nostrâ solidetur benedictione. Qui autem, quod non optamus, violare temptaverit, aut consilium violandi dederit, aut a subjectione Sancti Monasterii Canonicam subtraëre cupiverit, *seu Laicis Decimam in beneficio dare voluerit, anathematis vinculo feriatur. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, hoc decretum nostro Cancellario scribere praecepimus, nostrisque Litteris, ut superius praelibavimus, ac impressione nostri Sigilli corroboravimus. Et praefato Abbati Rodulfo, atque omnibus Fratribus in hoc decreto unanimiter facto scribere praecepimus*

✠ BENE VALETE.

✠ *Datum per manum Petri Episcopi Sanctae Praenestinae Ecclesiae, &* Bibliothecarii Sacri Palacii, *Anno Domini Millesimo Undecimo, VI. Kalendas Junii, Indictione VIIII.*

Rodulfus Abbas *jussione Apostolicae Sedis in hoc decreto manu propria subscripsi.*

Ego Frogerius Prior manu mea subscripsi.

Laurentius Presbiter & Monachus manu mea subscripsi.

Gulferius Monachus, manu mea subscripsi.

Gregorius Presbiter & Monachus manu mea subscripsi.

Liuzo Monachus subscripsi.

Insueta quidem, fateor, videatur subscriptio Monachorum, uti & formula illa *Bibliothecarii Sacri Palatii*, quum ii *Bibliothecarii Sanctae Sedis Apostolicae* nuncupari consueverint, & Petrus ipse ita se subscribat in altera Bulla, ab Ughellio in Episcopis Aeserninis editâ. Sed nequaquam ignotum est, *Sacrum Palatium*, hoc est, Lateranense, fuisse Romanis Pontificibus. Praeterquamquod in apographo pervetusto scripta haec erant; ac dubitatio suboriri possit, an antiquus Tabellio autographum, qua decebat, curà descripserit. Ea autem heic enarrantur, ac praecipue ad Poenitentiam spectantia, ut antiquitatem omnino redoleant, Animadvertas etiam velim, Anno Christi MXI. *Claudiam Stratam* appellari, quae antiquis *Aemilia* fuit: qua de re in Notis ad Donizonem, Tomo V. Rer. Italicar. aliquantulum egi. Immunitas etiam ejusdem Nonantulani Coenobii deduci posse videtur e Bulla Paschalis II. Papae, quae in ipsius Tabulario adservatur. Apographum est pervetustum.

Bulla Paschalis II. Papae, Johanni Nonantulano Abbati, Privilegia illius Monasterii confirmans, Anno 1112.

PAschalis Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto in Christo filio,* Johanni, nostris per Dei gratiam manibus in Abbatem Nonantulani Monasterii consecrato, *ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum*

petuum .... auctoritate debitoque compellimur, pro universarum Ecclesiarum *statu satagere, & earum maxime*, quae Apostolicae Sedi specialius adhaerent, ac tamquam jure proprio subjectae sunt, *quieti, auxiliante Domino, providere. Quapropter petitionibus tuis, fili in Christo carissime, non immeritò annuendum censuimus, ut* Nonantulanum Monasterium, *cui Deo auctore praesides*, quod ab ipso fundatore, Aistulfo videlicet Longobardorum Rege, Apostolicae Sedi oblatum est, *ad praedecessorum nostrorum, ejusdemque Apostolicae Sedis ..... Privilegio muniremus. Per praesentis igitur Privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque ad predictum Nonantulanum Monasterium in presenti Sexta Indictione, juste ac legaliter pertinent, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus haec propriis visa sunt nominibus annotanda. Ipsum videlicet Castellum Nonantula: Castellum-Vetus: Gallianum: Catinianum: Fainanum: Lizanum: Scoppanum: Samonum: Campilium: Maranum: Mons-Oliveti: Pratum Albini: Monasterium Sanctae Luciae de Roffeno, cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: & Ecclesia Sanctae Trinitatis de Savino: Manzolinum: Taivalum: Rastellinum: Sancta Maria in Grumulo: Spina-Lamberti: Solaria: Roncalia: Camorana: Sorbaria: Curtiule Siccum: Castellum Pellavi: Trecentula: Bundenum: Stagaria: Castellum Cella: & Marzalia: cum pertinentiis eorum: praeterea Castellum Cellulae: Curtem Raguse, & Castellum Tedaldi, cum omnibus allodiis, que in ipso Comitatu Ferrariensi* Bonifacius Marchio *acquisita possedit, vestro in perpetuum Monasterio confirmamus: uti etiam, quae* Comitissa Mathildis *de oblatione, quam Sancto Petro & Romanae Ecclesiae dederat, vobis nuper dedisse cognoscitur, sub Censu scilicet annuo unius Aurei*. Sane nec Mutinensi omnino, nec alicuiquam Episcoporum, vel Principum, aut alicui Ecclesiasticae, Secularive personae liceat supradicto Monasterio, aut ejus Cellis, vel Ecclesiis, aliisve possessionibus gravamen inferre, exactionem imponere, Placitum, sive colloquium, praeter Abbatis ac Fratrum voluntatem indicere vel tenere. *Obeunte te nunc ejus Loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutiâ seu violentiâ praeponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & beati Benedicti Regulam elegerint, ab Apostolicae Sedis Praesule consecrandum*. Crisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes Monachorum, qui ad Sacros fuerint Ordines promovendi, sive Clericorum, Monasterio, Cellis, vel Ecclesiis pertinentium, a quo malueritis Catholico accipietis Episcopo, *si quidem gratiam & communionem Apostolicae Sedis habuerit: & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere*. Non enim Episcoporum cuiquam permittimus, invito Abbate, in Monasterio, vel in Monasterii Cellis, vel Ecclesiis, Ordinationes facere, Missas publicas celebrare, vel earum decimas vendicare. *Nec de Monasterio ipso, vel ejus rebus rescriptum subripere, aut quolibet modo impetrare, cuiquam personae facultas sit. Quod si fortè presumptum fuerit, irritum penitus habeatur. Ad haec adjicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat idem Monasterium temere*

mere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injuste datas suis usibus vendicare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, ut in omnibus semper Apostolicae Sedis, cujus est proprium, munimine ac protectione congaudeat. Si quis igitur in futurum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, Castaldio, aut Ecclesiastica quaelibet, Secularisve persona, hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pars Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hinc fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia aeternae pacis inveniant.

Scriptum per manum Grisogoni Notarii Sacri Palatii.

Ego PASCHALIS Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Data Tiberiae per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, Quarto Idus Novembris, Indictione VI. Incarnationis Dominicae Anno Millesimo Centesimo Decimo Tertio, Pontificatus autem Domni Pascalis II. Papae Anno XIV.

Heic habes *Annum XIV.* Paschalis II. Papae, conjunctum cum *Anno Incarnationis Dominicae MCXIII. & Indictione VI.* Errorem patentem continuò heic deprehendisse tibi videberis, ubi e Donizone, Baronio, Pagio, ac aliis intellexeris, Paschalem ipsum die XIV. Augusti Anno MXCIX. Romanam Cathedram conscendisse. Sed bona verba. Sunt & aliae Bullae, quae hoc ordine procedunt, ut prope ad credendum adducaris Anno subsequenti MC. Paschalem renuntiatum fuisse Pontificem Maximum. Vide Bullarium Casinense Part. 2. Ughellium, Bullarium Cluniacense, Baluzium in Miscellaneis, atque, ut ceteros omittam, Mabillonium Lib. 5. Tabel. 51. Diplomatic. ubi refert autographam Bullam Pontificis hujus *Datam Romae per manum Johannis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconum Cardinalem, Duodecimo Kalendas Aprilis Indictione X. Incarnationis Dominicae Anno MCIII. Pontificatus autem Domni Paschalis Secundi Papae III.* Diffident haec aperte a calculis Pagii ac aliorum. Quando immotus est Annus & Mensis, quibus Pontificiam dignitatem iniit Paschalis II. scilicet dies XIV. Augusti Anni MXCIX. necesse est intelligamus (idque animadvertendum diligentissime nobis ad solvendos alios * ai genus nodos) usum illum fuisse aliquando Aerâ Pisanâ, quae non a Nativitate, neque a Circumcisione Domini, sed ab ejus *Incarnatione*, sive a die XXV. Martii exordium novi Anni deducit, ac propterea novem Mensibus Annum Vulgarem nostrum praevertit. Quare quamquam Bulla nuper producta Annum exhibeat MCXIII. non alius significatur, quàm Annus MCXII. Indictio autem *Sexta* illic adhibita, Septembri Mense ejusdem Anni MCXII. initium sumsit. Alteram Paschalis

* *Lege* id genus, *sive* ejus generis nodos)

ſchalis II. Bullam praelaudatus Mabillonius produxit in Appendice ad Tom. V. Annalium Benedictin. pag. 693. *Data fuit II. Idus Aprilis, Indictione VI. Incarnationis Dominicae Anno MCXIIII. Pontificatus quoque Domni Paſchalis Papae II. Decimo quarto*. Cenſet Clariſs. Vir, ibi ſcribendum eſſe *Indictione VII.* Hanc enim revera exigit Annus Vulgaris MCXIV. Verùm ibi agitur de Anno Piſano, ac propterea data fuit Bulla Anno ſecundùm nos praecedenti, quo reapſe *Secundo Idus Aprilis* in curſu erat *Indictio Sexta*. Ita in Theſauro Anecdotor. P. Pezii Tom. 3. Part. 2. pag. 659. altera ejuſdem Pontificis Bulla refertur, *Data VIII. Kalendas Novembris Indictione XII. Incarnationis Dominicae Anno MCV. Pontificatus autem Domni Paſchalis II. Papae Anno VI.* Et ibi intelligas, Annum Vulgarem MCIV. quo decurrebat Annus Sextus Paſchalis, Octobri Menſe, uti & Indictio XII. continuata uſque ad finem Anni. Redeo ad Nonantulanum Monaſterium, cujus jura (ut praeteream quae in Synodo Nonantulana Anno MCLXXXVIII. a Cardinali de Angelis Abbate Commendatario celebrata leguntur) perſpicue percipias ex ſententia quadam Innocentii III. Papae, quam authenticam inſpexi inter pauculas Chartas ſuperſtites ampliſſimi illius Coenobii.

Decretum Innocentii III. Papae in controverſia de Eccleſiâ aedificatâ Spinalamberti, agitatâ inter Martinum Epiſcopum Mutinenſem, & Raimundum Abbatem Nonantulanum, Anno 1213.

INnocentius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Raimundo Abbati Nonantulano *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cauſa, quae inter te, ac venerabilem fratrem noſtrum* Martinum Epiſcopum Mutinenſem, ſuper Eccleſia, quam in Caſtro, quod dicitur Spinalamberti, *dictus Epiſcopus aedificavit, vertebatur a venerabili fratre noſtro* O. Parmenſi Epiſcopo, *& ſuis Conjudicibus, delegatis a nobis, cum depoſitionibus teſtium, juramentis & confeſſionibus partium ad noſtrum remiſſa judicium & utriuſque partis Procuratoribus in noſtra praeſentia conſtitutis, tuus propoſuit Procurator, ſufficienter eſſe probatum, eundem Epiſcopum Eccleſiam in fundo tui Monaſterii conſtruxiſſe. Cum enim Caſtrumvetus, & totum Spinalambertum ex donatione clarae memoriae* Urſonis Ducis *ad Monaſterium pertineat memoratum, ſicut per inſtrumentum donationis apparet, & oſtenſum fuit, quod* R. quondam praedeceſſor tuus *in emphiteoſim conceſſerit* Marchioni Bonifacio; *& alii ſucceſſores ipſius in feudum poſtmodum ſucceſſive Manfredis & Dominis Beccafabis, qui fidelitatem exinde faciunt Monaſterio, & ejus nomine de terris illis exigunt penſionem, diſtrictum habentes & juriſdictionem exercentes ibidem, non ſine injuria Epiſcopus in ſolo ipſius Monaſterii eandem edificavit Eccleſiam, praeſertim cum idem Monaſterium Privilegiis gaudeat Pontificum Romanorum*, ut nullus in Parochiis Eccleſiarum ſuarum, in quibus nullus Epiſcopus juriſdictionem habet, Eccleſiam edificare preſumat, nec in aliis etiam, niſi tuo & Monachorum aſſenſu requiſito primitus optento, *aſſerebat nihilominus, per teſtes eſſe probatum, locum litis, in quo* Epi-

Episcopus edificavit Ecclesiam, situm in Parochia Ecclesiae Sanctorum Senesii & Theopompi, quae ad dictum Monasterium pertinet pleno jure. Adjecit etiam quod clam edificavit Episcopus Ecclesiam memoratam, quia celavit adversarium, nec denuntiavit eidem, cum extimaverit vel extimare debuerit, se prohiberi debere. Unde quod sic edificatum esse dignoscitur demoliri penitus postulabat, presertim cum tu olim ad edificandam ibidem Ecclesiam primarium lapidem a Sede Apostolica postularis, & dilecti filii I. Archipresbyter & G. Canonicus Bononiensis, a nobis delegati, cognoverint, locum illum ad ipsum Monasterium pertinere, ac esse prorsus exemtum. Ceterum allegavit ad ultimum, quod cum justam causam possidendi habeat Monasterium, & sub justo titulo possessionem continuaverit ab antiquo, etiam si actum sit interdicto Uti possidetis, *in illo superior pars ejusdem Monasterii reperitur, & sic pro ipso deberet fieri sententia, non obstante, quod Episcopus asserit, se coepisse in proprio aedificare allodio, cum ex instrumento permutationis, quo Procurator ejus in judicio fuit usus, appareat, quod longo tempore, postquam coepit aedificare, fundum, quo aedificium est constructum, a Romanello permutationis titulo recepisset. Procurator autem Episcopi proposuit ex adverso, quod cum Mutinenses Cives, in loco praedicto & inhabitato Castrum aedificaverint, quod dicitur Spinalambertum, & novos habitantes adduxerint, Episcopus jure Dioecesano volens in divinorum perceptione suo Populo providere, ibi Ecclesiam in proprio solo fundavit; contra quam non admittendam petitionem partis adversae dicebat, allegans quod ad demoliendum istud edificium per denuntiationem novi operis agi non poterat, quia denuntiatio novi operis non praecessit. Et adjecit, quod cum Procurator tuus peteret, ne idem Episcopus in loco litis te ullatenus molestaret, & Procurator Episcopi adversùs te petitionem similem replicaret, interdictum* Uti possidetis *deductum in judicium videbatur. Sed in eo partem suam superiorem esse dicebat, quoniam in eodem interdicto ille debet haberi superior, qui non vi, non clam, non precario ab adversario tempore litis possidet contestatae. Unde cum Episcopus locum juris, ut proprium, & justo titulo, scilicet permutationis, possideat, nec vi possidere, nec nulli vim ibidem intulerit, nec clam etiam dici debebat, cum in suo edificans non debuerit credere, quod super hoc adversùs eum movere debuerit aliquis questionem; unde petebat pars Episcopi super hoc a tua impetitione absolvi, non obstante quod praedicti Bononienses denuntiaverint, locum ipsum, sicut fertur, exemtum: quia cum non fuerit citatus Episcopus, cujus intererat, ex quo agebatur de loci exemptione, vocari, eo quod nulli magis quàm Diocesano Episcopo ex hoc poterat generari praejudicium, eorum processus erat in irritum revocandus; quia secundùm legitimas sanctiones nec Imperiale responsum, quod supplicatio litigatoris obtinuit, nec interlocutio cognitionis ex parte actoris vel rei, statum valet innovare possessionis, eo, qui rem tenet absente. Auditis igitur hiis & aliis, quae hinc inde fuere proposita coram nobis, providimus questionem hujusmodi per concordiam sopiendam. Unde assentientibus tuo & partis alterius Procuratoribus, sic duximus providendum:* Ut Ecclesia, de qua questio vertebatur, Episcopo pleno jure remaneat; & aliam in eodem Castro in fundo proprio, si volueris, edifices, & ipsa ad tuum Monasterium pertineat pleno jure. Parochiani autem, qui

qui ad locum accessere praedictum, postquam Castrum edificari coepit ibidem, & qui accesserint in futuro, inter Episcopum & Monasterium per medium dividantur, salvis semper aliis Privilegiis Monasterii supradicti. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*


Datum Romae apud Sanctum Petrum V. Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Septimo decimo.

Quod hactenus commentatus sum de Coenobio Nonantulano, transferendum est ad Cavense, Farfense, Vulturnense, Bobiense (si quidem omni suspicione careant antiquissima eorum Privilegia) atque ad alia celeberrima Italiae Monasteria. Et haec sane e Privilegiis Monachorum edisças. Verùm cum iis conferenda quoque forent Episcoporum monumenta ac Privilegia. Exempli caussâ prodeant Literae Alexandri III. Papae, quas in Archivo Monachorum Benedictinorum Sancti Petri Mutinae autographas vidi, in quibus ea verba potissimùm consideranda sunt: *Statuimus quoque, ut infra Parochias Monasterii & Ecclesiarum vestrarum, nullus Ecclesiam, vel Oratorium sine assensu* EPISCOPI, *& vestro aedificare praesumat.* Viden' ut Episcopi juribus consultum voluerit summus Pontifex. Sed ipsas Literas integras proferre satius duco.


Alexandri III. Papae Bulla, qua Monachis Sancti Petri Mutinensis omnia illorum jura ac bona confirmat, Anno 1172.

Alexander Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis filiis* Geminiano Abbati Sancti Petri Mutinensis, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae Religionis infrigat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & praefatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus &c. Preterea diffinitionis sententiam, que super causa, que inter vos & venerabilem fratrem nostrum* G. Paduanum Episcopum *de Monasterio Candian. diutius est agitata a venerabilibus fratribus nostris Papiense & Placentino Episcopis, & dilecto filio* B. Electo Sancti Sepulcri, *lata esse dinoscitur, sicut in autentico scripto exinde facto continetur, vobis & Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & eam firmam & ratam in perpetuum manere sancimus. Ad haec correctionem, ordinationem, & dispositionem ipsius Monasterii, & omnium ad ipsum pertinentium, secundùm quod vobis per sententiam concessa sunt, tibi, fili Abbas, & Successoribus tuis, & per vos eidem Monasterio duximus integra auctoritate Apostolicâ confirmanda. Statuimus quoque,* ut infra Parrochias Monasterii & Ecclesiarum vestrarum nullus Ecclesiam vel Oratorium sine assensu Episcopi & vestro edificare praesumat. *Sane novalium vestro-*

vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis Decimas praesumat exigere. Prohibemus insuper, ut nullus Laicus a vobis decimas exigere audeat, vel quomodolibet extorquere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicae auctoritate & Diocesani Episcopi Canonicâ justitiâ. *Si qua igitur &c. potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio &c.*



Ego Alexander Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi.*



Ego Bernardus Portuensis & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.

Ego Gualterius Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Guillelmus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Petri ad Vincula subscripsi.

Ego Boso Presbiter Cardinalis Sancte Pudentiane titulo Pastoris subscripsi.

Ego Petrus Presbiter Cardinalis titulo Sancti Laurentii in Damaso subscripsi.

Ego Johannes Presbiter Cardinalis titulo Sancti Marci subscripsi.

Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Nicholaji in Carcere Tulliano subscripsi.

Ego Cinthius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani subscripsi.

Ego Manfredus Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.

Ego Hugo Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii juxta Templum Agrippae subscripsi.

Ego Vitellus Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bachi subscripsi.

Ego Petrus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Aquiro subscripsi.

Datum

Datum Anagnie per manum Gratiani sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii, XII. Kalendas Julii, Indictione VI. Incarnationis Dominice Anno MCLXXII. Pontificatus verò Domni Alexandri Pape Tertii, Anno XIIII.


Signum Bullae plumbeae pendentis deperditae.

Verum longe majoris momenti hanc in rem mihi videtur Bulla Callisti II. Papae pro Mutinensi Ecclesia, quam etsi evulgarint Sillingardus & Ughellius, heic tamen Lectoribus exhibendam putavi, tum correctiorem, tum Cardinalium subscriptionibus, ac Notis Chronologicis auctam, ex authentico existente in insigni Tabulario Canonicorum Mutinensium.

Callisti II. Bulla, qua Episcopo Mutinensi, ejusque Ecclesiae omnia jura ac privilegia ad ipsam pertinentia confirmat, Anno 1121.

CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei venerabili Fratri* Dodoni Mutinensi Episcopo, *ejusque Successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Tuis ergo, frater in Christo carissime Dodo Episcope, precibus annuentes, ad perpetuum sancte, cui Deo auctore presides, Mutinensis Ecclesie pacem ac stabilitatem, presentis Decreti auctoritate sancimus, ut universi Mutinensis Episcopatus fines quieti deinceps omnino & integri tam tibi quàm tuis Successoribus conserventur. Qui nimirum fines his distinctionibus distenduntur, videlicet a terminis illis, qui Lucanum & Pistoriensem Episcopatus a Mutinensi dividunt usque ad flumen illud, quod appellatur Burana, & usque ad terminum illum, qui Mutia vocatur, atque inde usque ad illum terminum, qui Bononiensem Episcopatum a vestro Episcopatu disjungit. Ex altera verò parte usque ad terminos, qui Episcopatum Mutinensem a Regino discernunt. Ecclesiarum verò, que infra hos terminos continentur, conservationes, Clericorum promotiones, decimas & oblationes, secundùm sanctorum Canonum constitutiones, tibi tuisque Successoribus concedimus & confirmamus;* Precipue in Plebe Sanctae Marie de Dodruntio, que est in Curte Sici, & in Capellis ejus; in omnibus Ecclesiis, que sunt in Castro Curte Solarie, & in Plebe Roncalie: in omnibus Ecclesiis de Ponte Ducis; in Ecclesia de Camurana; in Ecclesiis de Curte Curtiole; in Ecclesia de Scoplano; in Ecclesia Sancti Petri in Sicula; & in Ecclesiis, que sunt in Castro Veteri, & in Curte ipsius; in omnibus Ecclesiis, que sunt in Castro & Curte Panciani de Leonensi Abbatia; & in omnibus Ecclesiis que sunt in Plebe Rubiani. *Quecumque preterea bona, quascumque possessiones vel in presenti legitime possidetis, vel in futurum, largiente Deo, juste atque canonice poteritis adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo*, ut nulli omnino Episcoporum facultas sit infra predictos fines sine tuo vel Successorum tuorum consensu, Ecclesiam consecrare, Chrisma conficere, aut Clericos ordinare,

re, praeter Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantule. *Nulli etiam hominum liceat Ecclesiam vestram perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; set omnia integra conserventur tam tuis, quàm Clericorum & Pauperum usibus profutura. Sane* de Presbiteris, *qui* per Parochias ad Monasteria pertinentes in Ecclesiis constituuntur, *Praedecessoris nostri sanctae memoriae* Urbani Secundi *sententiam confirmamus*, *statuentes*, ne Abbates in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbiteros collocent: set Episcopi Parochie curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut ejusmodi Sacerdotes de Plebis quidem curâ Episcopo rationem reddant; Abbati verò pro re- A bus temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur. *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se* B *divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem nostre Ecclesie justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fru-* C *ctum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.*



Ego Calixtus Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.

Ego Crescentius Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Portuensis Episcopus subscripsi.
Ego Vitalis Albanus Episcopus subscripsi.
Ego Divizo Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Bonifacius titulo Sancti Marci Presbiter Cardinalis subscripsi.
Ego Robertus Cardinalis Presbiter titulo Sancte Sabine subscripsi.
Ego G. G. Cardinalis Presbiter titulo Sancte Prisce subscripsi.
Ego Theobaldus Presbiter Cardinalis titulo Pammachii subscripsi.
Ego Rainaldus Presbiter Cardinalis Sanctorum M. & P. subscripsi.

Ego

Ego Desiderius Presbiter Cardinalis titulo Sancte Praxedis subscripsi.

Ego G. G. Presbiter Cardinalis titulo Lucine subscripsi.

Ego Asdeait titulo Sancti Laurentii Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Georgius Presbiter Cardinalis titulo Sancte Suxane subscripsi.

Ego Johannes titulo Sancti Grisogeni Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Sigizo Cardinalis titulo Sancti Sixti subscripsi.

Ego Romoaldus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Via Lata subscripsi.

Ego Johannes Diaconus Cardinalis titulo Sanctorum Cosme & Damiani subscripsi.

Ego Girardus Diaconus Cardinalis Sancte Lucie subscripsi.

Ego Jacinthus Sancte Romane Ecclesie Subdiaconus, & Subdiaconorum Prior subscripsi.

Ego Romanus Sancte Romane Ecclesie Subdiaconus subscripsi.

Ego Ugo Romane Ecclesie Subdiaconus subscripsi.

Data Laterani per manum Grisoboni Sancte Romane Ecslesie Diaconi Cardinalis ac Bibliotecarii, Quarto Nonas Marcii, Indictione XIIII. Incarnationis Dominice Anno MCXXI, Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Pape Anno III.

Heic ad jus Mutinensis Ecclesiae A pertinere dicuntur Ecclesiae *de Dodruntio*, *in Curte Sici*, *in Curte Solariae*, *Roncaliae*, *Pontis Ducis*, *Camuranae*, *Cortiolae*, *Sclopani*, *Sancti Petri in Sicula*, *Castriveteris*, *Panciani*, *& Rubiani*. Atqui has ipsas Ecclesias enumeratas deprehendis in Bullis Pontificiis Nonantulano Coenobio concessis. Ad haec decernitur heic, B *ut nulli Episcoporum facultas sit infra praedictos fines sine tuo vel Successorum tuorum consensu, Ecclesiam consecrare, Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, praeter Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantulae*. Non ait Ecclesias Abbatiae aut Monasterii Nonantulae; tantummodo ait *Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantulae*; hoc est minime excipit reliquas Ecclesias Nonantulano Coenobio subiectas. Immo disertis verbis addit Pontifex: *De Presbyteris, qui per Parochias ad Monasteria pertinentes in Ecclesiis constituuntur, Praedecessoris nostri sanctae memoriae Urbani Secundi Papae sententiam confirmamus, ut Abbates &c.* Quei ergo post Annum Christi MCXXI. quo data est Bulla haec, ita Nonantulani Monasterii jura invaluere, ut exinde propriam Dioecesim, & excluso Episcopo Mutinensi, Parochos in eisdem locis confirmet? Ad haec, cur eidem Episcopo aliae nunc subsunt, quae tamen Abbati Nonantulano in antiquis Privilegiis subesse dicuntur? Exquirere caussas non vacat: illud C tantum ajo, si quae olim controversiae fuerunt, jamdiu tempus omnia com-

composuisse, & utramque Dioecesim quieto nunc ordine regi, ita ut disputandi in posterum de illarum juribus sublatus sit locus. Sed animadvertisse non poenitet ad aliorum exemplum, qui scissuras Episcopatuum suorum commodius poterunt hac luce investigare. Tu, si plura cupis, consule infra Dissertationem LXX. *de Cleri & Ecclesiar. Immunitate*. Interea dissimulandum nequaquam est, in Lateranensi Concilio I. quod sub eodem Callisto II. Papa celebratum fuit Anno Christi MCXXIII. excitatam fuisse ab Episcopis multiplicem querimoniam adversùs Monachos, quorum ditio & Privilegia adeo amplificata fuerant, ut jam extenuata atque expilata videretur Episcoporum auctoritas, & sublimis gradus. Neque enim tantummodo Abbatibus Pontificalia ornamenta conlata fuerant, sed quam quisque partem e Dioecesibus Episcopalibus arripere potuerat, veluti Dioecesim propriam regebat. Rem memoriae prodidit Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 78. Chronici Casinensis, cujus verba sunt: *In ea Synodo Episcopi & Archiepiscopi adversùs Monachos proclamationem fecerunt, dicentes, nil aliud superesse, nisi ut sublatis Virgis & Anulis deservirent Monachis. Illi enim Ecclesias, Villas, Castra, Decimationes, vivorum & mortuorum Oblationes retinent. Et rursus haec saepius ante Pontificem conquerentes: decidit pudor: Canonicorum honestas obliterata est: Clericorum religio cecidit; dum Monachi contemto caelesti desiderio, jura Episcoporum insatiabiliter concupiscunt; & omnes, quae sua sunt, quaerunt: & qui Mundum cum suis concupiscentiis reliquerunt, his, quae in Mundo sunt, inhiare non desinunt. Et quibus per Beatum Benedictum a curis mundialibus ultro quiescendi locus offertur, ad tollenda ea, quae Episcoporum sunt, opportune importune fatigantur.* Ibi propterea Canone XVII. interdictum fuit, *Abbatibus & Monachis publicas poenitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & Missas publicas cantare; Chrisma, & Oleum, Consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochia manent.* Quid Monachi pro se tunc reposuerint, nihil attinet referre. Neque enim lubet, momenta rationum utriusque partis in praesentia expendere. Potuissent tamen Monachi, & ipsi poscere, cur Episcopi & Archiepiscopi, postquam Apostolus secundâ ad Timotheum Cap. 2. vers. 4. eos uti *militantes Deo* monuerat, ne *implicarent se negotiis secularibus*, non minori cupiditate Comitatus, Urbes, Castella, aliaque Secularium hominum munera ac jura sibi conquisiissent, & adhuc in dies conquirerent, atque in sanguinolentia etiam bella ferrentur. Quod unum nosse heic juvat: frustra fuit illorum Episcoporum proclamatio, & adeptis honoribus, ac juribus frui perrexerunt Monachi, eorumque Abbates.


Contra fuere olim etiam nonnulli ex Episcopis, quibus satis non fuit suam propriam Dioecesim regere, sed placuit manus immittere in alienas; hoc est, curarunt, ut Populo Episcopatus sui alter aliquis conterminus adderetur, atque unus Episcopus duas regeret Dioeceses. Id factum quandoque fuit justis de caussis, & assensum praebente Apostolica Sede, si quando bellorum rabies, aut succrescentes paludes attrivissent Ecclesias, vastassent agros, & Episcopo reditus debiti, ac necessarii periissent. Interdum verò id sine caussâ perpetratum, atque ut ambitioni quorum-

rumdam fieret satis, Principibus Laicis, non verò Pontificibus Romanis, usurpationem hujusmodi contra sacros Canones foventibus. In Chronico Vulturnensi Part. 2. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 388. habita est quaestio Anno Christi DCCCXXXIX. coram *Sicardo Principe Beneventano inter Hermerissum Episcopum Beneventanum*, & Monachos Sanctae Mariae de Sano, caussâ Baptismalis Ecclesiae cujusdam, quam Episcopus ad se, Monachi verò ad suum Monasterium pertinere contendebant. Nullam hujus *Hermerissi* Episcopi Beneventani mentionem habet Ughellius in Catalogo Beneventanorum Praesulum; qui propterea statuendus est inter *Ursum* & *Ayonem* Antistites, Anno DCCCXXXIX. Ad haec in eâdem Chartâ Vulturnensi legitur, Baptismalem illam Ecclesiam *usque ad tempus Domni Gisulsi Ducis & Munoaldi reverentissimi Episcopi fuisse in dominio sanctae Beneventanae Ecclesiae*. Et hic *Munoaldus* Episcopus itidem Beneventanus ignotus fuit Ughellio. Ab Anno DCCXXXII. usque ad DCCXLIX. Ducatui Beneventano praefuit Gisulfus II. secundùm Peregrinii calculos. Ergo inter *Adericum* & *Ambrosium*, qui ex fide Marii Viperae Cathedram Beneventanam tenuerunt post Annum Christi DCC. collocandus erit *Munoaldus*, seu *Monualdus*. Itaque in illo Placito ostendebat *Hermerissus* seu *Hermeris Episcopus*, detineri a Monachis, repugnantibus sacris Canonibus, Parochialem Ecclesiam. Ad haec quid illi? Recriminabantur, contendendo, *Principes, & Antistites ponere in oblivionem Canones, & Edicta gentis nostrae Langobardorum, & sequi in judicando usus hujus nostrae Provinciae*. Tum addunt: *Attamen si hoc per Antecessores minime stare potest, quia ad Canones judicare vultis: quomodo sanctus noster Barbatus Episcopus obtinuit a bonae recordationis Domno Romoaldo, ut usurparet sanctam Sedem Sipontinam; & per ejus obsecrationem, praedicta Sedes usurpata est, & contradita sanctae Sedis Beneventanae Ecclesiae; & ab eo tempore usque nunc ibidem minime fuit consecratus Episcopus?* Pergunt etiam dicendo, *Sipontinum Episcopatum, & ejus Parrociam per Praeceptum Domni Romoaldi Beneventano Episcopo fuisse concessam: quod & nobis esse videtur, contra Canones factum fuisse*. Haec audiens Sichardus Princeps, petiit a Justo Archipresbytero sanctae Beneventanae Ecclesiae, ibi agente pro Episcopo Hermerisso, *an ipsa Sedes Sipontina cum Canonica sanctione* (hoc est secundùm Canones, & probante Apostolica Sede) *fuisset sublata. Et ipse nobis claruit, dicens, quod contra Canones facta est usurpatio praedictae Sedis Sipontinae*. Habemus heic, unde falsi postulemus Literas Vitaliani Papae, a Mario Vipera productas, quibus unio Sipontinae Ecclesiae cum Beneventana probatur. Ut alia omittam, pugnat textus, pugnant & Notae Chronologicae Bullae illius cum Historia: quod & Camillus Peregrinius & Ughellius sunt suspicati. Quam ob rem nil mirum, si Anno Christi DCCCXXXIX. quo scripta fuit Charta Vulturnensis, hasce Literas ignorabant veteres Beneventani; sed tantummodo norant, factam unionem illam fuisse *per Praeceptum Romualdi Ducis Beneventani*, & quidem, si mendo caret Charta, *per usurpationem*.

Vicissim vero abundant exempla locorum & Urbium Dioecesi & Episcopo suo olim fruentium, quorum nomina in vetustis Historiis, Conciliis, & Chartis occurrunt; sed nunc aut

aut nullum, aut modicum retinent antiquae dignitatis vestigium. Legitimis autem de caussis ejusmodi decus aut in iis cessavit, aut ab iis avulsum fuit, sive quod illis in locis succreverit illustrior quaepiam Civitas, in quam translata fuerit Cathedra Episcopalis; sive quod funditus eversae Urbes, Populique succisi, locum fecerint finitimis Episcopis, ut pristinam amplificarent Dioecesim; sive etiam quod ob facinora Civium Episcopalis honor eorum Ecclesiae ereptus fuerit. Sunt ergo loca non pauca, quae suos antiquitus aluere Episcopos, nostris verò temporibus, Dioecesi in conterminas Ecclesias divisâ, nihil servant vetusti decoris. Sunt & quae nomen saltem retinent, unitae quippe eorum Ecclesiae alteri, *Con-cathedralitatis*, ut ajunt, titulum atque ornamentum adhuc ostentant. *Brixelli* Oppidum ad Padum, Atestinis Mutinae, Regii &c. Ducibus subjectum, nunc in spirituali regimine subest Episcopo Mutinensi. Olim Episcopalis Civitas fuit, ejusque Dioecesim Parmenses & Regienses Episcopi absorbuerunt. *Acilium* quoque (*Asolo* Italice) Oppidum, Tarvisinis conterminum, a propriis olim Episcopis regebatur. A compluribus Seculis Tarvisino Episcopo paret, nostrisque diebus ut honorem saltem *Con-cathedralitatis* tandiu amissum reciperet, frustra insudavit. Contra *Adriensis* Episcopatus Rhodigium; *Lunensis* Serezanam, & *Tuscanensis* seu *Tuscaniensis* Viterbium, ab antiquis Urbibus ad novitias translati, in titulario Episcoporum nostri aevi, non interrupto splendore, vario tamen ordine commemorantur. *Bobium* contra Flaminiae Civitas, cujus Episcopos antiqua aetas novit, ita periit, ut ne ejus quidem rudera nunc Eruditis sint nota, ejusque Dioecesis universa in Antistitem Sarsinatensem coaluerit. Reliquis autem praetermissis, id unum omittere nolo, nempe incertum esse, quo tempore Ferraria, nunc illustris Civitas, & Archiepiscopali dignitate nuper aucta, quamquam barbaricis temporibus nata, ad Episcopalem Civitatem evecta fuerit. Nam quae de Marino primo Episcopo, aliisque eorum temporum vetustissimis Episcopis circumferuntur, fabulas olent, & nullo certe stabili fundamento nituntur. Regioni verò illi ante conditam Ferrariam censent Eruditi Ferrarienses, praefuisse Episcopos, quorum Sedes foret *Vico-habentiae* (nunc vulgo *Voghenza*) quae nostro aevo vicus est Ferrariensis Ducatus, atque Dioecesis, unde antiquis temporibus Ferrariam translati fuerint. Et sane inter Episcopos Metropolitae Ravennati olim subjectos numeratur *Vico habentinus* in Diplomate Valentiniani III. Augusti apud Rubeum in Historia Ravennate, quod monumentum etsi omnino supposititium est, antiquissimum tamen fateri oportet, quum de illo mentionem fecerit circiter Annum Christi DCCCXXX. Agnellus in Vitis Archiepiscoporum Ravennatum, Part. I. Tomi I. Rer. Italicarum. Ferrariensium quoque sententia est, neque improbanda, *Viqueriam* (nunc *Voghiera*) alterum vicum non longe a Vico-habentia positum, qui idem cum Vico Adventino a vetustis Scriptoribus memorato creditur, ejusdem Vico-habentini Episcopi Sedem aliquando fuisse. Atque ibi sane vetustissimi lapides cum literis effossi sunt, & in iis monumenta duo visuntur, in quibus Episcoporum nomen legitur. Is autem tractus eminens est, eoque non pertingunt unquam Padi aquae, aggeribus

bus ruptis effusae. Lubet producere duas illas Inscriptiones, quas debeo Josepho Antenori Scalabrinio, in Ferrariensi Civitate Rectori Ecclesiae Sanctae Mariae in Bucca, accuratissimo Antiquitatum Ferrariensium investigatori. Alterius marmor bifariam divisum, ubi pineae & pampini inscripti fuere, nunc in ea Villa os putei exornat. Primam igitur earumdem Inscriptionum accipe:



Altera Inscriptio in eadem Viqueriae Villa legitur, in marmore insculpta super Arcam, in qua olim jacebat Corpus Sancti Leonis, translatum postea Ferrariam.

INNI ✠ DNI TEMPORIBS D̄N MAVRICINI

V̄B EPIS. SERVVS TVVS SERVIENS TIBI FECIT

☧ INDIC XI

Hanc descripsit Scalabrinius supra laudatus e Chartis Matthaei Fiaschi Notarii. Pro INNI legendum fortassis est INNO, ut sit IN NOMINE. Vereor etiam, ne in vocabulis illis SERVVS & SERVIENS aliquid vitii lateat. Heic autem se nobis offerunt duo *Venerabiles Episcopi* (ita quippe reddendae sunt literae V̄B EPS, aut EPIS.) *Georgius & Mauricinus*. Cuinam Ecclesiae praefuerint, non facile decernas. In Catalogo Archiepiscoporum Ravennatium occurrunt *Georgius* ad Annum Christi DCCCXXXVI. cujus nomen Ughellius perperam in *Gregorium* convertit; & *Maurus*, qui Anno DCL. Ravennatem Cathedram implebat. Eum suspicari aliquis posset vulgo appellatum *Mauricinum*, quamquam *Mauricinus* diminutivum potiùs *Mauricii* videatur. Apud Fabrum & Rubeum, sed castigatiùs apud Illustrissimum & Clarissimum Fontaninium Archiepiscopum Ancyranum, in Dissertatione de Disco Votivo, legitur Inscriptio existens adhuc Bagnacavalli, in Dioecesi Faventina his verbis, primae nostrae Inscriptioni respondentibus:

DE DONIS DI ET SCI PETRI APOSTOLI
TEMPORIBUS DN DEUS DEDI VB EPC
IOHANNIS VMLIS PR FECIT ☧ IND. V.

Doctiſſimi ii viri cenſuerunt, memorari heic *Deuſdedit* Archiepiſcopum Ravennae, poſitumque lapidem circiter Annum Chriſti DCCCXLVII. ſive Anno DCCCLVII. uti rectiùs opinatur idem Fontaninius, quum eo Anno in curſu eſſet *Indictio V.* Verùm divinando potiùs, quàm certâ aliquâ ratione, eruditi illi viri in hac Inſcriptione invenerunt *Deuſdedit Archiepiſcopum Ravennatem*. Nam quòd hujus nominis Archiepiſcopum Ravenna dederit, parum eſt, quum & Faventiae alter *Deuſdedit* ſediſſe potuerit, ad cujus Dioeceſim, ut nunc, ita olim Bagnacavallum, ſeu Tiberiacum Oppidum, ut Rubeus putat, pertinuiſſe credendum eſt. Et ſane corruit Illuſtriſſimi Fontaninii ſententia. Neque enim ad Annum DCCCLVII. protrahenda eſt Deuſdedit Archiepiſcopi Ravennatis Vita, quum Johannes Archiepiſcopus ejus ſucceſſor jam Anno DCCCLIII. Ravennatem Cathedram teneret. Lege Acta Concilii Romani habiti Anno eodem DCCCLIII. edita ab Holſtenio & Labbeo. Iis ſubſcribit *Paulus Diaconus vicem agens Johannis Archiepiſcopi Ravennatis*. Ergo Deuſdedit jam locum fecerat Anno DCCCLIII. Johanni Succeſſori, eumque reſpicere nequit Inſcriptio poſita *Indictione* V., nulla enim *Quincta Indictio* cadit in Vitam Deuſdedit. Ac propterea alterius Dioeceſis Epiſcopus quaerendus ibi. Faventinis liceat eum ſibi tribuere. Scalabrinius ſupra memoratus *Vico-habentinum* ſuſpicatur, & Inſcriptionem referendam putat ad Seculum Chriſtianae Aerae Quinctum aut Sextum. Et ſane ad verum propius accedat, qui opinetur, *Georgium & Mauricinum*, Epiſcopos Vico-habentiae fuiſſe, Ughellio & Scriptoribus Ferrarienſibus hactenus ignotos. Sermo CLXXV. Sancti Petri Chryſologi in conſecratione *Marcellini Epiſcopi Vico-haventini*, teſtis eſt, Vico-habentiae ſediſſe olim Epiſcopos, quorum Sedes primo Vigueriam, denique Ferrariam translata fuit. Tribuendi igitur Vico-habentinae Eccleſiae & ii videantur.

DE

DE MONASTERIORUM ERECTIONE, ET MONACHORUM INSTITUTIONE.

DISSERTATIO SEXAGESIMAQUINCTA.

DISSERTATIO

SEXAGESIMAQUINCTA.

VEl ab ipso Ecclesiae initio Monachorum originem si quis deducere velit, argumenta non deerunt, quibus ejusmodi opinio veri omnino similis appareat; non quod Monasteria jam tum esse coeperint, sed quod homines inter Christianos ne tunc quidem defuerint, qui divinâ Christi Philosophiâ imbuti, Seculo contemto, sibi vivebant, & coelestium rerum contemplationi ac severiori disciplinae vitae sese totos addicebant. Non Monachi ii appellabantur, sed *Philosophi*, & 'Ασκηταὶ, quorum Philosophorum mores in vestibus atque in studio omnium virtutum, & scientiae, cum Theologicae, tum Moralis aemularentur, sed longe meliori scopo, lumine atque progressu, quàm Ethnicorum Philosophi. Trita jam disputatio est, num veteres Esseni ac Therapeutae Christi sectatores fuerint. Utcumque statuas, satis est unus Hieronymus, qui Seculo Christianae Aerae Quarto florebat, ad nobis persuadendum, Monasticae vitae primordia atque institutionem non in eo tantum Seculo esse querenda, sed & in praecedentibus, quamquam nondum Ascetae isti, sive Philosophi Christiani certis legibus ac regulis suam constabilisse sectam credendi sint. Tandem verò *Monachi* appellari coepti sunt, quum solitudini sese dedere, sive Eremiticam vivendi rationem sequerentur, sive in Monasteria a Populi consortio remota sese reciperent: quod factum novimus Seculo eodem Quarto post Christum natum. Nam invalescente, ac jam mirum in modum dilatatâ primum sanctissimâ Christi Religione per Orbem, tum primum in Oriente, hoc est in Aegypto, ac Palaestina, Monachorum Coenobia coepta sunt institui, quo convolabant, qui spretis, & ejuratis Seculi pompis, aut ex humanarum rerum instabilitate fessi, ad Virtutem tantùm atque ad coelestium meditationem in solitudine inhiabant. Eorum vitam Angelicam pluribus describunt praelaudatus Hieronymus, Athanasius, Chrysostomus, Cassianus, aliique eorum temporum Patres. Ex Oriente in Occidentem praeclarissima hujusmodi institutio delata deinde fuit: neque a verò abludat quisquis opinetur, in Italia prima illius fundamenta jacta fuisse Mediolani in Urbe splendidissimâ, atque inde in reliquas Italiae, immo & Occidentis Civitates eamdem fuisse diffusam & propagatam. Clarissimus Vir Christianus Lupus in Scholiis ad Tertulliani Librum de

Praescriptione pag. 42. haec scribebat: *Usque ad Augustini Episcopatum Africana Ecclesia & Virorum & Virginum Coenobia penitus ignoravit. Nam & ipse Augustinus, dum in Italiam doceret Rhetoricam, ignoravit vocem Monasterium.* Sententiam hanc, auctoritate viri tanti fretus, sine ullo examine excepit alter celeberrimus Scriptor, Daniel Papebrochius e Societate Jesu, in Respons. ad Exhibit. Error. Art. XV. num. 105. in haec verba scribens: *Quid si pariter ostendam, ante Augustini Episcopatum, qui non fuit nisi Saeculo Quinto, nullum in Italia, nullum in Africa, quae precipue Fidei Catholicae tunc erant regiones, fuisse seu Virorum seu Mulierum Coenobium? Certe id asserit Christianus Lupus &c.* Sed neuter non satis accurate in rem istam inspexit. Teste Augustino Lib. 4. Cap. 6. Confessionum, *erat Monasterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra Urbis moenia sub Ambrosio nutritore.* Ambrosius ipse idem confirmat in Epistola ad Vercellenses, carpens Sarmationem ac Barbatianum, qui Joviniani errores adoptarant. *Fuerunt*, inquit, *nobiscum, sed non fuerunt ex nobis; neque enim pudet dicere, quod dicit Evangelium Johannis. Sed heic positi jejunabant, intra Monasterium continebantur &c.* Ergo jam Seculo Quarto Monasteriorum usus Mediolanum invectus fuerat. Immo longe etiam ante Sancti Ambrosii tempora idem institutum illuc penetrarat curâ Sancti Martini, celebratissimi postea Turonensium Episcopi. Severus Sulpicius in ejus Vita Cap. 4. de eo in hunc modum loquitur. *Italiam repetens, quum intra Gallias quoque discessu Sancti Hilarii, quem ad exsilium Haereticorum vis coëgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi Monasterium statuit.* Gregorius Turonensis in Histor. Franc. in fine Libri primi, & in Libro decimo Cap. 31. hoc idem repetit scribens: *Apud Urbem Mediolanensem Italiae primo Monasterium constituit.* Audi etiam Paulinum Petricordium in Vita ejusdem Sancti Martini, Libro primo ita loquentem.

B

- - - - - - - constructâ statuit requiescere Cellâ
Heic, ubi gaudentem nemoris vel palmitis umbris
Italiam pingit pulcherrima Mediolanus.

C

Sed heic insurgit magnus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius, contendens ad Annum Christi CCCXL. Sanctum Athanasium, eo Anno Romam profectum, illuc intulisse Monachismum, & ab Urbe in universas Ecclesias Occidentis emanasse postea sublime illud vivendi genus. En Sancti Hieronymi verba, quae in hanc rem ipse laudat, desumta ex Epistola ad Principiam. *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romae propositum Monachorum, neque audebat propter rei novitatem, ignominiosum (ut tunc putabatur) & vile in Populis nomen assumere. Haec* (scilicet Marcella) *ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianae haereseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suae portum, Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & virginum ac viduarum didicit disciplinam: nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.* Accedat iterum Augustinus, qui in Libro de Morib. Ecclesiae Cap. 33. haec scribit: *Vidi ego diversorium Sanctorum Mediolani non paucorum homi-*

D

E

hominum, *quibus unus Presbyter praeerat*, *vir optimus & doctissimus*. *Romae etiam plura cognovi &c.* Atque hinc infert Baronius ad Annum Christi CCCXXVIII. *nobiliores Ecclesias aemulatas fuisse Romanam*, *ut Mediolanensis*, *quae primum Monasterium juxta Civitatem positum habuit*. Verùm nihil adfert doctissimus Cardinalis, quo nobis persuadeat, primò Romae, tum Mediolani Monasteria fuisse constituta. Nam e vivis abiit Marcella a Sancto Hieronymo laudata Anno Ch. CCCCX. ac proinde Monastica vita ab ea suscepta aut circiter Annum CCCLXX. aut serius collocanda videtur; quum illud institutum ipsa didicerit a magno Athanasio, qui Anno CCCLXXIII., e vivis abiit, immo & a Petro Epiphanii successore. Contra nos supra vidimus, a Sancto Martino fundatum fuisse Monasterium Mediolani, quo tempore *Sanctum Hilarium ad exsilium Haereticorum vis coëgerat*. Atqui Hilarius Anno CCCLVI. in exilium actus est; ac proinde, nisi clariora documenta exerantur, primum in Occidente Monasterium Mediolani constitutum opinari licebit.

Itaque Seculo Christi Quarto & Quincto Monachorum Monasteria coepta sunt aedificari in Italia, & praecipue Mediolani, Romae, Ravennae, Nolae, atque in aliis Campaniae & Calabriae locis, in Insulis Etrusci maris, Aquilejae, & alibi. Celeberrima quoque Saeculo Sexto fuere, quae Cassiodorius, cognomento Senator, in ulteriori Calabria excitavit. Quo etiam tempore fulgidissimum lumen Ecclesiae suae a Deo datum, Sanctus Benedictus floruit, suumque religiosum Ordinem condidit, per quem tum maxime ordinem, leges, melioremque disciplinam in exteriori, & potissimum in interiori animorum cultu suscepit Monasticum in Italia institutum. Nova haec Regula, quidquid laudabile erat in antiquis retinens, brevi per totum ferme Occidentem diffusa est, & ad eam normam excitata ubique fuere Monasteria. Immo & quae ante Sanctum Benedictum, vel eo vivente, aut vita functo sine ejus Regula emerserant, sensim sibi eum deinde ascivere Patrem atque Magistrum. In Concilio Cabilonensi II. habito Anno DCCCXIII. Canone 22. legitur: *Paene omnia Monasteria regularia*, *in his regionibus constituta*, *secundùm Regulam Sancti Benedicti se vivere fatentur*. Olim praeter Monachos non paucos, Coenobiticae, aut Anachoreticae vitae addictos, & sanctitate morum percelebres, passim affluebant Monachi *furvâ tunicâ pullati*, nulli Abbati, nulli Coenobio obstricti, qui in Urbes, ac privatorum aedes, muscarum more, penetrabant, suis commodis, suisque voluptatibus potius, quàm Deo servientes, & *Sarabaitae* peculiari nomine appellati. Istorum vitam, si nomen ac vestem Monachi excipias, cetera Saecularem, exagitavit non semel Sanctus Hieronymus, & boni omnes oderant, quippe a Monastica professione plane alienam, & scandalis frequentibus obnoxiam. Ubi verò sanctissima & severior disciplina Benedicti invaluit, (ut mittam Sancti Columbani, aliorumque instituta a Benedictinis aliquantulum diversa) tum paulatim evanuere Pseudo-Monachorum spissa examina, & in bene ordinatis Monasteriis sanctitas morum, & virtutum omnium cultura conspiciendam se dedit. Certe longe aberant vel ipsi Benedictinae familiae alumni a posteriorum tem-

porum institutis, quibus tot Viri Regularem professionem amplexi, contemplationi quidem divinarum rerum se addicunt, sed simul in Sacramentis ministrandis, in sacris ad Populum concionibus, atque in aliis activae vitae operibus se quotidie exercent, & hominum sanctificationem totis viribus curant. Attamen ejusmodi quoque Monachorum vivendi genus, austeritatem & Seculi contemtum undique spirans, virtutibus multis conjunctum, & solitudinem veluti gratissimum portum quaerens, meritò in admiratione Populorum erat; idque etiam exemplum ad vitia avertenda, & ad virtutem propagandam non parum valebat in animis Secularium. Accessit procedente tempore Literarum, ac praecipue Ecclesiasticarum, studium in Monachis non paucis, quibus etsi familiaris erat, & ex praecepto etiam indictus, manuum labor, tamen aeque Eruditioni ac Scientiis operam dare in usu fuit: quae studiorum ratio, praesertim ubi in Saeculari Clero Literarum amor & cultus deficere coepit, existimationem auxit Benedictinae institutioni.

Praeterea quod in illustrioribus Coenobiis Scholae etiam haberentur, illuc Nobiles ac Potentes Viri filios suos in puellari aetate destinabant, ut sub egregiis Magistris, veluti nunc fit in Nobilium adolescentum Collegiis, educarentur, & pietatis ac eruditionis lac ebiberent. Denique jugis oratio, Psalmodiae, & cantus Monastici perennis ac pius usus, ut alia praeteream, in aures & oculos Populi incurrentes, venerationem singularem Coenobitis tam bene compositis conciliabat; ac potissimum, quod ii in Populo Christiano praecipui forent, in quibus coalescerent

A cuncta ferme ornamenta Virtutis ac Religionis. Illud certe fatendum est, quoties aequis lancibus, & veterum Monachorum acta pensemus, maximum Catholicae Religionis fulcrum fuisse Monachicum institutum cum in Oriente, tum in Occidente. Sancti quippe Monachi Ordinis Benedictini, & ejus Abbates (& horum quidem B non levis olim numerus fuit) Saeculis iis, quibus Barbari totum pervasere Occidentem, atque ignorantiae ac vitiis omnibus apud Saeculares claustra aperuere, egregie consuluerunt necessitati Ecclesiae, non minus excolendo literas, quàm Virtutibus operam dando; ita ut ne pravis quidem temporibus iis desiderata sint C viva ac crebra Sanctitatis exempla, atque Ecclesia vel tunc ostendere potuerit, suam pulchritudinem nunquam defecisse. *Inclusorum* quoque, sive *Reclusorum* austera vivendi ratio admirationem omnium facile olim in se convertebat. Esse enim coeperunt post Tertium a Christo nato Seculum pii Viri, qui non solùm Eremiticae sive D Anachoreticae vitae in solitudine se tradiderunt, sed etiam inter angustias unius cellae conclusi, ibi reliquum suorum dierum, nunquam inde exeuntes, agebant. Genus hoc Monachorum per quamplurima Secula perdurasse reperimus: & quamquam a Cassiano Collat. 18. Cap. 8. & a Sancto Isidoro in Regula Cap. V. mi- E nime probetur, multum tamen venerationis a Populo impetrabat. Eosque aemulatae virgines ac mulieres non paucae occurrunt in veterum Libris, pleraeque tamen extra Italiam, quae pariter in Cella ostio carente inclusae, tam durum ac periculosum vitae institutum sequutae sunt. Quid uni ex hisce Reclusis Virginibus contigerit Seculo Christi XV. (nam ad

ea

ea uſque tempora mos iſte perduravit) narrat Antonius Aſteſanus Lib. primo, Cap. *9.* Poëmatis a me editi Tom. XIV. Rer. Italicarum. Paucorum tamen miſer caſus minime obſtitit, quin rigidum illud conſilium Populus & laudaret & ſuſpiceret, quoties ſpectandum ſeſe praebebat. Nil ergo mirum, ſi ex montibus & agris, ubi prima Benedictinorum Coenobia locata ſunt, in Urbes etiam advocati olim ac ſtabiliti fuere illorum coetus; uti neque mirum, ſi nova in dies Coenobia excitarentur, & non Urbium tantummodo, ſed & Oppidorum & Vicorum habitatores certatim conquirerent, aut lubentiſſime exciperent unam, immo plures apud ſe Benedictini Ordinis familias: quod & noſtris temporibus de aliis Religioſorum hominum inſtitutis uſuvenit.

Fuerunt autem Reges, qui Coenobia, quantum Regalem magnificentiam decebat, illuſtria condidere. Nonnulla memorat Paullus Diaconus a Regibus Langobardis exſtructa. Eamque piam liberalitatem aemulati ſunt Magnates ipſi, ut hiſce donariis Deum ſibi propitium efficerent: quam in rem unum exemplum dabo. Faulo, qui *Major Domus* Cuniperti Langobardorum Regis fuiſſe videtur, in Lucenſi Urbe inſigne Monaſterium Sanctorum Vincentii & Frigidiani aut condidit, aut reſtauravit, multis opibus eidem collatis, & conſtituto ibi Abbate Balbino cum non paucis Monachis. Legitur adhuc in ditiſſimo Lucenſis Archiepiſcopii Archivo antiquiſſima Charta, per quam Felix illius Urbis Epiſcopus donationem ratam habet, ſimulque Privilegium Abbati, ejuſque ſucceſſoribus largitur, uti conſtabit ex perveuſto antigrapho, quod olim ego deſcripſi.

Felix Lucenſis Epiſcopus Monaſterio Sancti Frigidiani confirmat, quae a Faulone donata fuerant, ac futuras oblationes eidem concedit. Anno Chriſti 685.

E*T ideo nos* Felix *gratiâ Dei* Epiſcopus, *una cum Presbiteri, vel Diacones, ſeo Cliro, abitatoris* Civitatis *iſtius noſtre Lucenſis, qui ſubter ſubſcripturi ſunt, unde promittimus tibi* Balbino Abbas, *vel Monachorum tuorum, ut firmiter inibi in* Monaſterio Sancti Fricdiani *reſedire debeatis, & ut ſuperius legitur, pro anima vel generationem jam dicti* Fauloni *orare diveatis tam vos, vel qui poſt vos fuerent, qui digne peragere valeant in eodem ſancto loco Sanctorum Dei. Et numquam vos eadem pecuniam, quot inibi obtulit ſepe dictus Faulo, umquam ullo tempore a nobis retragendum eſt ad aliam Eccleſiam, aut ad alium Sacerdotem, niſi qui ibidem Abbas fuerit, & quem volueret, ſi cum adiberet ipſi fructus in honorem Domini & elemoſinarum fuerit, eo quod pro opes fidelium ipſas ſiſcellas offerta eſt. Et ſi Abbas de hanc luce migratus fuerit, & dormierit cum patribus ſuis . . . . ipſi elegerint ſibi Abbatem ordinandum, ipſum ſibi Abbatem debeant ordinare, reliquias verò dandas de ipſum co . . . . . . ſanctum ad conſilium Epiſcopi ſine vigilia tenendum Abbati cum Monaci ſui; & nibil adgravetur quoquo tempore neque ab Epiſcopus, neque ab ullo Sacerdotem, niſi tantum per unumquemque annus ſemel in alba ad omnis Sacerdotes unam prandeum faciendi, ſicut conſuetudo ſuit Eccleſie illius.*

Et

Et hoc addimus in hanc paginam, si quiscumque homo Dei fuerit, sibe hominem, seu equus, vel bovem, aut terra, & mancipium tam movile quam inmovile, quidquid ibidem offertum fuerit in potestatem illius Abbati sint, qui in eodem loco reservire videtur, & regula custodiendum, vel Monachorum consuetudinem & ordinem sanctum tenendum inab . . . . . quandoque ipse presumat, nec nos, nec qui post nos venturi sunt, quia quot bene disponitur, & legibus roboratur, oportum est perennis & futuris temporibus permanire. Et si quis contra hanc discritiones nostrae cartulam ire presumserit, Dei incurrat periculum, sicut Judas traditor, qui se laqueo suspidet, & ad judiciali reverentiá reatus recidat; & cum summa dulcidinem & desideria Domini colendum Petroniaci filio nostro scrivendam dictavimus, & manibus nostris suscripsimus, ut perpetuis temporibus stavilitum persistere dibeant.

Actum in Civitate Lucense sub die XIII. Kalendarum Februariarum, per Indictione XIII. Regnante Domnis nostris Pertharit, & Cunipert *viris excellentissimis* Regibus, *anno filicissimis Regni eorum Tertiodecimo & Quinto, per Indictione subrascripta, feliciter.*

Ego Felix *venerabilis gratia Dei* Episcopus *ubic Cartole cesionis nostre, postea mihi relectum est, consensi & subscripsi.*

Ego Johannacis v. v. Arcipresbiter.
Ego Clarus v. v. Presbiter.
Ego Teuderacis v. v. Presbiter.
Ego Candidus Presbiter.
Ego Geminianus v. v. Presbiter.

Hanc Felicis Episcopi Chartam confirmatam videas a Cuniberto Langobardorum Rege *Anno Nono* ejus Regni, in Appendice ad Tomum Primum Annal. Benedictinor. Mabillonii, pag. 707. Chronologicae Notae hujus Chartae, nempe *Annus XIII.* Bertharidi, & *V.* Cuniperti Regum cum *Indictione XIII.* decurrente Januario Mense, si recte se habent, concordes minime sunt cum calculis Pagii, qui Anno DCLXXI. Bertharidum Langobardis dominari coepisse scribit: Anno vero DCLXXIX. Cunibertum a Bertharido patre Regni consortem renuntiatum contendit. Si Anno DCLXXXV. quem indicat indictio XIII. *Annus* Bertharidi *Decimus tertius* in cursu erat, & Cunibertus numerabat *Annum* Regni *Quinctum* serius illi Regalis titulus collatus fuerit, necesse est. Mabillonius Diploma Cuniberti supra mihi memoratum retulit ad Annum DCC. quo neque *Indictio XV.* decurrebat Mense Novembri, neque *Annus Nonus* Cuniberti, nisi Epocham a supra laudata diversam invehere velimus: quare vereor, ne depravatae sint illius Diplomatis notae Chronologicae. Neque minori studio ceteri Italiae Principes, atque Episcopi, pro *peccatorum suorum* remissione nova Monachorum Coenobia fundarunt. Multa ex iis numerantur, a Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis constructa: multa a Principibus Beneventanis: multa demum a Ducibus Fori Julii, Tusciae, atque ab aliis Italiae Magnatibus, ut reliquos praetermittam. Nonnullorum originem Diplomata heic edenda illustrabunt. Attamen Langobardorum adventu ac populatione factum est, ut Saeculo VI. & VII. Monasteriorum in Italia fundationes non tam frequentes fuerint, atque in Gallia, & Britannia. Immo & ex iis, quae ante condita fuerant, non pauca fuere excisa, ita ut ne eorum quidem memoria superfit. Sed illa potissimum celeberrima ac ditissi-

ditissima Monasteria evasere, quibus initium dedit quispiam aut Nobilitate generis, aut Sanctitate vitae praestans; Fundatoris enim virtus, qui lares ibi figebat, sui nominis celebritate piae gentis oblationes crebras, & ingentem discipulorum atque sodalium copiam ad se trahebat. Ita Sanctus Benedictus Monasterio Casinensi ac Sublacensi, Sanctus Columbanus Bobiensi, Sanctus Anselmus, primo Dux Forojuliensis, tum circiter Annum DCCLII. Fundator, & Abbas Monasterii Nonantulani in agro Mutinensi, ut hos tantùm memorem, incredibilem iis locis famam & opes peperere. Neque segniores in ejusmodi studio fuerunt alii Reges ac Proceres extra Italiam. Quot, exempli caussâ, Monachorum domicilia excitarint Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Annales Francorum & Mabilloniani sat produnt. In Caesarea Vindobonensi Bibliotheca habetur antiquissimus Codex, Chronica Ottonis Frisingensis complectens. Illic additamenta pervetustâ manu scripta leguntur, & quid de piis Caroli Magni & Ludovici Pii operibus ibi referatur, non inutile erit heic prodere. An haec e pseudo-Turpino desumta fuerint, alii inquirant. Certe Clarissimus Mabillonius auctor est in Annalibus Benedictinis eos falli, *qui viginti quatuor Monasteria pro totidem Alphabeti literis a Carolo Magno condita scripsere*. In eo igitur MSto haec interseruntur de Carolo Magno, Lib. V. Cap. 32.

Placet autem huic Operi inserere sub compendio Ecclesias, Titulos, & Monasteria a piissimo, & sanctissimo Karolo fundata, & a lapide constructa, cujus memoria in benedictione est, cum quibusdam aliis perpaucis. De innumeris A *autem Ecclesiis, quas iste gloriosus Imperator a primario lapide fundavit, quaedam heic summarie pertinguntur. In Saxonia apud Heresburc, ydolo Yrmensul destructo, Basilica valde formosa, & aliae quamplures. Item Anianensis Monasterii archisterium, ubi Benedictum nomine instituit patrem. Item per totam . . . . . & provinciam Winidorum* B *& Fresonum. Item in Hispania Monasterium Sanctorum Martyrum Facundi & Primitivi. Item in Aquitania viginti tria Monasteria, secundùm ordinem & numerum Alfabeti. Item de opere valde perspicuo eximia Basilica Sanctae Mariae Aquisgrani, ubi Romano Imperio sedes est Regiae Magestatis.* C *Et ibidem Basilica Sancti Jacobi, quae est apud Urbem Beterrensium. Et Basilica Sancti Jacobi apud Tolosam. Et illam, quae est in Goscozia inter Urbem, quae dicitur Asta, & Sanctum Johannem Forduc via Jacobitana. Et Ecclesiam Sancti Jacobi apud Parisius. Has omnes & plures alias Ecclesias praediis, auro, argento, gemmis, quibuslibet aliis ornamentis, & reliquiis* D *studuit insignire. Hic etiam felicissimus Princeps inter alia virtutis suae opera Ecclesiam Imperialis Praepositurae Thuricensis Constantiensis Dioecesis fundavit, viginti quatuor in ea Canonicos ut inveni in quodam compendio, instituendo, quam largis honoribus & possessionibus ditavit. Villam Ridem prope Albis, famulis, mancipiis, & juribus* E *ad eam pertinentibus, & in Homo praeter Salicam terram duos mansos, & dimidium. In Thurego segregata loca cum vineis, molendinis, decimarum limitibus ex Imperialibus Salicae terrae Curtibus, videlicet in Stadelhoven, Wibelhingen, Oefla, Ilnova, Vellanden, Mure prope Glalse, Hoesleten, Meilanum, Bosvile. Ludewicus tamen nepos Karoli fundans Monasterium Regalis*

lis Albae Thuricens. abstulit Praepositurae inter alia villam Vellanden, Mure, & Bosivile, & ejusdem Monasterii Abbaciae donat, & contradit, ut in sequentibus patebit.

Tum Libro Sexto, Capite Quincto, ubi de Ludovico I. Germaniae Rege sermo est, haec interponuntur:

Iste Ludewicus nepos Karoli Magni, Rex Germaniae, tres genuit filios, Ludewicum, Karolum, & Karolomannum, & Berchtam, & Hildegardem, & plures alias filias, & inter multa, quae fecit egregia, gloriose fundavit & largiflue dotavit, ut adhuc in suis dignitatibus ostendatur, Monasterium Regalis Albae intra muros Thuregi Constantiensis dioecesis: in quo praedictas filias Berchtam scilicet & Hildegardem sub religione Ordinis Sancti Benedicti posuit, & praefecit. Tamdem ipse Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXIV. secundùm Frisingensem, vel VI. juxta Chronicam Reginonis apud Francofurt Palatium, diem clausit extremum V. Kalendas Septembris. Sepultus est in Monasterio Sancti Nazarii, quod Larashaim nuncupatur. Fuit autem iste Princeps Christianissimus &c. Istarum duarum filiarum cineres sacrati cum ossibus de lapideis sarcophagis subterraneis, in quibus distinctè sepultae per annos fere quadringentos jacuerant, diligentissime & divisim colliguntur; sed in sarcophago, Altari beatae Virginis proximiore, ossa & cineres illustris Berchtae Anno Domini MCCLXXII. decimo Kalendas Novembris, Indictione I. sub Gregorio Papa X. sub Eberhardo Episcopo Costantiensi de Waltpurg, sub Elizabetha Abbatissa dicta de Wezinkon. In altero verò sarcophago consimili, & quasi contiguo ossa & cineres illustris Hildegardis reconditi sunt decenter & devote Anno Domini MCCLXXIII. quinto Kalendas Jauarii, videlicet Festo Innocentum, qui tunc in IV. feriam evenit Indictione praedicta, sub Papa, Episcopo, Abbatissa antedictis. Tamdem Affectus laudabilis, quem iste serenissimus Rex, cujus memoria ab auditione mala non timebit, *habuit ad Monasterium, quod ipse fundavit magnifice dote mirâ in honorem sanctissimorum Martyrum Felicis & Regulae, quorum Corpora in eodem Monasterio ab ipso reverenter condita requievit, ac ob dilectionem specialem, quam liquido patet habuisse ad illustrissimas filias suas, Deo maxime devotas Virgines immaculatas, Berchtam scilicet, & Hildegardem; quarum Corpora, ut praemisi, in praemisso Monasterio requiescunt; vita & conversatio ipsarum qualis fuerit, Jesus Christus Filius Dei omni tempore ad tumbas earum multipliciter revelat. Nam diversi variis languoribus irretiti, illic sanitatis recipiunt incrementum. Ut igitur tam desiderabilis affectus, & vere multipliciter commendandus in abscondito non lateat, sed in auribus hominum, & Ecclesiae sanctae notitiam transferatur, scripti munimine suffragante, placuit Privilegium, quod invictissimus Rex Ludewicus saepe dicto Monasterio pro sui libertate tradidit & donavit, praecedentibus subnotare.*

Sequitur ibi Diploma, quo Ludovicus eidem Monasterio Sanctorum Felicis & Regulae donat *Curtim Thuregum in Ducatu Alamannico in pago Thurgavensi sitam: Pagellum Uraniae, & forestam Albis dictam*. Incipit: *In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ludowicus divina favente gratiâ Rex. Si de rebus terrenis &c.* Quod etiam in usu fuit, erant qui Saeculares curas atque tumultus pertoesi, ad condendum aliquod Monasterium universas suas fortunas conferebant, ut illic reliquum vitae in solitudine & ope-

operibus sanctis transigerent. Neque se tantùm Monastico instituto alligabant, sed etiam liberos offerebant, atque eos interdum pueros, interdum quoque vix unum aut alterum annum supergressos, ut infra ostendam. Exemplum accipe ex Archivo praelaudati Archiepiscopii Lucensis desumtum, ubi in archetypa Charta haec leguntur.

Aurinandus & Godefridus Lucenses Cives Monasterium Sancti Petri in loco Castellione pro filiis suis fundant, Anno 723.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, regnante* Domno *nostro* Liutprand *viro excellentissimo* Rege, *Anno...... Regni ejus Undecimo, per Indictione Sexta, Mense Januario, feliciter. Dum Deus omnipotens...... dilium inlustrare dignatus est, expansis manibus ad ejus aulam concorrentis divi...... mistirio confortitor, ut ad illam desideravilem fontis satientor, sicut Euangelicam vox ammonet dicens:* fratres mei, & amici mei, venite ad regnum Patris....... possedite, quod paratum est vovis. *Et alivi:* Vendite, que posseditis, & date elimosinis, & avevitis tensaurum in Celo: & sequimini me ut sancta Jerusalem ad Deo transmissa descentem de Celo, ubi lux indeficiens est, *mereamor coulocari, & mannam illam celestem Angelicam cum Sancti & justi participes esse inveniamur. Hinc itaque ego* Auriand *V. D. unacum* Gudifrid *V. D. germanus meus, tractavimus, ut de parvitatis rebus nostris novis mercidem adcriscat, & accessimus ad V. D.* Thalesperiano *Deo gratia* Episcopo, *in Christo pater nostro, ut cum ejus consilio, seo licentia Oracullum sancte Dei Virtutis construere deverimus, & quamvis brevite ad fondamentis fabricis Ecclesiam constituimus in honore beati sancti Petri Apostoli in loco, qui vocitator* Castellione, *& parbulum munusculum ividem offerimus: idest terrola circa ipsa Ecclesia modiorum sex, & in alio loco de illo latere Riumodi loco vinea; & ad hoc nostram decrevimus volontatem nus Auriand, Gudifrid,* ut fili nostri ibidem in ipso Monasterio servire deveas unacum filio meo Galduald *religioso* Clirico, *seo alii filii nostri, qui Deo servire voluerit, &* ividem Monacale vita vivere deveas. *Et hoc volomus nus suprascripti Aurinand, Gudifrid, ut in nostra, vel de filii nostri sit potestatem ividem Sacertotem ordinando, & post nostro decesso, quem ivi ipsi Monaci de ea consecrationem eligere ipsum aveat ordinatum; & quod superius menime memoravimus duodeci forma olive, que novis ex comparationem da Gualistolo advinet, ita ut ab hoc die firma ad ipsa sancta Vertute in integro possedeat, & umquam ullo tempore ad novis retraendum est ad alia Ecclesia, aut ad alium Sacerdotem, quod ad novis offertum est, nisi qui inivi Abbas fuere, & quem volere rectum abire ipsi fruator in honore Domini. Et quod ab se, si quis de novis suptragere voluere, vel proprio defendere, vacuus & inanis exinde excat, & dona nostra in integro Deo & Sancto Petro permaneat confermata; & cum summa delectatione Sicherad Presbiter amico nostro hanc Cartulam dotalium scrivere rogavimus, & perpetuis temporibus permaneat.*

Actum Luca, Regnum & indictione suprascriptâ feliciter.

✠ Si-

✠ *Signum manus Aurinand V. D. benefactori & conserbatori.*
✠ *Signum manus Gudofrid V. D. benefactori & conserbatori.*
✠ *Signum manus Galsuald filio ejus & Clirico, benefactori & conservatori.*
✠ *Signum manus Gairto V. D. testis.*
✠ *Signum manus &c.*

Ad hujusmodi verò sacras Monachorum aedes erigendas atque dotandas utut proclivis ex se foret, ac sponte non raro festinaret pietas hominum tunc Deum quaerentium, attamen nefas minime erit sibi persuadere, opportunas atque importunas Monachorum solicitationes, preces atque consilia, interdum intercessisse, quibus inclinati Fideles non sua tantùm sed se nonnunquam offerebant Deo, novo Monasterio constructo. Non erant a nostris diversa illorum temporum ingenia, affectus & vota. Piissimum institutum dilatare supra multa alia holocausta gratissimum Deo putabatur; neque desiderabantur in Evangelio aperta ad hanc rem hortamenta; & praeter meritum pii operis, vel tunc aliqua latens minimeque observata humanae gloriae cupido impellere ad hoc homines poterat. Addam quoque: non omnes sancti erant in sanctitatis domicilio, neque tanta sub Monastica veste humilitas & Mundi contemtus vigebat, quin multi inhiarent ad sacras Praefecturas, quas quando in propriis claustris consequendi sublata spes erat, in novis condendis anxie exquirebant. Huc referendum est Capitulare Regum Francorum Lib. 6. Cap. 140. *Ut nullus Monachus, congregatione Monasterii derelicta, Ambitionis aut vanitatis impulsu Cellam construere sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate praesumat.* Monachi enim, ut ipse Angelus Nuceus Casinensis Abbas fatetur in Notis ad Chronicon Casinense, *tamquam apes ex Coenobiali alveario de more egressi, nova Monasteria, sive dicas Cellas, Construere amabant.* Aliis exemplis parco, hanc in rem prolaturus, quod Mutinae olim contigit animadversione dignum. Amplissimum Nonantulanum Monasterium, quinque tantùm passuum millibus ab Urbe dissitum diu in caussa fuit, ne Mutinenses prope aut intra Urbem aliquod aliud Monachorum Collegium inducerent, contenti antiquo illo ac celebri loco. At Hildeprandus Mutinensis Antistes, Monasticum coetum propiorem habere cupiens, Anno DCCCCLXXXIII. Ecclesiam Sancti Petri Stephano Presbytero & Monacho concedens, novo Monasterio prope moenia Urbis fundamenta praeparavit, quod postea auctum & nobilitatum in hanc usque diem perdurat. Ejus literas vide apud Ughellium Tom. 2. Ital. Sacr. in Episcopis Mutinensibus. Quid verò subinde Nonantulanus quidam Monachus egerit, malo ex altera ejusdem Episcopi Charta, in Archivo ipsius Monasterii adservata, discas, quàm ex meis verbis.

Con-

Confirmatio Ecclesiae Sancti Petri facta ab Hildeprando Episcopo Mutinense Stephano Monacho, & abrogatio actorum Monachi cujusdam Nonantulani, Anno 988.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Ildeprandus *per Christi misericordia sancte* Mutinensis Ecclesie Episcopus. *Omnibus filiis nostre Ecclesie notum fore volumus, qualiter quidam venerabilis* Presbiter & Monachus *nomine* Stephanus *nostram deprecatus est clementiam, ut pro Dei amore ei concessissemus illum locum, ubi* Ecclesia beati Petri Apostoli nunc est edificata, *in qua Deum omnipotentem jugiter exorare potuisset. Nos autem ob amorem & timorem Domini nostri Jesu Christi, nostreque remedio anime, nostrisque Successoribus, audientes ejus petitionem libentissime concessimus. Quapropter considerantes nos, ut illius oracionibus ceterisque ibidem servientibus Deo, tam nos quamque Successoribus nostris indulgenciam de peccatis nostris a Domino accipere credimus; unde verò concedimus & donamus ibidem in ipsum almum locum, ut idem praenominatus Monachus & venerabilis Presbyter, suisque successoribus habeant in perpetuum & teneant, & secundùm eorum voluntatem ordinandi & faciendi exinde, qualiter illis placuerint. Hoc est illam terram, que est finis Strada Salicitana usque in Fossa Militaria, & ultra Fossa Militaria illam terram, que laborata est per Gademarium, sive ceteris hominibus ibidem laborantibus, usque Cenosa, sive Fossato novo in Fossa Militaria currente, atque Fossato, que exiit de Fossato novo in Motina currente, & de subtus, usque prato nostro domnicato, cum introito & undique legitimo exito, seu cum decimis atque offercionibus, necnon & sepulturis ibidem pertinentibus, quatinus illis, qui in ipsum sanctum locum Deo deservierint, aliquam subflentacionem pro remedio animae nostrae, nostrisque successoribus, exinde habeant & detineant jure perpetuo. Si quis igitur aliquis, quod absit, instigante Diabolo per cupiditatem, aut aliquam racionem hoc infringere temptaverit, a Sancta Trinitate atque individua Unitate sit condempnatus, nisi emendaverit, & insuper ira Dei omnipotentis incurrat, & a consorcio omnium Electorum excommunis habeatur, & in die Judicii non cum illis inveniatur, qui sua ad Christi Ecclesiam concesserunt, sed cum illis potius, qui de Ecclesia illic concessa injuste tulerunt, & emendare noluerunt. Nullaque illius auctoritas nunquam a suis successoribus unquam possit observari. Istorum praedicta observantibus pax & misericordia seu benedictio atque ereditas a Domino & Sanctis ejus tribuatur aeterna. Infrangentibus quoque, & emendare nolentibus ira & odium, atque rixas, perpetuaque maledictio a Domino & Sanctis ejus ic, & in eterna concedatur Secula. Notum sit omnibus nostre Ecclesie fidelibus quod* quidam Nonantule Monachus, nomine Petrus, *nostram exoratus est clementiam, ut cum prelibato Stephano Presbitero & Monacho se sociari quivisset, causâ sue anime remedium, & observationem regule. Nos autem putavimus, ut ipse causâ bone fidei hoc fecisset. Consideravimus peticionem, & induciam postulavimus, ut cum predicto Monacho consilium habere quivissemus. Qua pro re illum ad nos properare fecimus, & omnia*

*nia ei narravimus. Ipse hoc audito amabiliter illum suscepit, & Privilegia cum omnibus pertinentiis illi sociavit. Hoc acto, insidiator malorum in cor Monachi introivit; opus ipsius in malum convertit. Itaque Stephanus Deum optabat, ut ei hanc discordiam tulisset, & in bonis operibus perseverare fecisset. Ille insidiante Diabolo in * medum latronis conversus est. Privilegia furavit. Absconse iter arripuit. Statim ut hoc gessit, ad nos venit. Plurimos nummos nobis dare voluit ob hoc, ut medietatem Ecclesie cum suis pertinentiis ei dedissemus, quatinus suam domum ibi edificare, & se majori suo adsimilaret insidiante illo, qui dixit:* Ponam thronum meum ab Aquilone, & ero similis Altissimo. *Nos autem cernentes pravitatem illius, Privilegia requisivimus. Nullo modo habere quivimus. Igitur omnibus notum facimus, quoniam Stephanus nostram optavit misericordiam, ut pro Dei amore suum Privilegium firmum fecissemus, furatum vero vacuum, & sine virtute permansisset. Hoc quod ipse petiit, libenter fecimus, & manu propria firmavimus.*

Ildeprandus Episcopus *in hoc decreto a me facto subscripsi.*

Ego Liuzo Presbiter in hunc decretum manu mea subscripsi.

Ego Joannes Presbiter in hunc decretum manu mea subscripsi.

Andrea Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Joannes Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Ego Garoaldus Presbiter in hunc decretum manu mea subscripsi.

Israël Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Joannes Diaconus manu mea subscripsi.

Andrea Diaconus in hunc decretum subscripsi.

Ego Motinensus Diaconus in hunc decretum manu mea subscripsi.

Ego Petrus Diaconus in hunc decretum manu mea subscripsi.

Rolandus Archidiaconus ex jussione Domini Ildeprandi Praesulis, & ammonitione fratrum scripsi, complevi & dedi.

Actum est hoc Anno ab Incarnatione Domini Nongentesimo Octoagesimo Octavo, V. Kalendas Novembris Indicione Prima.

Actum in Motina, feliciter.

Animadverte heic *Indictionem Primam*, quae in Kalendis Januarii Anno DCCCCLXXXVIII. decurrebat, non immutatam Septembri Mense, sed usque ad finem Anni continuatam fuisse. Quod autem Hildeprandus inchoaverat, Johannes Episcopus Mutinensis illius successor complevit Anno DCCCCXCVI. Constituit enim apud eamdem *Ecclesiam, juxta Mutinensem Civitatem sitam, ad honorem beatissimi Petri Apostolorum Principis Coenobium Monachorum, cum consensu & notitia omnium ejusdem sanctae Mutinensis Ecclesiae Canonicorum, ejusdemque Civitatis Militum ac Populorum.* In Monasteria verò, quae Saeculares viri condebant, non rarò fundatori jus Patronatus reservabatur, atque ad heredes transibat. Ordinario tamen jure Abbatum electio ad Monachos spectavit. Certum quippe est, vel ab antiquis temporibus, atque ab ipsa Benedictini Ordinis origine, constitutum fuisse, ut ad Monachos singulis Monasteriis addictos pertineret, Abbatem suum sibi praeficere: quemadmodum Clero quoque & Populo facultas erat olim suum sibi spirituale caput, hoc est, Episcopum, deligendi. Et quamquam non desiderentur Episcoporum & Abbatum exempla, qui viventes Successorem sibi statuerunt, nihilo tamen

men fecius Monachorum jus in hisce electionibus, tum Pontificum tum Augustorum calculo firmatum, stabile semper fuit. Lubet heic adferre antiquissimam membranam, non tamen autographam, quam olim legi in nuper memorato Archivo Lucensis Archiepiscopii. Eam quoque memorat Clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCXIV. Uti ex ea intelligitur, *Radchis Abbas & Presbyter* (ita appellatus, quod multi ex Abbatibus adhuc sine Sacerdotio viverent) in Lucensi agro loco Apuniano Monasterium sub nomine Sancti Michaëlis construxerat, atque illud regebat. Is autem Anno XVI. Liutprandi Regis, Indictione XI. hoc est, Anno Christi DCCXXVIII. Successorem sibi Abbatem elegit Waltprandum, *Waltperti Ducis*, sive *Comitis Lucensis filium*, eumdem videlicet, qui post Talesperianum in Lucensem Episcopum fuit cooptatus. Tabulis ipsis subscribit idem *Talesperianus eximius Episcopus* (in archetypo legebatur, ut puto *exiguus*) quem Florentinius, & Mabillonius *Talerperianum*, Ughellius *Tabenperianum* appellant, ego *Talesperianum*, aut *Telesperianum* semper legi. Non aliunde puto ego Radchisium Abbatem deduxisse facultatem Successoris decernendi, nisi ex jure Patronatus, quod sibi fundatori reservatum fuerat. En ipsam Chartam Latinae Linguae perquam corruptae testem.

Radchis Abbas Monasterii Sancti Michaëlis in Lucensi agro siti, Successorem sibi in eodem munere constituit Waltprandum Clericum filium Walperti Ducis, Anno 7.8.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnante* Domno nostro Liutprand, *Anno felicissimi Regni ejus Sextodecimo, per indictione Undecima feliciter.* Radchis *venerabilis* Abbas Presbiter *tibi dolcissimo & in Christo filio* Waltprand Clericus filio Domni Waltpert glorioso Duci *salutem. Mavi estum mihi est, & multorum claruet,* quod ego Radchis una cum bone memorie Ansefred germanus meus Monasterio Sancti Michaëlis a fundamenta edificare visi sumus *hic in loco, cui vocabulum est* Apuniano; *& qualiter supradcriptus Ausfred germanus meus medie'atem omnibus rebus substantie sue ividem per dotis pagina cuntulit, simol & ego memoratus Radchis meam parte in integro idem per predictas dotis sermavi. Nunc vero recolor ego hanc Radchis fragilitas Seculi istius: ideo bona mentem & spontanea voluntatem* volo adque decerno, ut tu nominatus Waltprand ipso Sancto Dei Monasterio beati Michaëli cum omnia & in omnibus ividem pertenentem ad gubernandum, & regendo in tua sid potestatem, *quatenus ad te, & parentibus tuis omni tempore ipse venerabilis Dei Monasterio ab omni controversia seculari desensatus esset inveniatur; & tu dolcissime, & in Christo filio, Waltprand sic in ipso Monasterio guvernare & regere diveas, ut omni tempore in omnibus melioratas, & non in luminariis vel Officio deperеat; &* post obito meo *omnia, & in omnibus, sicut dixi, ipse sancto Monasterio, & omnes per ividem pertenente in tua defensionem & dominio valeat permanere. Et dum ego superius nominatus Ratchis advivere meruero,*

omnia

omnia res ipsa cum predicto Monasterio guvernando & regendo, in mea sid potestatem. Post obito verò meo tu ividem dominus & gubernator esse inveniaris, & familiola Sancti Michaili, qui post me remanserit, tu eos regere guvernare diveas hìc in ipso Dei Monasterio, *ut non in errore vel aliqua deceptionem post me remaneant: & deinceps sicut in suprascripta dotis a me Radchis, & bone memorie Ansfred germano confirmatum legitur, in tua Waltprand potestatem permaneat. Et nullo tempore a novis posterus nostrus hec sicut superius valeat molestare. Et Servos vel Ancilla, quod pro anima mea livertari voluero, volo ut liveram aveat potestatem, & firmando livertadem, & quam per Cartula quam firmitatis mei Cartula Eoin Notario & in Christo filio meo scrivendo rogavi, in qua ego subter signum Sancte Crocis firmans, & testibus obtuli rovorando subscriptionis.*

Actum in suprascripto loco Aponiano, Regnum & Indictione suprascripta feliciter.

✠ *Signum manus* Radchis veneravilis Abbas Presbiter, *qui ipso firmitatis monimen fieri rogavit.*

Ego Talesperianus eximius Episcopus, *huic Cartule donationis facta ad Radchis Presbiter in Waltiprand Clerico, sicut superius legitur ad confirmando suscribsi.*

Ego Sichimundus veneravilis Presbiter rogatus ad Rachis veneravilis, in hanc donationis Cartula facta in Waltprand Clericus, sicut superius legitur, ad confirmando subscribsi.

Signum manus Teupald V. D. Scavino, testis.

Ego Taifred Presbiter rogatus ad Radchis Presbitero in hanc Cartula donationis facto in Waltprand Abbate, *proprias manus meas subscripsi.*

Signum manus Raduald filio Guntifred, testis &c.

Ego Gaudentius indignus Presbiter, Notarius sancte Ecclesie Lucensis Civitatis, quantum in autentico invenire potui, sine fraude vel dolo exemplavi, cumplevi, & dedi, nec menime scribsi.

Neque silentio praetereundum est fundatoribus ac patronis Monasteriorum licuisse olim Abbates eligere extra etiam gremium Congregationis illius. Interdum quoque id sibi tribuebant Episcopi, quoties cultus Dei & disciplinae restaurandae studium exigebat. Non multis ab annis institutum fuerat Mediolani celebre Ambrosianum Coenobium, quumque Abbas sacri loci decessisset, Angilbertus II. Archiepiscopus Mediolanensis Anno DCCCXXXII. cogitabat, *quem Abbatem illic constituere deberet, quia ibi non reperiebatur talis, eo quod ob negligentiam Ordo Regularis valde inerat corruptus*, ut habent tabulae a Puricellio evulgatae in Monumentis Basilic. Ambrosian. num. 44. Quare *consulentibus etiam Sacerdotibus nostris*, ait Angilbertus ipse, *abstuli Gaudentium Abbatem Sancti Vincentii, quem etiam ego ibi Abbatem jamdudum ordinaveram, & in praefato Monasterio Sancti Ambrosii Abbatem constitui*. In Tabulario ejusdem Monasterii altera se mihi obtulit pergamena, quae Puricellium effugisse videtur. Archetypon sane non erat, sed vetustum apographum, ex quo discimus, ab eodem, ut arbitror, Angilberto Archiepiscopo alterum Abbatem ibi fuisse constitutum, nempe *Archipresbyterum Mediolanensis Ecclesiae*, quem nemo credat Monasticam vitam fuisse professum. Chartam hanc, qualiscumque sit, accipe.

Angil-

Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis Archipresbyterum Ecclesiae suae ordinat Abbatem Monasterii Mediolanensis Sancti Ambrosii Majoris, circiter Annum 840.

☧ ANgilbertus *beate* Mediolanensis Ecclesie *humilis* Archiepiscopus. *Noverit...... presentium scilicet & futurorum, adeo nos Beati Ambrosii patronis nostri Coenobium dili...... voluisse, ut etiam* Archibresbiterum Ecclesie nostre ibi cum electione omnium ordinaremus Abbatem...... *Et quia idem Abbas jam ordinatus nostram solertiam postulare curavit, ut per nostre auctoritatis....... quo Villas & Castella, que nunc habet, vel adepturus est idem locus cum omni integritate...... diminutione vel inquietudine eidem & Successoribus ejus possidere liceret ad Dei .... ob Dei & beati Ambrosii amorem, per consensum Sacerdotum nostrorum per hanc nostram...... aliquis Successorum nostrorum jam predicto Abbati aut Successoribus ejus ullam contrarietatem...... in rebus diminutionem. Concedimus etiam, ut post obitum ipsius Abbatis de ipsa Congregatione Pater eligatur, si idoneus ad hoc opus...... institutio melior habeatur subter eam propria manu firmare...... Andream Notarium Ecclesie nostre scribere jussimus:*

Angelbertus *indignus* Episcopus *in hoc Precepto subscripsi.*

Andreas Archidiaconus ex jussione Domni Angelberti Archiepiscopi in hoc precepto subcripsi.

Adoaldus Diaconus in hoc precepto ex jussione Domni Angilberti subscripsi.

Gunzius Diaconus in hoc precepto subscripsi.

Peno indignus Presbiter subscripsi.

Angilbertus humilis Presbiter subscripsi.

Hermenfredus humilis Diaconus subscripsi.

Liuprandus Presbiter in hoc precepto subscripsi.

Deusdedit humilis Presbiter subscripsi.

Walpertus humilis Presbiter subscripsi.

Cellus humilis Presbiter subscripsi.

Ermenaldus indignus Presbiter subscripsi.

Petrus Diaconus subscripsi.

Adroaldus Presbiter subscripsi.

Quae verò Officia in augustioribus Monasteriis olim haberentur, non ingratum fortasse Lectoribus erit heic intelligere ex vetustissima membrana, quam olim legebam in Archivo insignis Monasterii Bobiensis. Complectitur illa *ordinationem Monasterii* ejusdem, quam *Domnus Abba Walla* fecit. Ughellius Tomo 4. Ital. Sacr. Catalogo Episcoporum Bobiensium adjunxit etiam seriem Bobiensium Abbatum, sed nullâ ibi factâ mentione Abbatis *Walae*. Accuratissimum verò Mabillonium minime fugit ejusmodi notitia. Itaque agitur heic de Wala celebratissimo viro, qui Corbejae primum Abbas, inmixtus deinde fuit teterrimis dissidiis ac turbis inter Ludovicum Pium Augustum, ejusque filios, atque ex Francia abire compulsus Anno DCCCXXXIII. *Italiam petens* (sunt verba Mabillonii) *in Bobiense Sancti Columbani Coenobium se recepit, ubi a Fratribus electus Abbas, illud nobiliter ac pacifice usque ad obitum rexit*, hoc est usque ad Annum DCCCXXXVI. Quare tempus, quo decreta sunt ista ab eodem Wala Abbate, facile deprehendas.

Ordi-

Ordinatio Monasterii Bobiensis facta a Wala ejus Coenobii Abbate, circiter Annum 835.

BReve *memorationis . Incipit de Curtibus , quas* Domnus Abba Wala *ad victum & ad vestimentum Fratrum , seu de singulis infra Monasterium ministeriis , quomodo qualiterve exerceri a Fratribus debeant . Has enim Curtes ad victum instituit Fratrum , idest Rancis , Casasco , Audelasci , & cum ceteris appendiciis suis , Virdi cum omnibus appenditiis suis , Vulpidini , Ovilias , Prato Silvando , Tubatia secundùm Simphorianum , Montelongo , Memoriola , Barbata cum Solariolo , Vico Baroni cum Prato Aginulfi , Ceredello cum Variano , Linare , Sanctam Resurrectionem in Cariano , Travano cum appenditiis suis , Carice , Carelio , Comerga , Turio , & omnes cellas seu laborationem , quae in ipsa Valle sunt , in qua situm est Monasterium , & Sanctum Georgium . Has quippe ad Cameram deptavit Fratrum : idest Vilianum , Purpurariam , Sarnam , Carustum , Casinas , Granaria cum Valle Gennaria . Haec enim suprascripta ad ceteras necessitates , idest Cella in Papia , Rivalta , Cella Sancti Columbani cum Argile , & Senodochium , quod est Casale Ovani . Garda deputavit ad oleum ; Juliaticam ad ferrum , Fraxenedum & Curtes in Tuscia deputavit ad quascumque necessitates , quae evenire solent .*

*Nunc vero de * Monasteriis , quae infra Monasterium aguntur , memorandum est . Praepositus primi sit post Abbatem in Monasterio infra extraque , tamen spetialiter haec sint in sua potestate , idest omnis laboratio agrorum & vinearum & aedifitiorum , figulorumque , pastorum , atque omnium Cellarum hac in Valle consistentium praeter illas , quae aliorum Fratrum providentiae deputantur , seu omnes Curtes , quae ad stipendi . . . . . pertinent , caballi domiti indomitique , & ipse Mansiones in Monasterio , cui necessariae sunt , distribuat .*

Decanus ubique specialiter curam habeat intra extraque de conversatione Fratrum , & cottidianus cum Fratribus in obedientia sit ; & si defuerit Abbas seu Prepositus , cuncta ad ipsum respiciant ,

Custos Ecclesiae provideat luminaria , & omne ornamentum ejusdem , seu competentiam crarum , & ipse recipiat elemosinam , que Fratribus advenerit .

Bibliothecarius omnium Librorum curam habeat , Lectionum , atque Scriptorum .

Custos Cartarum omnia provideat Monisterii monimenta .

Cellararius provideat quicquid ad cibum & potum pertinet , postquam in Monasterio adducta fuerint , praeter panem , & poma , atque dispenset , & ad ipsius curam pertineat , quod in Refectorio , vel in Quoquina agi . . . . .

Cellararius familiae provideat potum illorum sub Praeposito .

Junior Cellararius custodiat Refectorium , & omnia vasa ejus .

Custos panis provideat annonam , postquam in Monasterio adducta fuerit , panem , & pisones .

Portarius hospites omnes suscipiat primum , & nuntiet . Decimas omnium rerum accipiat , de quibus juxta constitutum tribuat Hospitalario pauperum .

Hospi-

Hospitalarii Religiosorum ipsi recipiant eos, qui in Refectorio venire debent, & ministrent ac ducant. Habentes domum super se, ubi dormiant.

Hospitalarius Pauperum recipiat eos, & ministret eis, & accipiat a Portario stipendium eorum.

Custos infirmorum provideat eos cum adjutoribus suis.

Cantor . . . . . . ipse ordinet quicquid ad cantum pertinet.

Camararius primus provideat omnia vestimenta vel pannos ad diversos usus Fratrum, seu calciamenta pedum ac manuum, & sutores calciamentorum, ac vestimentorum, seu compositores pellium & calderarios provideat, quibus administret opus eorum, & Curtes ad Cameram deputatas, de quibus haec praefata exigenda sunt, & omnia aerea vasa, quae ad usus Fratrum data sunt.

Camararius Abbati provideat omnes fabros, scutarios, sellarios, tornatores, pergamenarios, surbitores, & ipse provideat omnia ferramenta.

Junior Praepositus super opera & operarios ceteros, praeter eos, qui in diversis officinis deputati sunt.

Magister Carpentarius provideat omnes Magistros de ligno & lapide praeter eos, qui ad cetera officia deputati sunt, idest qui butes, & bariles, seu scrinia, vel molendina, casas, atque muros faciunt.

Custos vinearum vineas provideat.

Ortolanus ortos provideat.

Decanus junior circatores, lucernarios.

Custos pomorum.

Oblatorum quoque frequens est mentio in Benedictinorum Historia, eorumque institutio etsi Sancto Benedicto antiquior sit, ab ipso tamen augmentum agnoscit. Ipsemet Sanctus vir in Regula mentionem facit *puerorum*, quos in Monasterio parentes nobiles Deo offerebant, praecipiens, *ut cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant*. Tales fuere Sancti Maurus & Placidus. Quae consuetudo quum sit pervulgata, ac Eruditorum studio jamdudum illustrata, novâ luce minime indiget. Quamobrem unam tantummodo Chartam addere lubet, hujusmodi ritus testem simul, & confirmatricem, quam Pistorii ex antiquissimo exemplari olim exscribebam. Eumdem plane morem a Canonicis observatum supra vidimus in Dissertatione LXII. *de Canonicis*. Ibi animadverte, *offerri* filios *in palla Altarii*, eosque in posterum vivere, & deservire debere *in habitu Monachorum*; ac proinde fuisse Oblatos olim non paucos a parentibus, ut regularem revera professionem emitterent, & Monachicam, ut heic habetur, *vitam viverent*. Et sane (quod mirere) pueris hisce Oblatis, postquam pubertatis annos impleverant, minime in Italia licuit resilire e Monasteriis, & Matrimonia inire. Id certe nefas esse scripsit Gregorius II. Papa in responsis ad consulta Sancti Bonifacii Anno DCCXXVI. En ipsam Chartam, quam sum nuper pollicitus, ex Archivo Canonicorum Regularium Sancti Bartholomaei Pistoriensis, ubi pervetustum apographum vidi.

Oblatio quorumdam Bonorum, & duorum Filiorum suorum, facta Monasterio Pistoriensi Sancti Bartholomaei a Falcone Clerico, Anno 784.

IN *nomine Domini Dei. Septimo Mense Margio, Anno Regni* Domni Karuli, *postquam Civitate Papia ingressus est, Decimo, &* Domni Pipino *filio ejus Anno Tertio, Indictione Septima, feliciter. Manifestus sum ego* Falco Clerico *filio quondam Falcualdi, eo quod ante os plurimos annos obligationem facta habui una cum Amicastu barbanu meo, ut per nullo argumenti ingenio nec ego nec meis heredibus sine permisso ejus vel de ipsius heredibus de rebus nostris alienare, aut obligare decrevimus, & dum ipsa obligatione, seu dotis, quas ipse Amicastu fecit in Ecclesia beati Sancti Georgii, in tua* Domenico Abbate Monasterium Sancti Bartholomei *devenisse potestate & dominatione consideravi, quia in nullo alio possum dare de rebus meis, nisi in ipsa Ecclesia beatissimi Sancti Georgii, ubi prenominatus Amicastu fuerat confirmatus, & rebus suis pro dotis firmavit. Ideo ego indignus odie in Dei nomine, do, dono, trado, offero in ipsum sanctum & venerabilem locum omnem modicam rebus meas quidquid nunc presenti die avere visus sum tam casa avitationis mea, que est erga fluvio Umbrone, vinea, terra, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationibus, pumiferis, fructiferis & infructiferis, cultum atque incultum, omnia quicquid avere visus sum, in ipsum sanctum locum offerri & condonare previdi una cum dilectissimi* Gisilari, *&* Castiprand filiis meis, qui sub potestate sancte regule, & tue dominationi, qui supra Domenico Abbati, in ipsa sancta Ecclesia & Monasterii beati Sancti Bartholomei in avitu Monachorum vivere & deservire deveat: *sicut sancta continet regula* in Palla Altarii offerri previdi ipsi filii mei in ipsum sanctum Cenubium Monasterii Sancti Bartholomei, ut inibi diebus suis Monachica deveat vivere vita sup potestate vestra Domno Domenico Abbate, vel vestris successoribus, ut pro vestra praeceptione secundum Deo & sancta regula vivere & Domino devea deservire. *Et ipsas modica res mea tam movile quàm & immovile omnia in ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi, ut omnia in tua, qui supra Domenico Abbati, vel de successoribus tuis sit potestate avendum, ordinandum qualiter juxta deum & sancta regula nobis bona fuerit stabilitum permaneat, sicut, & jam ante os annos tibi Domenico Abbati vel in ipsum sanctum Monasterio beati* Sancti *Bartholomei per cartis volumine tam dotes, quàm & alia monimina facta in Sancto Georgio tradedi atque dedi, ut omnia juxta ipsi doti quas inivi parentibus meis, vel ipse Amicastu facti habuerunt, puram ordinatione & sancta congregationis suis Monasterii Sancti Bartholomei esset ordinatum ipsa Ecclesia Sancti Georgii, omni tempore stabilitum permaneat; & Avundus Diaconus scrivere rogavi.*

Actu ad Umbrone, casa avitationis mea, Regnum & Indictione suprascripta, feliciter.

Signum ✠ manus Falconi Clerico, qui hanc Cartulam fieri rogave, & nomen suum, & signum Cruci manibus suis fecit, & eis relecta complacuet.

Si-

Signum ✠ manus Altipert filio quondam Fabri rogatus testis.

Signum ✠ manus Pranduli filio quondam Pertinandi testis.

Signum ✠ manus Diprandudi filio quondam Bauti rogatus testis.

Signum ✠ manus Fusoli filio quondam Bautoni rogatus testis.

Signum ✠ Adunald filio quondam Achipert Coppi rogatus testis.

Signum ✠ manus Gloriosi de Cucciano rogatus testis.

✠ Ego Guilleradu Clerico rogatus ad Falco Clerico, testis subscripsi.

Ego qui supra Avundus scriptor post a testibus roborata tradita complevi & dedi.

✠ Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar exemplatum est, atque inibi scriptum inveni, fideliter exemplavi.

Ea autem Seculo Christi potissimum Octavo esse coepit Monasticae vitae existimatio, ut vel ipsi Reges, Duces, & Comites, contemto ac ejurato Saeculo, sponte militare Deo intra claustra Monasterii eligerent: cujus consuetudinis exempla non pauca vidit Italia, Gallia, & Britannia eodem Seculo VIII. Qui verò viventes tanta a se non impetrarunt, saltem in morte solatium hoc, quoquo poterant modo, sibi procurabant. Teste Beda Lib. 4. Cap. 11. Histor. Ecclef. Angl. Sebbi Rex Orientalium Saxonum circiter Annum DCLXXV. *correptus infirmitate permaxima, venit ad Antistitem Londoniae Civitatis, & per ejus benedictionem habitum Religionis, quem diu desideraverat, accepit.* Paucos post dies is finem vivendi fecit. Ejus exemplum (quippe nescio an alii praecesserint) imitati sunt deinde non pauci, eoque res processit, ut nostris quoque temporibus cernamus, non solùm pios homines, sed & illos, quos vivos nulla virtus ornavit, immo vitia multa foedarunt, religiosâ veste post mortem indutos ad tumulum deferri, poenitentiam saltem in morte indicantes, quam vivi nunquam fortassis amarunt. Grande tamen discrimen inter illius ac nostri temporis ritum intercedit. Quippe olim aegrotantes Laici Monasticam vestem petebant, atque reapse induebant, antequam e vivis excederent, eà videlicet ratione, ut in Monachorum coetum admitterentur, eorumque postea precibus juvarentur apud Deum. Liutprandus Ticinensis Lib. 3. Cap. 5. Histor. auctor est, patrem suum ab Hugone Italiae Rege Anno DCCCCXL. Legatum fuisse missum ad Romanum Imperatorem Graecorum. *Post reditum verò ejus, paucis interpositis solibus, languore correptus, Monasterium petiit, sanctaeque conversationis habitum sumsit, in quo post dies quindecim mortuus migravit ad Dominum.* Quod si ex aegritudine convalescebant, minime eis licebat sacrum indumentum deponere, ac vota concepta infringere. Atque ejusmodi tumultuarie creati Monachi peculiari quodam nomine a ceteris distinguebantur, nempe *Monachi ad succurrendum*, idest metu mortis ad succurrendum animae suae adacti. Cujus moris exempla multa proferunt Mabillonius, Dacherius, Du-Cangius, ac alii eruditi viri. Neque mirum, quod tanti fieret a Christiano Populo Monastica vestis; Graeci enim aeque ac Latini Monachi eam appellare consuerunt *Angelicam vestem, Angelicum habitum*, Ἀγγελικὸν σχῆμα, sicut Monasticam vitam dixerunt *Caelicolarum vitam* propter sanctum & angelicum vitae institutum. Refert Bo-

Boleslaus Balbinus in Hiſtor. Bohemic. Chartam Friderici Ducis Bohemiae, Anno MCLXXXVI. ſcriptam, ubi haec verba: *Ego Fridericus cupiens aſſiduis in precaminibus in futuro connumerari ejuſdem loci Fratribus, qui die nocteque a laude Dei nec momento ceſſantes, ſanctis aequales eſſe probantur Angelis*.

Illud vero praecipue animadvertendum, floruiſſe potiſſimum ſub Imperatoribus Francis Monachos & Abbates ſanctitate morum ſpectatiſſimos, quorum virtutes ferrea illa Saecula multum illuſtrarunt. In cauſſa autem fuit eximia haec illorum probitas, cur pii Principes non conſiliis tantummodo praeſtantiorum Abbatum uterentur, ſed eos etiam in Palatio ſaepe haberent, immo, & in politicis negotiis & Populo regendo illos ſibi adjutores, ut ita dicam, adſciſcerent. Arbitrabantur ii, neque immeritò, nulli melius commendari poſſe, quàm viris adeo piis, & in quibus affectus animi omnes bene compoſiti erant, curam Reipublicae. Proinde legationum munus iis non raro deferebatur; & quum *Miſſi ad juſtitiam faciendam*, atque ad emendandas Regni corruptelas, dirigendi erant, ſaepe Abbatibus demandabatur ejuſmodi provincia. Praecipue verò Carolus Magnus, ejuſque filius Ludovicus Pius Abbates in conſilium ac miniſterium adhibuere. *Adelhardus* ſenior, celebris Corbejae veteris Abbas, Pippino Italiae Regi traditus eſt a Carolo Magno patre, ut ei a conſiliis eſſet, iſque deinde evaſit Italici Regni adminiſter. Proſtant nonnulla Placita ab eo habita in Italia, a me in hoc ipſo Opere, & in Chronico Farfenſi edita. Ita *Fulradus*, & *Hilduinus* Abbates Sancti Dionyſii Pariſienſis, *Archicapellani* in Curia Regum fuere. Sub eodem Ludovico Pio *Helijachar* quoque Abbas Centulenſis, *Cancellarii* dignitate eſt auctus. Alios praetereo, quum pauca ejuſmodi exempla ſat prodant, quanto in honore & exiſtimatione forent ob virtutes perſpectas illorum temporum Abbates. Neque is ego ſum, qui improbare velim tantos viros e Monaſterio in Aulam translatos, quum optandum ſit, ut a probis tantùm Reſpublica regatur, & Abbates illi ſupra Seculares virtutibus excelluiſſe procul dubio putandi ſint. Non diffitebor tamen, Monachis periculoſam rem fuiſſe, tandiu verſari in Aula, & contemtâ ſolitudine inter Palatii rumores, luxum, & adoratores, vitam traducere. Cavere ſibi ab ambitione, atque ab aliis Seculi morbis in eo ſplendentis fortunae faſtigio paucis licet. Ac reapſe celebres illos Palatinos Abbates, turbis Regni immixtos, procella non una concuſſit, ita ut in exſilium protruſi fuerint, ac ſerò didicerint, non ex fluctuanctis Aulae pelago, ſed ex Coenobii portu tranquillitatem animi eſſe exſpectandam. Iis quoque temporibus inter ceteros cariſſimus eidem Ludovico Pio fuit *Benedictus Anianenſis Abbas*, vir inſignium virtutum, & Benedicto Patriarchae ab aliquibus non injuriâ comparatus. Ejus conſiliis multum deferebat pius Auguſtus, & ex Monaſterio avulſum Aquiſgranenſi in Aula retinebat. Sed ſanctus Abbas non honorem, ſed onus, familiaritatem Palatii reputans invitus a cella ſua aberat, & nunquam deinde conquievit, quouſque Ludovicus, Monaſterio Indenſi prope Aquaſgrani conſtructo, eum inter ſuos Monachos habitare ſivit. Quippe ille Monachum Palatinum diſertiſſime improbavit.

bavit. Auctorem habeo synchronum Ermoldum Nigellum, cujus Poëma de Laudibus Ludovici Pii evulgavi Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Is in fine Libri secundi, Ludovicum ipsum ita loquentem inducit ad Benedictum, & caussas constructi Indensis Coenobii explicantem:

Altera caussa monet, quoniam tu nam ipse fateris,
Ingratum voto hoc opus esse tuo.
Nec deceat Monachum civilibus insore rebus,
Resque Palatinas ferre libenter eos.
Illud sed poteris Fratrum curare labores,
Obsequia hospitibus curâ parare piâ:
Atque iterum nostras renovatus visere sedes,
Fratribus & solito ferre patrocinia.

Verùm non omnibus Monachis eadem, quae Benedicto Anianensi Abbati fuit regularis observantiae cura, & secularium rerum contemtus. Nam etsi in Historia Monastica eorum temporum nobis occurrant tot Abbates & Monachi insigni atque invidendâ sanctitate morum verè laudandi; licet etiam institutiones Monasticae vitae sint supra nostras laudes, ita ut non injuriâ alter *Paradisus* appellarentur interdum proborum Monachorum Collegia, eorumque vita omnium *felicissima* atque *Angelica* dici mereretur, uti egregie proditum fuit in Carmine, quod doctissimus Sirmondus edidit in Notis ad Epist. I. Lib. 4. Goffridi Vindocinensis: attamen illud semper tenendum, pro conditione humanarum rerum, corruptaeque nostrae naturae, nunquam inter aurum scoriam, inter triticum lolia defuisse. Nimirum tunc etiam abundarunt, qui Seculo dimisso ad Saecularia in ipsis Monasteriis inhiabant; qui pertoesi disciplinam Monasticam, aut vagabantur, aut perpetuo suis Monasteriis valedicebant; qui in Abbates pensum ab eis exigentes insurgebant, & in deteriora interdum, quàm Laici ipsi, ruebant. Sub ipso Ludovico Pio, hoc est sub Principe, qui in construendis Coenobiis, amandis atque ditandis Monachis, vix parem habuit, Lupus Ferrariensis in Gallia Abbas scribebat Epistolâ 29. ad Guenilonem Senonensem Archiepiscopum: *Episcopaliter compatiendum vobis est, si multos Monachorum experti sitis a sua professione detestabiliter deviare: quum & natura humana prona sit ad malum, & hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania.* Paschasius quoque Radbertus, Abbas Corbejensis, qui iisdem temporibus floruit, vir plane sanctitatis incorruptae, Lib. 4. in Hieremiam haec de Saeculi sui (hoc est Noni) moribus scribebat: *Ecce jam poene nulla est Saecularis actio, quam non Sacerdotes Christi administrent* (haec de Presbyteris Saecularibus) *nulla Mundi negotia, in quibus Ministri Altaris se non occupent. Nulla rerum improbitas, qua se Monasticus Ordo non implicet; poene nulla inlecebris vitae blandities, qua se castitas Sanctimonialium non commaculet.* Confer ista cum Seculi nostri moribus, ac disce, si quando deformia conspicis, hominum infirmitatibus minime durum te praebere, nimiumque iis succensere ne velis. Misericordiae & gratiae Dei tribuendum, si nos graviori etiam lapsu aliorum facinora non superamus. Quare etsi vetustis temporibus Coenobia abundarent, in quibus exacta disciplina & vitae sanctitas florebant; abundarunt nihilominus & illa, in quibus tepor spiritus, immo mundi vitia.

vitia pacifice inhabitabant. Erant nimirum, qui aedificabant; sed neque deerant, qui destruebant. Atque id minime mirum. Tanta de primis Monachis in Oriente audimus: nihilo secius de iis etiam paria tradebat Elias Abbas solitarius, ut est apud Johannem Moschum Cap. 52. de Vitis Patrum. Sanctissima eorum, uti & Occidentalium, Monachorum instituta fuere; Sanctos quoque plures non minus in Oriente, quàm in Occidente Monastica vita tulit: at non omnes revera sunt, aut fuerunt Monachi, qui Monasticam vestem induerunt aut induunt. Quod potius mirari possis: quamquam inclytus Imperator Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius & Ludovicus II. Pii nepos in amplissimo Imperio suo, ac proinde in Italia, disciplinam Monasticam quantis potuere viribus restaurarint; nova etiam Monasteria ipsi condiderint: nihilo secius Anno DCCCLV. in Concilio Ticinensi, de Monachorum & Sanctimonialium statu interrogati Patres ab eodem Ludovico II. hocce responsum dedere: *De Monasteriis autem virorum seu feminarum &c. quia inspiratio omnipotentis Dei (credimus) cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod jam MAXIMA, ex PARTE ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quae ut ad pristinum statum reducantur, in Domini ac Genitoris vestri, ac vestra gloriosa dispositione consistit.*

Propterea non Canones tantùm, sed & Principum Leges olim certabant, ut in officio continerent gregem, quem praecepta Regulae, & Pastoris virga comprimere satis non poterant. Vide Legem XIV. Pipini Italiae Regis in Monachos errones. *Instituimus*, ait, *ut sicut Domnus noster Rex Carolus demandavit de illis Monachis, qui de Francia, vel aliis locis venerint, & eorum Monasteria dimiserint, ut praesentialiter in illis partibus revertantur ad Monasteria, & nemo ex vobis ipsos secum detineat.* Ita in Lege Langobardorum XLV. Ludovici Pii, *Monachi fugitivi ad loca sua reverti jubentur.* Rursus in Lege XVI. ejusdem Pippini inter alios enumerantur *Abbates, qui ad Palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicumque pergunt per Regnum nostrum*, & militari licentiâ uti videntur. Statuitur enim, *ut non praesumant ipsi, aut homines illorum alicui homini suam causam* (le sue cose, le sue robe) *tollere, nec sua laborata, in tantum si non comparaverint, aut ipse homo per suam spontaneam voluntatem eis dederit.* Ad haec *Gyrovagos Monachos* vel ab ipso Sancto Paulino Nolano Episcopo, & in Sancti Benedicti Regula memoratos videas. Sed neque eorum semen desideratum olim fuit inter ipsos Monachos Benedictinam Regulam professos. De iis sermo est in Synodo Vernensi II. habitâ in Gallia Anno Christi DCCCXLIII. vel DCCCXLIV. Ibi statutum fuit, ut transfugae *in ergastulis includerentur*. En verba Canonis Quarti: *Monachos, qui cupiditatis caussâ vagantur, & sanctae Religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca jubemus reverti, & regulariter Abbatum solertiâ recipi. Eis autem, qui post evidentem professionem Monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui suâ culpâ projiciuntur, nisi redire, & quod Deo spoponderunt, implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu a conventu hominum abstineantur, & pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant.* Ita verum

rum est, nihil esse sub Sole novum, neque defuisse Seculis retroactis exempla probitatis aeque atque improbitatis, quibus ne nostra quidem carent. Tunc etiam ad Saecularia negotia confluebant Monachorum & Clericorum non pauci, quibus disciplina, & solitudo toedio erat. Praeterea tunc minime desiderati, qui seditiosis sese jungebant, consilia & opem conferebant; qui profugi ad nuptias convolabant: qui divina humanaque per flagitia quaeque miscebant. Nunquam certe proborum atque optimorum inter eos inopia fuit; sed in tanta innumerabilium Deo sacratorum hominum colluvie vix fieri poterat, quin & multi veste quidem bonos praeferrent, at moribus improbos imitarentur. Postremis hisce potissimus usus est Castruccius, famosus Lucae Dominus & Dux, teste Nicolao Tigrimo in ejus Vita, Tomo XI. Rerum Italicarum, *Ministris* (nempe ad disseminandas discordias & ardua quaeque superanda) *opportunis utebatur, non accitâ ab inferis discordiâ vadente scissâ pallâ, non Megerâ, Bellonâ, Furiisque, sed omnibus Furiis saevioribus Hypocritis quibusdam viris, Religionis habitum deferentibus, qui vel clam pertentando, persuadendoque, vel publice Populis, dum aliud simulant, partium affectus in cordibus infigendo, divitum avaritiam, & in pauperes plebejosque saevitiam simulando, Optimatum tyrannidem, vel publici aerarii direptionem, rapinasque fingendo, malorum omnium in Orbe fere caussas effecere*. Contra is bonos Monachos amabat excolebatque, *adhibens in secretis saepius viros Religiosos, quorum colloquio, quum per otium licebat, maxime delectabatur, Minorum praecipue, a quibus (quum non solùm unius Civitatis, sed Orbis secreta, consiliaque teneant) diligentissime omnia perscrutabatur &c.*

Quum verò Carolinis etiam Augustis imperantibus, ut dixi, esset vitiis quoque & corruptelis frequens aditus in claustra Monachorum: propterea identidem a Regibus mittebantur exploratae probitatis viri, qui disciplinam restituerent, scilicet *unus Monachus & unus Cappellanus*, Saecularis videlicet, uti habet Lex XXI. ipsius Pippini. Idque potissimum Ludovico Pio cordi fuisse, Historia nos docet. Pippinus idem edicit in Lege III. *ut Monasteria Virorum & Puellarum, tam quae in Mundio* (idest sub tutela aut jurisdictione) *Palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio Episcopali, seu & de reliquis hominibus esse inveniantur, distringantur* (hoc est, cogantur, sive emendentur) *ab eo, in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant*. Verùm sive quòd detestanda consuetudo inoleverit, ut Secularibus viris, aut Ecclesiasticis quidem, sed minime Monachis, Abbatiae, & praesertim pinguiores, non in aedificationem sed in direptionem, regendae traderentur, sicuti in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium traditis* infra videbimus; sive quod progrediente tempore meliora quaeque instituta in deterius ruere consueverint; sive ob alias caussas, quas heic recensere nihil attinet: pessum ire coepit plerisque in locis Monasticus Ordo, & in pejus ruere innumerabilis ille piorum coetus, unde tot exempla virtutum, & tot sanctos viros antea collegerat Ecclesia. Decimo potissimum, ferreo plane, Saeculo in enormem corruptionem sacrum istud institutum declinavit. Quare boni, quorum semen nunquam desiit, quando Principes Ecclesiae, & Seculi aut nequibant, aut no-

nolebant morbo acrius in dies saevienti auxiliarem manum praebere, grandi animo curam tot vulnerum ipsi suscepere, ut in pristinum valetudinis statum nobile corpus deducerent. Primi Cluniacenses Monachi in Burgundia Reformationem, uti appellant, inierunt: & quum sanctis viris eorum Congregatio diu abundare perrexerit, sensim innumera Monasteria, etiam Italica, ad Cluniacensium normam sese composuere. Aliam quoque Reformationem in Italia instituerunt Sancti Romualdus, & Johannes Gualbertus, uti & in Gallia Cistercienses, aliique exploratae atque insignis pietatis viri, ita ut Saeculo etiam XI. & XII. in Coenobiis non paucis sanctitas morum floruerit, & egregii viri inde emerserint, qui ad ipsam Apostolicam Sedem evecti, in ea restituerunt antiquum dignitatis ac virtutis honorem. Quid exinde factum fuerit, non est hujus loci meminisse. Certe Seculis iis summo in honore ac aestimatione erant Monachi, sed potissimum qui Monasteria incolebant, ubi Regularis observantia & aemulatio virtutum efflorebat. Inter postrema haec adnumerandum sacrum Casinense Coenobium, erga quod vel ipsi Graecorum Imperatores munificentiae, ac venerationis signa non semel dedere. Id etiam discas ex Literis nunc mihi edendis, atque e Cartophylacio celeberrimi illius loci descriptis. Scilicet Anno Christi MXCVIII. quum Christi Fideles ad liberandam ex impiorum manibus sanctam Civitatem Hierusalem, expeditionem suscepissent, Monachi Casinenses tanti erant apud Alexium Imperatorem, ut ad eum Literas commendatorias dederint pro eodem Francorum exercitu. Quid ille rescripserit, accipe.

Epistola Alexii Imperatoris Constantinopolitani ad Abbatem Montis Casini, qua pollicetur, se Francorum exercitui praestiturum auxilium in Oriente Anno 1098.

Quanta Imperio modò scripsistis, Venerabilissime ac sapientissime serve Dei, Abbas Coenobii Casinensis, *didici. Declarabat autem vestra Epistola honorem atque laudem Imperii mei. Et omnipotentis quidem atque misericordis Dei nostri est in me & in subjectis nostris propitiatio maxima, & beneficia ejus innumerabilia. Et ipse quidem per ejus misericordiam honoravit Imperium meum, atque exaltavit gratis. Ego autem non solùm quia nihil boni habeo in me, sed maxime quia super omnes homines pecco, ad eum quotidie preces fundo, ut longanimis atque misericors misereatur atque sustineat meam infirmitatem. Vos autem ut boni atque virtute pleni judicatis me peccatorem sicut bonum. Et vos quidem habetis proficuum adeo Imperium meum, cum laudatur dignum laudis opus, non habens in condempnacionem suam laudes possidet.* Ut autem adjutorium praebeam forte exercitui Francorum, *designabant vestri prudentissimi apices. Sit inde certa vestra venerabilis Sanctitas, quoniam ita dispositum fuit super eos Imperium meum, & ita omnibus modis adjuvabit atque consiliabit eos, & secundùm posse suum cooperatum est in eis, non ut Amicus, vel cognitus, sed ut Pater, & tale expendium fecit in eis, quem non potest aliquis munerare. Et nisi Imperium meum ita exper-*

expertum fuisset in eis, & adjuvasset eos post Dominum, quis alter adjutorium praebuisset eis? Et neque iterum piget Imperium meum auxilium dare eis. Et gratiâ Dei bene prosperantur usque hodie in servicio, quo inceperunt, & in antea prosperabuntur, quousque bona intencio precedit eos. Multitudo ex equitibus atque pedestribus ivit ad eterna tabernacula: horum alii interempti, alii mortui sunt. Beati quidem sunt, ut in bona intencione finem mortis dantes; propterea minime oportet, nos illos habere ut mortuos, sed ut vivos, & in vitam aeternam atque incorruptibilem transmigratos. In exemplum vestrae fidei atque bone dispositionis circa vestrum Monasterium Imperii mei misit unum Epiloricum de dorso suo exii deauratum.

Missa est Mense Junio, Indictione Sexta, á sanctissima Urbe Constantinopoli.

Geminae itidem Epistolae ejusdem Imperatoris Alexii ad Abbatem Montis Casini missae, quarum una exarata visitur Anno 1097.

ET *ab omnibus, qui de ipsis partibus veniunt, nobilibus ac virilissimis Comitibus atque Ducibus, immo & ab ipsis onorandis Presulibus certificatum est Imperium meum, serve Dei propinque prudentissime, ac sapientissime* Abbas de Monte Casino, *de vestris maximis virtutibus. Et qualiter semper indesinenter opus habes operari omnia, quae Deo acceptabilia sunt, & non solùm vester labor talis est, sed disciplina, atque ammoniciones vestrae circa omnes tales sunt acceptabiles Deo, & homines illuminantes. Et quamvis minime te specialiter aspexit Imperium meum, & saciatum est de vestris sanctis orationibus; sed ita dispositum est circa vestram venerabilitatem, quasi nos propriis oculis aspexisset quotidie, & loqueretur vobiscum indisinite. Et vult quatenus ad memoriam ejus veniam, cum vestras sanctas atque venerabiles orationes funditis ad Deum, & per vestras honorabiles Litteras sepius scribite nobis, declarantes de vestris actibus, & de his, qui sub vobis sunt, atque de ipsis partibus. De his autem, que de Peregrinis dicendum est, qualiter Deus prospere se habuit circa nos & circa illos, novit Imperium meum, quod audistis a plurimis. Audies autem apercius & ab istis Nuntiis nostris.*

Missa est Mense Augusto, Indictione Quinta, a sanctissima Urbe Constantinopoli.

Altera Epistola.

N*Otum est sancto Imperio nostro, venerabili & laudabili* Domno Abbas Montis Casini, *eo quod sit repletus multa benignitate, & omnes Fratres Congregationis tue, etiam omnes Laici veniunt ad consilium tuum & ad bonitatem tuam: & gratias Deo, qui in ipsis malis diebus invenitur tantam bonitatem .... in te & laudabiles inveniuntur in te omnes, qui voluntatem Dei faciunt. Et in vestris partibus inveniuntur homines intellectuales, qui sunt in adjutorio anime & corporis. Auditum est nostro Imperio, quod nobilissimus Rex fecit cum nobiles homines de Roma, & quod fecit ad Sa-*

Sanctum Papa, & ad Clero ejus. Et cum hoc audisset factum, angustiatus sum: sed quod placuit Deo, hoc factum est. Ipse inde judicet. Sed credimus, quia de tam grandis causa Deus aliquod judicium debet ostendere ad salvacionem omnium animarum & corporum: quia Deus intellexit omnia, & gubernat totum Mundum. Ipse faciat, quod ei placet. Misi vobis causâ memorie ab Imperio nostro Pallia octo, Libras viginti quinque, & Pallium super Altare vestre Ecclesie.

Missa a sanctissima Civitate Constantinopoli.

Successere postea Seculo XIII. in Ecclesia Dei alii Religiosorum hominum Ordines, ac praecipue *Praedicatorum*, & *Minorum* celeberrimae Familiae. Quod Benedictinis Monachis olim acciderat, contigit & istis. Nimirum illorum pietas & doctrina omnium animos in admirationem ac amorem sui rapuit. Certavit unaquaeque Civitas in eorum institutis amplectendis, novisque Coenobiis ad eorum commodum aedificandis. In quatuor veluti partes divisae Urbes sacros eorum coetus excipiebant. Unum quarterium, ut ajebant, Praedicatores, alterum Minores, tertium Carmelitae, quartum Augustiniani Eremitae, aut Servi Beatae Virginis arripuerunt. Totus Populus ad eos conversus vix alias salutabat Aedes sacras, vix alibi quàm apud eos Sacramenta ac Sepulturam quaerebat, ita ut passim conquererentur Parochi erepta sibi a novis hospitibus antiquissima jura sua, & necesse fuerit modum aliquem ponere invertentibus omnino veterem disciplinam. Tanta etiam fuit ejusmodi piorum hominum existimatio, ut in politicis negotiis, ac praesertim in Civium publicis discordiis sedandis, in foederibus & pacibus statuendis, illorum consilium, auctoritas, & industria saepissime interponeretur. Immo quod mirere, eorum operâ utebantur in iis etiam Reipublicae muneribus, quae a Religiosi hominis professione aliena videantur. In Mutinensi Republica invenio adhibitos fuisse eodem Seculo XIII. & subsequenti XIV. Fratres Mendicantes ad *Follicellorum* vectigal, & reliqua tributa colligenda, & ad signandas *mensuras grani*, sive frugum, vini, & olei, stateras &c. Sacculus iis interdum commendabatur, in quem conjiciebantur fabae aut albae aut nigrae in Populi conciliis usurpatae ad colligenda Civium vota in electionibus ac deliberationibus Reipublicae. *Massarii* quoque, sive Oeconomi, & *Syndici*, sive generales Procuratores Reipublicae ex ipso Religiosorum Ordine adsciscebantur. In Statuto MSto Mutinensi, Anni MCCCXXVII. memoratur *Frater, qui colligit pedagium Stratae pro Communi Mutinae*. Ad Annum MCCLX. in Instrumento ejusdem Reipublicae occurrit *Frater Albertonus de Ordine Fratrum Humiliatorum, Massarius Generalis Communis Mutinae, nomine & vice Fratris Vinerii de Ordine Minorum Sindici Communis Mutinae*. Ad Annum MCCLXII. occurrit *Frater Amedeus de Sancta Trinitate Massarius Generalis Communis Mutinae*. Ad Annum MCCLXXII. visitur *Frater Symon de Sancta Catalina Massarius Generalis Communis Mutinae*. Ita Ferrarienses, uti ex eorum Statuto MSto constat, Anno MCCLXXXVIII. adhibebant *Fratres de Boleta* (idest Bulletta) *& platezolos Communis* (quo nomine significari puto Exactores tributi platearum) *qui Platezoli debeant esse*

esse Fratres. Ibi quoque Lib. 2. Rubrica 329. ubi agitur *de eligendis tribus viris super victualibus*, haec statuuntur: *Eligantur tres boni & legales viri, unus per Priorem Fratrum Praedicatorum, alius verò per Guardianum Fratrum Minorum, alius verò per Priorem Fratrum Eremitanorum*. En quanta fides haberetur probitati religiosorum hominum temporis illius. Verùm hoc parum videatur, si conferas quae eodem Saeculo XIII. egit Frater Johannes de Vicentia Ordinis Praedicatorum, vir sane insignium virtutum, sed majoris, quàm decebat, animi atque fiduciae, cui Veronenses, Vicentini, Bononienses, aliique Populi, integrum paene regimen suarum Urbium detulere, eo tamen infelici successu, quem Gerardus Maurisius, Rolandinus, Parisius de Cereta, aliique Historici in Collectione Rer. Italicar. legendi, posteris tradidere.

Quod si adeo Mendicantium, aliorumque Ordinum piorum recentiores coetus in singulis fere Italicis Urbibus multiplicatos, &, ut ita dicam, spissos cernimus, mirandum minime est. Non enim dispar est hominum studium, & veluti quidam a natura impetus ad propagandam speciem suam, atque Religiosis viris suum propagandi institutum, in commune videlicet bonum: liceat etiam dicere in proprium commodum, & amplificandum imperium. Agendae potius gratiae Apostolicae Sedi, quod suâ prudentiâ intercesserit, ne plures, quàm nunc, habeamus Religiosorum Ordines, quorum fortasse confluxu obrueremur. Ea quippe vetuit, ne novi ultra modum instituerentur; Et inutiles quosdam, aut etiam perniciosos, aliquando abolevit. Innocentius III. Papa in Concilio Generali Lateranensi IV. hoc statuit Anno MCCXV. Cap. 13. *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero Novam Religionem inveniat. Sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat*. Ubi vides *Religionem* pro Ordine Religiosorum accipi, eorum scilicet, qui ejurato Seculo se Deo, peculiari Religionis voto, obstringunt: qua voce usi sunt & alii ex antiquis. Atque heic animo haereat Lector oportet, decretum hoc Lateranensis Concilii perpendens, simulque cum eo componens, quod de probatis ab eodem Innocentio III. summo Pontifice piis Praedicatorum & Minorum institutis contigisse novimus. Immo eodem ipso tempore, quo ipsum Concilium habitum est, nempe Anno MCCXV. Bernardus Guidonis in Vita Innocentii Tertii, Tomo III. pag. 485. Rer. Italicar. auctor est, Sanctum Dominicum petiisse ab eo *institutionem & confirmationem* sui Ordinis, atque hanc a Pontifice *concessam extitisse, & promissam*. Paria scribit Ptolomeus Lucensis Lib. 21. Cap. 17. Histor. Ecclesiastic. Tomo XI. Rer. Italicarum, ut alios omittam. Contendunt etiam Fratres Minores, Sanctum Franciscum ab eodem Innocentio III. atque ipso Anno MCCXV. confirmationem sui Ordinis impetrasse. Et sane in Bulla Honorii III. datâ Anno MCCXXII. ac editâ Tomo Primo Bullarii Romani, disertis verbis legitur, *Ordinis vestri Regulam a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam &c. confirmamus*. Denique non hos tantùm Ordines, hoc est, *Praedicatorum & Minorum* sed & *Trinitatis & Scholarium* ab Innocentio III. probatos tradunt. Quei ergo,

petat aliquis, Innocentius III. a novis Ordinibus Religiosis invehendis adeo alienus in Generali Concilio, se postea ac tam cito facilem praebuit ad nova haec instituta probanda? Immo in eum finem confectum videatur illud decretum, ut nascentibus tum duobus iis Ordinibus spes eriperetur Pontificiae confirmationis.

Quod est ad *Fratres Praedicatores*, equidem puto, levi negotio conciliari haec posse, neque a vero abludere, eorum Ordinem ab ipso Innocentio III. fuisse probatum. Nam Sanctus Dominicus suum coetum instituit sub *Regula Sancti Augustini*, quam *Canonici Regulares* jamdiu excolebant; praetereaque Praedicatores ipsi primo inter *Canonicos* sunt recensiti, meritoque adhuc inter Canonicos Regulares sunt recensendi, etsi *Praedicatores* tantùm eos appellare vulgus coeperit, atque ii hoc unum nomen retinuerint: quo etiam modo nos *Cappuccinos* quamdam summe piam Minorum Congregationem appellare solemus. Ergo si Praedicatores *Religionem* antea *approbatam*, scilicet *Canonicorum Regularium* assumserant, nihil eorum institutioni & confirmationi obstabat Lateranensis Concilii decretum. Honorius III. Bullam, qua Praedicatorum Ordinem reapse probavit & confirmavit, editam Anno MCCXVI. in Bullario Romano, inscribit *dilectis filiis Dominico Priori Sancti Romani Tolosanensis, ejusque Fratribus, Regularem vitam professis*. Tum inquit: *Statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & Beati Augustini Regulam in eâdem Ecclesiâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur*. Haec solennis confirmatio Praedicatorum Ordinis: nam Innocentius III. (ut habet in Vita Sancti Dominici apud Surium Theodoricus de Appoldia, Bzovius, & alii Scriptores) commendavit quidem consilium Sancti Dominici, sed ejus Ordinem minime confirmavit. Quare in suis exordiis nihil aliud fuere *Fratres Praedicatores*, nisi *Canonicorum Regularium Ordo*; & nemo negat, quin Sanctus Dominicus Uxamensis Canonicus fuerit. Neque negotium tibi facessat vestium habitus; nam uti ex imagine constat, quam Clarifs. P. Papebrochius expressit Tomo Primo Actor. Sanctor. Junii, pag. 984. Sanctus Norbertus Praemostratensium Canonicorum institutor, vestem plane Dominicanae similem gestabat. Ac proinde recta ejusdem Papebrochii alio in loco opinio mihi videtur, conjectantis, de Ordine Praedicatorum loqui Jacobum de Vitriaco Lib. 2. Histor. Occident. ubi Cap. 27. hoc titulo signat. *De nova Religione & Praedicatione Bononiensium Canonicorum*. Nam haec ille scribebat circiter Annum MCCXX. atque Ordini Praedicatorum nuper, idest Anno MCCXVI. confirmatio Pontificia accesserat. Praedicabant autem Populo ejusmodi Canonici verbum Dei; & quia id insuetum erat de *Canonicis*, & ingentem in auditoribus animorum commotionem excitabant ad opera Pietatis, propterea omissâ *Canonicorum* appellatione ii nuncupari coepti sunt *Praedicatores*, quod nomen adhuc retinent. Ideo verò *Bononienses Canonici* primo dicti sunt, quod Sanctus Dominicus praecipuam Bononiae fundationem Ordinis sui fecit, atque ibi vivere desiit Anno MCCXXI.

Mediolani floruit, ut alibi indicavi, circiter Annum MCCXXX. Gualvaneus de la Flamma, cujus Manipulum Florum, atque alia Historica evul-

evulgavi inter Scriptores Rer. Italicarum. Is ergo in Chronico Ordinis Praedicatorum, quod irrito labore hucusque perquisivi (teste Ambrosio Taëgio Ordin. Praedicat. qui spissum opus Historicum circiter Annum MDX. reliquit, adservatum Mediolani in Conventu Gratiarum) scribit, Sanctum Dominicum Anno MCCXVII. Mediolanum fuisse profectum, *& dicit quidam Canonicus Antiquissimus* (sunt verba Gualvanei) *Sancti Nazarii, ubi Canonici habitum Regularem deferebant, quod ipsum Beatum Dominicum in habitu Regulari, quasi unum de ipsis honorifice susceperunt, &* hospitem apud se habuerunt. En quid primum essent Fratres Praedicatores, *Canonici* videlicet *Regulares*, quales neque postea esse desierunt, quamquam paullo post arctius vitae genus susceperint, uti Clarissimus Pater Gravesonius ostendit Tomo V. Histor. Eccles. Colloq. *6.* qui & praeterea nos docet, praecipua capita Regulae Praedicatorum desumta fuisse per Sanctum Dominicum ex Regula *Canonicorum Praemonstratensium*. Sed quando in argumentum hoc illapsus sum, neque satis adhuc per omnium manus excurrit Bullarium Ordinis Praedicatorum, collectum a doctissimo P. Antonio Bermond, inde aliquid excerpere juvat. ut lux major nobis affulgeat. Bulla Honorii Papae III. quae in praelaudato Bullario est Constitutio XVIII. data *Anno V. Pontificatus*, hoc est Anno MCCXXI. memorat *Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Praedicatorum*, ac infra, *dilectum filium Fratrem Dominicum, latorem praesentium, Canonicum Ordinis memorati*. Ad hanc vocem *Canonicum* haec adnotat Bermondus. „ Ita passim per „ id tempus vocabatur Ordo Fratrum „ Praedicatorum, Ordo Canonicus; „ quo circa idem Honorius in Di„ plomate: *Quoniam abundavit &c.* „ Sanctum Dominicum nuncupavit „ *Ordinis Praedicatorum Canonicum*. „ Hinc in dictis testium super in„ quisitione facta de Vita, Obitu, „ & Miraculis Beati Dominici, quae „ refert Echard Tomo primo Scri„ ptor. Ordinis pag. 49. legitur: „ *Sunt introducti a Fratre Philippo* „ *ejusdem Ordinis* (Praedicatorum) „ *Canonico constituto procuratore &c.* „ Hinc Girardus Archiepiscopus Bi„ suntinus in Diplomate dato Anno „ MCCXXIV. (quod asservatur in „ Archivo Ordinis) *memoriae*, in„ quit, *dignum duximus tradere futu„ rorum, quod venerabiles Fratres no„ stri Decanus, totumque Capitulum „ nostrae Bisuntinae Matricis Eccle„ siae &c. Reverendos Fratres Canoni„ cos Ordinis Praedicatorum ad Civi„ tatem nostram instinctu Sancti Spiri„ tus vocaverunt*. Et infra: *Quicum„ que in Domo illa pro tempore Prior „ exstiterit, fidelitatem & reveren„ tiam debet Ecclesiae supradictae San„ cti Johannis, sicut Canonicus spiri„ tualis Ecclesiae &c.* Hinc in Chro„ nico Maylrossensi sic legere est: „ *Anno Domini MCCXXXIII. Clemens* „ *Canonicus de Ordine Praedicatorum* „ *electus est ad Episcopatum de Dun„ blayn &c.* Hinc Jacobus de Vitria„ co Sancto Patriarchae Dominico „ coaetaneus, sic Cap. 37. Historiae „ Occidentalis *de nova Religione &* „ *Praedicatione Bononiensium* loquens, „ ait: *Est alia Regularium Canonico„ rum, Deo grata & hominibus gra„ tiosa Congregatio extra Civitatem „ Bononiae, non longe ab ea* (tunc e„ nim in Coenobio Sancti Nicolai de „ Vineis, nondum intra Urbis moe„ nia concluso, habitabant Fratres)

„ *in*

,, *in castris aeterni Regis militantium &c. Canonicam Regulam, & salutares Regularium observantias praedicationis & doctrinae gratiâ decorantes, & Praedicatorum Ordinem Canonicorum Ordini conjungentes &c.* Hinc audies ex Bullis, Fratres Praedicatores, immo Moniales ejusdem Ordinis, *Canonicos & Canonicas* duobus prioribus ipsius Ordinis Saeculis saepe saepius fuisse nuncupatas. Hinc tamdem est, quod in Constitutionibus Ordinis, Distinct. primâ, Textu quinto, de Recipiendis Cap. 13. sic olim legebatur: *Nullus recipiatur in Canonicum ad probationem vel professionem, nisi a Priore Provinciali &c.* Id videre est in Actis Capituli Generalis Parisiensis Anni MCCXLVI. ubi nunc expuncto *Canonici* vocabulo, legimus: *Nullus recipiatur in Fratrem Clericum nisi &c.* Ita in Constitutione VII. ejusdem Bullarii, quae Bulla est praememorati Papae Honorii III. data Anno MCCXVIII. ad vocem *Canonicus*, haec idem Bermondus iterum adnotavit. ,, Unum insuper notes, velim, *Sanctum Dominicum Canonicum* vocari, licèt in Capitulo Generali Bononiensi possessiones & reditus ejurasset. Nec audiendus qui scripsit ,,: (heic modestus Auctor nomen Patris Sovegii omittit, qui in Annalibus Dominicanis sequentia verba sibi excidisse passus est) ,, *Non legendum Pontificatus Anno V. sed Anno II. quia Anno Quinto Pontificatus Honorii, seu anno MCCXXI. Habitum Virginis, Scapulare scilicet, induerat Sanctus Dominicus, quapropter Canonicus dici non potuisset hoc Anno*. Quasi verò sacrum Virginis vestimentum virum Canonicum dedeceat, aut ipsum non possit exornare. Sed, amabo, numquid diem antiquiorem Instrumento publico fas est adscribere, quia opinionem meam subvertit? Meam ex Instrumento, non Instrumentum ex mente mea corrigendum certe crediderim. Praeterea quid criticus ille de Canonizationis Sancti Dominici perscriptis actis sentiet, si tamdem aliquando evolvat illa? Numquid Anno MCCXVII. assignanda decernet, quia nomen *Canonici* uni ex Fratribus nostris acta haec indiderunt ,,? Ad haec animadverte, in Bulla Gregorii X. Papae, data Anno MCCLXXV. Sanctimonialibus Pruliani, quae in Bullario nuper laudato legitur, ista occurrere: *Et benedictionem Canonicarum a Dioecesano suscipietis Episcopo*. Ex quo intelligimus, vel circiter Annos sexaginta ab Ordinis Praedicatorum institutione, Sanctimoniales Ordinis ejusdem *Canonicarum* nomen retinuisse. Denique, uti monui in Dissertatione LXII. *de Canonicis*, ratio dignoscendi *Canonicos Regulares* in veterum monumentis, ea est, illos nempe sub Praeside *Prioris* nomen gerente, militasse Deo. Quod & factum fuisse a Fratribus Praedicatoribus eam ipsam ob caussam, quod inter *Canonicos Regulares* recenserentur, jam tandem agnoscas.

De Minoribus pauca dicam. Jacobus de Vitriaco synchronus Scriptor, Sanctus Bonaventura, Matthaeus Parisius, aliique veteres, certos nos faciunt, institutum Sancti Francisci sub Innocentio III. propagatum fuisse, immo & illius calculo probatum. Fortassis etiam ante Lateranense Concilium IV. Pontifex piissimo illi hominum coetui suum suffragium addiderat, quamquam Honorius III. primus postea fuerit, qui Anno MCCXXIII.

XXIII. solenni ritu ac Bullâ sacrum Ordinem confirmarit. Interea vidimus, quàm aversus foret animus Innocentii III. Papae sapientissimi, ac Patrum Lateranensium, a probandis recipiendisque novis Religiosorum virorum Congregationibus. Accipe nunc, quid hanc ipsam in rem alterum Generale Concilium decreverit Anno MCCLXIV. Mirabili incremento ac celeritate per totum ferme Christianorum Occidentalium orbem propagata fuerant sacra instituta Fratrum Praedicatorum ac Minorum, quorum Pietatem, Zelum, & Doctrinam summa cum utilitate Ecclesiae ac Populorum conjunctam unusquisque suspiciebat atque laudabat. Tanta illorum fortuna pios alios viros permovit ad excogitandos inchoandosque diversos alios Religiosorum Ordines, prout quisque arbitrabatur, majora etiam emolumenta per novas hasce auxiliares copias praestari posse Ecclesiae Dei. Itaque defatigabant isti importunis precibus Apostolicam Sedem, ut sibi legitime prodire liceret: verùm quae in hanc rem sententia fuerit Gregorii X. sanctissimi Pontificis, ac Patrum in Generali Concilio Lugdunensi II. Anno MCCLXXII. ex Decreto vigesimo tertio ejusdem Concilii ediscere possumus. *Religionum diversitatem nimiam* (inquiunt Patres) *ne confusionem induceret*, *Generale Concilium* (idest Lateranense IV.) *consultâ prohibitione vetuit. Sed quia non solùm Importuna petentium Inhiatio illorum postea Multiplicationem Extorsit*, *verùm etiam aliquorum Praesumtuosa Temeritas*, *diversorum Ordinum*, *praecipue Mendicantium*, *quorum nondum approbationis meruere principium*, *Effrenatam quasi Multitudinem adinvenit:* (en quantopere animos hominum invasisset pia isthaec novorum foetuum libido) *repetitâ constitutione districtius inhibentes*, *ne aliquis de cetero novum Ordinem aut Religionem inveniat*, *vel habitum novae Religionis assumat: cunctas affatim Religiones*, *& Ordines Mendicantes*, *post dictum Concilium adinventos*, *qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerunt*, *perpetuae prohibitioni subjicimus &c.* Tum addit Pontifex: *Sane ad Praedicatorum & Minorum Ordines*, *quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos*, *praesentem non patimur constitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum & Eremitarum Sancti Augustini Ordines*, *quorum institutio dictum Concilium Generale praecessit*, *in suo statu manere concedimus*, *donec de ipsis fuerit aliter ordinatum*. Institutos quidem ait Gregorius X. ante Annum MCCXV. Ordines Carmelitarum, ac Eremitarum Sancti Augustini, sed eos ab Apostolica Sede nondum approbatos ait: quare neque illos proscribit, neque tamen probat, in statu in quo erant relinquens, *donec de ipsis fuerit aliter ordinatum*. Cum hocce decreto an satis consonet Bulla, quae in Bullario Romano, Tom. I. legitur, data Anno MCCXXVI. in qua Honorius III. paucissimis, praeter morem ac stilum Curiae Romanae, verbis probat *Regulam Carmelitarum*, dijudicandum aliis dimitto. Satis sit nobis heic animadvertisse, quantâ foecunditate post Annum MCC. pullularint Ordines religiosi, & contra quantâ severitate & prudentiâ caverint sapientissimi Pontificum, ipsaque Generalia Concilia, ne per nimiam istorum sobolem & propagationem confusio in Ecclesiam inveheretur, neque oneri esset, quod ad ipsius Ecclesiae utilitatem ac ornamentum duntaxat fuit instituendum. Attamen ejusmodi decreta sensim abro-

rogata contrariis actibus fuere, & locus est factus aliis piorum virorum coetibus, maxime profecto commendandis, ita ut multas variasque eorum Familias unaquaeque Civitas nunc alat. Et quid dixi quaelibet Civitas? etiam in Castellis & exiguis Vicis Monasteria, ipsaque interdum plura, visuntur; eorumque uberiores catervas ruri inspiceremus, nisi Gregorii XV. Urbani VIII. ac aliorum Pontificum constitutionibus modus Monasteriolis factus fuisset.

Nunc autem quando sub oculos habemus praesentia tempora, aliquis fortasse antiquorum temperantiam laudet, apud quos longe minor sine comparatione fuit tam Clericorum Secularium, quàm Monachorum copia; & praecipue quod olim unus Benedictinorum Ordo in tota ferme Europâ numeraretur, unum verò tantummodo ex iis Monasterium singulae Civitates habere consueverint. Verùm Lectores monendos reor, ne tam facile vetusta Secula putent paucis Monachis, paucisque Monasteriis fuisse contenta. Erant enim Urbes, quae plura eodem tempore ostentabant, eaque cuncta Benedictini Ordinis cum virorum tum mulierum, quamquam temporibus nostris nulla eorum vestigia supersint. Lege vetustissimas Vitas Romanorum Pontificum, quae sub Anastasii nomine circumferuntur: palam fiet, in una Romana Urbe antiquis Saeculis exstitisse permulta. Exempli causâ Gregorius II. Papa *Monasteria, quae secus Basilicam Sancti Pauli erant ad solitudinem deducta, innovavit, atque ordinatis servis Dei Monachis, congregationem constituit, ut ibidem die noctuque Deo redderent laudes. Hic Gerontocomium Sanctae Dei Genitricis ad Praesepe Monasterium instituit. Atque Monasterium Sancti Andreae Apostoli ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, adscitis Monachis ordinavit &c.* Idem quoque Pontifex *domum propriam in honorem Sanctae Christi Martyris Agathae additis a fundamento coenaculis, vel quae Monasterio erant necessaria, a novo construxit. Praedia illic urbana vel rustica pro Monachorum obtulit necessitate.* Fortasse animadverteris, non unum Monasterium fuisse olim Romae *secus Basilicam Sancti Pauli.* Idem de Basilica Vaticana Sancti Petri dicendum videtur. Nam Gregorius III. ut est in ejus Vita, *fecit Oratorium intra eamdem Basilicam beati Petri*, ibique Reliquias reposuit omnium Sanctorum, *quorum festa Vigiliarum atque Natalitiorum a Monachis trium Monasteriorum Illic servientium quotidie Missas celebrari instituit.* Addit infra illius Vitae Auctor de eodem Gregorio III. *Construxit & Monasterium sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem, & Monachorum congregationem &c. Simili etiam modo renovavit Monasterium Sanctorum Johannis Euangelistae secus Ecclesiam Salvatoris, ubi & congregationem Monachorum & Abbatem constituit.* Hi vero in Basilica Lateranensi *persolvebant sacra officia laudis divinae diurnis nocturnisque temporibus. Monasterium* quoque *Boëtianum* Romae fuisse, uti & *Monasterium Sancti Martini* proximum Basilicae Vaticanae, veterum monumenta produnt, ut alia omittam. Interea ex Anastasii verbis nuper adductis intelligimus, functos tunc fuisse Monachos pio illo munere, quod proxime sequenti Saeculo pro decantandis Psalmis & Hymnis ad Canonicos delatum est in Templis Secularium, etsi ne tunc quidem desiderarentur Presbyteri Seculares

culares ad ejusmodi Templorum regimen & sacra facienda. Atque haec pauca de una Roma commemoro: longam enim seriem pertexerem, si singula Monasteria recensere animus foret, quibus olim nobilissima Civitas referta fuit. Hanc in rem Anastasius atque Annales Clarissimi Mabillonii multa ministrabunt. Certe sub finem Saeculi X. numerabantur in Urbe *sexaginta Monasteria*, hoc est *quadraginta Monachorum*, & *viginti Sanctimonialium*; ita ut tempora illa cum nostris certare potuisse videantur, nobisque intelligere hinc liceat, quot rerum vices ac mutationes praeterita Secula invexerint, quando ex antiquis illis nunc supersint tam pauca.

Mediolanensi quoque in Urbe antiquis Seculis occurrunt nobis Monasteria Monachorum multa, videlicet *Ambrosianum*, *Sancti Victoris ad Corpus*, *Sancti Vincentii*, *Sancti Simpliciani*, *Sancti Celsi*, *Sancti Dionysii*, *Sanctorum Gervasii & Protasii*, *Sancti Caloceri*, & alia fortasse mihi ignota. Puellarum verò *Monasterium Majus*, *Widelindae*, *Auroni*, *Dathei*, *Lentasii*, *novum de Ghisone*, & si qua erant alia. Simili ratione Veronae olim numerabantur Monasteria *Sancti Zenonis*, *Sanctae Mariae ad organum*, *Sancti Firmi*, *Sancti Petri in Mauriatica*, *Sancti Stephani in Ferrariis*, *Sancti Thomae*, *Sanctae Trinitatis*, & plura etiam, quae aut tempus obliteravit, aut Eruditi Veronenses norunt. Ticini praeterea prisca aetas vidit Monasteria *Sancti Petri in Caelo aureo*, *Sancti Salvatoris*, *Sanctae Agathae* (a Bertarido Rege constructum) *Senatoris*, *Sanctae Mariae Theodatae*, *Sancti Anastasii*, *Sancti Matthaei*, *Sancti Thomae*, *Sancti Apollinaris*, *Reginae sive Sancti Felicis*, *Sancti Majoli*, *Sancti Marini*, *Sanctae Mariae Venationum*, & alia, quorum nomina forsitan exciderunt. Ita Ravennae complura erant, uti in Vitis Archiepiscoporum Ravennatum Part. I. Tomi II. Rer. Italicar. nos docet Agnellus, si tamen ut infra dicam, ea fuere Monachorum domicilia. Sed & in aliis Italiae Urbibus ejusmodi Monasteria nobis occurrerent, nisi tempus edax tot veterum monumenta absumsisset. Atque heic commemorandae mihi sunt Literae Gregorii VII. Papae, quas Ghirardaccius in Historia Bononiensi ad Annum MLXXIII. adfert, antiquas sane, omnino tamen spurias. Eas quoque habemus apud Sigonium in Episcop. Bononiensib. Sed vereor ego, ne in postumum illius foetum alterius operâ adulterinae hae merces irrepserint. Nihilo tamen secius ex ejusmodi confictis tabulis elici fortasse possunt varia non conficta Monasteria, quae tunc Bononiensi in Urbe, ejusque agro numerabantur. Scilicet *Monasterium Sancti Michaëlis Archangeli in Paterno*: *Monasterium Sanctae Mariae in Massa Palense*: *Monasterium Sancti Anastasii in Petriculo*: *Monasterium Sancti Prosperi in Panigale*: *Monasterium Sancti Martini in Pojo*: *Monasterium Sancti Petri in Strata*: *Monasterium Sanctae Mariae in Strata*: *Monasterium Sancti Petri in Nucifatico*; *Monasterium Sancti Martini in Casalichio*: *Monasterium Sanctae Mariae Majoris*: *Monasterium Sancti Columbani*: *Monasterium Sanctorum Gervasii & Protasii*: *Monasterium Sancti Thomae ante Portam Sancti Petri*: *Monasterium Sancti Johannis Evangelistae in Monte Oliveti*: *Monasterium Sancti Stephani in Hierusalem*. Memorat idem Ghirardaccius in calce Libri Sexti, alia Bononiensis agri Monasteria, nempe

Sancti Archangeli apud Castellum Brittorum, *Sanctae Christinae*, *Sancti Damiani*, & *Sanctae Mariae in Bethleem*. In eodem etiam agro sita fuere *Monasterium Montis Armati*, *Sancti Bartholomaei de Mussiliano*, *Sancti Fabiani in Aigonia*, *Sancti Gregorii extra viam Sancti Vitalis*, *Monasterium Sancti Laurentii*, *Monasterium Sancti Mathiae*, *Monasterium Sancti Salvatoris*, ut alia praeteream. Sed hisce unum ego adjunctum heic volo, eidem Ghirardaccio ignotum, videlicet *Monasterium Sanctae Luciae*, situm in Castello Roffeni Bononiensis Dioecesis, cujus minime dubium testem habeo Chartam, a Joseph Antenore Scalabrinio, sacrarum Literarum in Ferrariensi Academia Professore, ad me missam. Ejus quoque Monasterii mentionem alibi me videre memini.

Donatio Ecclesiae Sanctae Trinitatis facta Urso Abbati Sanctae Luciae de Roffeno ab Alberto Comite de Panigo, ejusque conjuge Imelda, Anno 1068.

In *nomine Sancte Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Sexagesimo Octavo, Regnante* Aenrico Tercio Rege, *Indictione IX. in Dei nomine. Ego* Albertus Comes de Panigo, & uxor mea *nomine* Imelda, *cum* filio nostro *nomine* Milo, *pro peccatis nostris, & omnium parentum nostrorum, vivis ac defunctis, ut in diem Judicii bonam retribucionem accipiamus a Domino, Donamus* Ecclesiam Sancte Trinitatis, *que est fundata in loco qui dicitur Prato Baratti, ad* Sanctam Luciam Virginem *per omne tempus in proprietate & in alode, & a te venerabilis* Abbas Orso *nomine, & cunctis successoribus tuis post te tam* Abbatibus quàm Monachis Sancte Lucie Virginis; *ad tenendum, ad possidendum, & ad ordinandum in jura Monachorum omni tempore sit in tua potestate & dominatione, cum omni possessione & creditate sua, quam olim habuit & modo habet, & in antea abuerit vel acquisierit; sicut Rolandus Presbiter & Monachus melius eam tenuit & habuit, sic tibi Domno Urso Abbati Ecclesiam supradictam concedimus, donamus firma donacione in perpetaum, ut supra scriptum est, sine ingenio malo, & sine ulla mala reservacione sic donamus, & propriis manibus firmamus ego Albertus Comes, & uxor mea Imelda, & filius noster Milus; cum consilio & voluntate cunctis fratribus meis & parentibus. In tali racione, si fuerit aliqua submissa persona, homo vel femina ex eredibus nostris, vel aliqua extranea persona vel privata, que hanc Cartam contradicere vel inrumpere aut molestare voluerit, aut aliud dicere nisi hoc, quod supra scriptum est, iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Dathan & Abiron pereat, & cum Anna & Caypha atque Pilato & cum Juda traditore Domini, & cum Simone Mago in inferno inferiori dampnationem eternam accipiat, nisi resipuerit, & a satisfacionem coram Deo, & Sancte Lucie venerit, ita ut per molestationem qua molestaverit, emendat ad Sanctam Luciam triginta Libras auri purissimi pro pena, & post pena soluta hanc Cartam in sua maneat firmitate in perpetuum.*

Signum manus Alberti Comitis, qui hanc Cartam scribere fece, propria manu firmavit.

Si-

Signum manus Imelde uxori ſue.
Signum manus filii ſui Mili.
Presbiter Sigezi de Saxoni.
Engezo Caſtaldo.
Boneto Caſtaldo.
Gajulfo de Stramignano.
Guido de Pagano de Flamignano rogati ſubſcripti teſtes.
Ego Honeſtus Chriſti miſericordiá Tabellio ſcripſi, poſt prefatam corroboracionem complevi & firmavi.

Celebres in Hiſtoria Bononienſi ſunt *Comites de Panigo*, eorumque vetuſtatem metiri hinc etiam potes. Quod praeterea animadvertas velim, ſaepius extra, quàm intra ipſas Civitates, eadem Monaſteria conſtrui conſueverunt, ut aliqua ſolitudinis ratio haberetur pro Monachis, ad ſolitudinem ſervandam veluti inſtituto ſuo obligatis. Ita Mediolani Ambroſianum, Celſianum, & alia: Ticini verò Sancti Petri in Caelo Aureo, Sancti Salvatoris &c Veronae Sancti Zenonis, Sanctae Mariae ad Organum &c. Mutinae Sancti Petri, Regii Sancti Proſperi, ut alia omittam, condita fuere. Atque inter beneficia, quae in Rempublicam efflu xere ex Monachorum inſtitutione, non illud poſtremum fuit, delecta ab iis, aut conceſſa illis ſaepe fuiſſe ad habitandum loca inhoſpita, inculta, ac ferarum cubilia, quae ipſi ſenſim tum labore ſuarum manuum, tum colonis adſcitis, ſummoque ſtudio ad culturam inſtruxere; ita ut loca antea horrida in fructiferos ac interdum amoenos agros converterentur. Fatendum quippe eſt, uti nuper innuebam, antiquiſſimos Monachos ſolitudinem antepoſuiſſe, atque anteponendam cenſuiſſe Civitatum incolatui, in quibus Virtuti pericula multa & uberiorem tentationibus aditum pertimeſcebant. Et profecto *Monachi* nomen Solitudinis amorem innuit. Abbo Novalicienſis Coenobii inſtitutor, uti nos docet Scriptor Chronici Novalicienſis, Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum pag. 702. ajebat: *Non poteſt tuta fore Monachorum habitatio, ſi circa Urbes vel Vicos fiat eorum aſſidua converſatio.* Quare olim ruri longe plura quàm ſubſequutis Seculis viſebantur Monaſteria. Inſulae etiam deligebantur, inter quas *Lirinenſis* omnium celeberrima evaſit, tot Sanctis & doctis viris Eccleſiae Dei ſuppeditatis. Denique in montibus, & non longe a paludibus, atque in aliis ſolitariis locis Monaſteria plerumque olim condebantur, e quibus nonnulla prae ceteris inſignia procedente tempore, concurrentibus illic finitimis hominibus, atque ibi domos conſtruentibus, ſenſim evaſere magnifica Oppida. Idque praeſertim contigit *Bobienſi* Monaſterio, ubi nunc Civitas eſt, & *Nonantulano* agri Mutinenſis, ubi nunc illuſtre Oppidum, & *Bruniatenſi* in Liguria, quod in Epiſcopatum converſum fuit: & ut alia praeteream, *Vangadicienſi* Coenobio ſito ad Athicem, ubi nunc alterum nobile Oppidum ſpectatur, cui *Abbatia* nomen eſt, in Dioeceſi Adrienſi, olim ſub Marchionum Eſtenſium ditione poſitum. Poſtremi hujus inſignis Coenobii meminit Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCCXCVII. donationem commemorans ſacro loco ab Hugone Marchione Tuſciae eodem Anno factam, & a Puccinellio editam. Tum ille ſubdit: *Haec prima nobis occurrit notitia illius Monaſterii, cujus auctor ignoratur.* Protuli ego in Diſſertatione XX. *de Mulierum Actibus* donationem ipſi Eccleſiae Sanctae Mariae de

Vangadicia factam Anno DCCCLIV. a Franca uxore quondam Almerici Marchionis, ex qua elucere videtur, nondum ibi eo tempore constitutum fuisse Monasterium. Nunc alteram Chartam producere statui, quam ex Tabulario ejusdem Vangadiciensis Monasterii descripsi, inquisiturus an haec illius Coenobii Auctorem & tempus indicare possit.

Charta donationis factae Martino Abbati Ecclesiae Sanctae Mariae Dioecesis Adriensis ab Hugone Marchione Tusciae, ut ibi Monasterium fundetur, Anno 993.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab ejus Incarnatione Nongentesimo Nonagesimo Tertio, IV. Calendas Junii, Indictione Sexta. Divine gratie munere, & superne virtutis auxilio a faucibus Demonice potestatis eripuit nos misericors Dominus, & eterne Patrie gaudiis faciens coheredes, sedulis amonitionibus, crebrisque nos preceptis informat. Unde est illud: Venite ad me omnes, qui laboratis, & honerati estis, & ego vos requiescere faciam. *Et ne quis de via ad eum perveniendi, vel qualiter ab eo recipiendi esset facultas, dubitaret, quod promisit, ipse certam ostendit formam, cum dixit.* Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis...... *tam hoc idem quod docuit, ne segniter quis ageret, hortatur ipse alibi, cum dicit:* Vigilate, quia nescitis diem neque horam. *Hanc scilicet vocem locutionis debemus frequentissime meditari, quatenus semper pre oculis mentis habeatur. Oportet denique singulos, qui se omnipotentis Dei misericordia hujus Mundi divicias vel quibuscumque temporalibus adjumentis consolatos ex his, que accepit ab eo quantumlibet, illi cum gratiarum actione conferre, a quo sibi noscit cuncta, que habet, esse concessa, & Regnum Dei tantum valet, quantum habet. Quod ut credi possit, Dominicis instruimur documentis, quia muliere duo minuta devote offerente plus ceteris...... Salvator asseruit obtulisse. Unde ego in Dei nomine* Ugo *gratiâ Dei gloriosus* Dux & Marchio, filius bone memorie Uberti, qui fuit item Marchio, *obtumum duxi pro anime mee remedio, & pro remedio anime predicti quondam Uberti genitoris mei, seu pro remedio anime* Guille genitricis mee, *seu pro remedio omnium parentum meorum ordinare...... confirmare, & per hanc paginam offersionis videor in te* Martine Abatem, *idest* Ecclesia Dei, & Beate Marie Virginis, que est juris proprietatis mee, posita in loco & fine, ubi dicitur in capite de Flumine Veclo, *dare & tradere* ad Monasterium ibidem faciendum & construendum seu edificandum: & Regulam ibi secundum doctrinam Beati Benedicti Abbatis tenendum, *jam dictam Ecclesiam Sancte Marie tradidit atque offeruit. Ecclesiam verò ipsam cum omnibus predictis casis & rebus, sicut superius legitur, ad predictam Ecclesiam pertinentibus, cum fundamentis & edifficiis vel universis fabricis suis, seu Curtis, horturas, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercetis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, venationibus, seu piscationibus, omni & ex omnibus in integrum, quantas ad predictam Ecclesiam Sancte Marie predictus* Amelrigo Marchio *offeruit seu tradidit, cum inferioribus*

rioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & gressuras suas, tibi quidem suprascripto Martino Abati, posterisque successoribus tuis, Monasterium faciendum & construendum seu edificandum *pro anime mee remedio dare & tradere videor. Ita ut ab hac die in antea tibi quidem supradicto Martino Abati, posterisque successoribus tuis predictam Ecclesiam cum predictis rebus, sicut superius legitur, sumere liceat potestatem habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborari faciendi & usufructuandi, & in ipsa Dei Ecclesia Sancte Marie per vos, aut vest'am dispositionem officiandi, & luminaria atque incensum, & Missarum, seu Psalmorum debita die noctuque ibi canere seu facere, & pro me & pro parentibus meis ibidem orare debeatis. Et si ego, aut quicumque de heredibus meis aliquo tempore supradictas res ad supradictam Ecclesiam pertinentes agere aut causare vel intentionare seu minuere aut retollere vel subtrahere, aut contradicere per quodlibet ingenium presumpserit, tunc sciat se conposituros ipsi quibus facere presumpserit penam aurum obtumum Libras centum. Et si fuerit ullus homo post meum obitum & decessum masculus vel femina, aut ulla Potestas predictas res predicte Ecclesie Monasterio sunt atinentes, aut in antea ibidem pertinentes fuerint, subtrahere vel alienare sive pro Beneficio, aut quacumque traditione, sive occasione tollere vel minuere aut molestare quocumque ingenio presumpserit, tunc sit ille maledictus a Deo Patre omnipotente, Filio, & Spiritu Sancto, & a trecentis decem & octo sanctis Patribus, qui legem Dei constituerunt, & ab omnibus Sanctis: habeat partem simul cum Juda traditore: & deglutiat eos terra, sicut deglutivit Datham & Abiron; quia sic complacuit animo meo; quia in tali ordine hanc Cartulam offersionis & traditionis Johannem Notarium Domni Imperatoris scribere rogavi.*

Actum Pisa feliciter.

Ugo Marchio *subscripsi.*

Signum Domni Amedei, & Teuderici, seu Atulini, Lege viventes Salica, testes.

Leo Judex Domni Imperatoris subscripsi.

Ego Cunradus testis subscripsi.

Ego Cosbertus rogatus testis subscripsi.

Ego Lambertus rogatus testis subscripsi.

Ego Johannes Notarius Domni Imperatoris hanc Cartulam offersionis post tradita complevi & dedi.

Videmus heic, Hugonem inclytum Tusciae Marchionem Martino Abbati largiri *Ecclesiam Dei & beatae Mariae Virginis, quae est juris proprietatis meae positam in loco & fine, ubi dicitur in Capite de Flumine Veclo*, atque haec ipsa Ecclesia illa erat, quam *Almericus Marchio* multis fundis dotarat. Hanc autem *Martino Abbati* is tradit *ad Monasterium ibidem faciendum, & construendum seu aedificandum, & Regulam ibi secundùm doctrinam beati Benedicti tenendum.* Si heic agitur de ipsa Ecclesia Vangadiciensi, jam tempus & auctorem illius Monasterii habemus. In Charta Anni DCCCCXCVII. a Puccinellio evulgata memoratur *Ecclesia Monasterii Beatae Mariae Virginis, quae est fundata in loco & finibus, ubi dicitur Vangadicia prope fluvio Adesi, qui dicitur Veclo.* In Placito quoque, quod jamdiu publici juris feci Cap. XI. pag 88. Antiquitat. Estens. se nobis offert Anno MXIII. *Domnus Martinus Abbas Monasterii Sanctae Mariae Virginis, quod dicitur da Petra,*


tra, ſupra ripam Adicem. Idem repetitur in altera Charta Anni MXCVII. eodem Cap. XI. Componenda haec ſimul ſunt ad dignoſcendum veterem Vangadicienſis Monaſterii ſitum, & an de ea Eccleſia agatur, quam Anno DCCCCXCIII. *Hugo Marchio* donavit *ad Monaſterium ibidem faciendum*, ſitam *in loco ubi dicitur in capite de Flumine Veclo*. Ad haec in Chartophylacio ejuſdem Coenobii Vangadicienſis Diploma reperi, ac ſtudioſe perpendi, quod hanc in rem praecipue nobis nunc eſt conſiderandum.

Donatio facta Monaſterio Sanctae Mariae de Vangadicia a Berengario II. & Adelberto Italiae Regibus, Anno 961.

IN nomine omnipotentis Dei aeterni Berengarius, & Adelbertus, *divina favente clementia* Reges. *Decet Regalem excellentiam, ut votis fidelium ſuorum aures pietatis ſuae clementer inclinet, quatenus eos devotiores ac promptiores in ſuo obſequio reddat. Idcirco omnium ſanctae Dei Eccleſiae fidelium, noſtrorumque praeſentium ſcilicet hac futurorum noverit induſtria, qualiter interventu ac peticione* Ugonis Marchionis Thuſciae, *noſtri dilecti fidelis, per hujus noſtri praecepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, Venerabilem* Martinum Wangadicienſis Monaſterii Abbatem *de quadam Terra, in Inſula Carpì adjacente, & ad Curiam Leniaci pertinente, cujus terminus cernit capat Silvae ejuſdem Monaſterii uſque in Flumen, quod vocatur Tartarum, pro Dei amore, & animarum noſtrarum, noſtrorumque parentum tam praeteritorum quàm futurorum; inveſtivimus una cum terris, pratis, ſilvis, paludibus, ſalectis, ſationibus, ſtallareis, ripis, rupinis, molendinis, piſcationibus, paſcuis, mercatis, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumque decurſibus, cum omnibus ſuis pertinentiis, veluti ad Curiam Leniaci pertinent in integrum. Ita ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat ipſe Abbas, ſuique ſucceſſores & Fratres, omnium hominum contradictione vel moleſtatione remota. Si quis igitur hanc noſtram inveſtituram aliquociens infringere vel violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Kamerae noſtrae & medietatem praelibato Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manibus propriis roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signa sereniſſimorum  *Berengarii & Adelberti Regum.*

Huber-



Hubertus Cancellarius ad vicem Widonis Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data III. Kalendas Junias Anno Incarnacionis Domini DCCCCLXI. Regni verò Domni Berengarii atque Adalberti piiſſimorum Regum XI. Indicione IV.

Actum Veronae, in Dei nomine feliciter. Amen.

Aderant in hoc Diplomate omnes notae, quae autographum prodebant, Monogrammata, immo & Sigillum cereum, cujus cera plumbeum colorem referebat, ſed minime integrum. Ibi ſupererat pars imaginis viri & circum literae VS ET ADALBER .... Quare nulla oborta mihi dubitatio eſt de legitimitate membranae. At hoc poſito, duo inde elucent. Alterum eſt, Anno DCCCCLXI. jam *Vangadicienſe Monaſterium* exſtitiſſe. Alterum, quod jam adnotavi Par. I. Cap. XV. Antiquitat. Eſtenſ. pag. 136. citius, quàm hactenus creditum fuit, Hugonem inclytum Marchionem ad Etruſci Ducatus regimen evectum fuiſſe. Neque enim quiſquam adſentiri poſſit Coſmo de Arena, qui in ſerie Ducum & Marchionum Tuſciae hoc ipſum Diploma ſibi objiciens putavit, *Hugonem Marchionem Tuſciae* ibi memoratum, alium fuiſſe ab *Hugone filio Huberti*, itidem Marchione Tuſciae, qui Anno MI. finem vivendi fecit. Deceptus fuit Scriptor ille a quadam narratione Sancti Petri Damiani; unum enim excogitare cogimur Hugonem Tuſciae Marchionem, non duos; & contra (quod minime Coſmus de Arena fecit) diſtinguere opus eſt *Obertum Marchionem, Comitem ſacri Palatii*, progenitorem Ateſtinorum Principum, ab *Huberto Hugonis Regis filio, Marchione Tuſciae*, & patre ejuſdem Marchionis Hugonis. Sed de his jam actum fuit in nuper memorato loco Antiquitatum Eſtenſium. Olim ergo numerabantur ruri inſignia Coenobia: ſed quum Monaſteriola ibi complura occurrant, diſquirendum eſt, an eorum numero Majores noſtros ſuperemus. Itaque ajo, vetuſta quoque Secula ejuſmodi ruralibus Monaſteriolis abundaſſe, quae ferme omnia tempus & bellorum rabies delevit. Paucis exemplis rem inluſtrabo; & quod in una aut duabus Urbibus actum videbimus, ad reliquas metiendas uſui nobis eſſe poterit. In Archivo Canonicorum Regularium Piſtorii pergamenam ex una parte exeſam legi, ante annos quingentos exaratam, exemplum videlicet antiquiſſimi Inſtrumenti, quod tenebris nunc ereptum volo.

Inſti-

Institutio Monasterii sacrarum Virginum sub titulo Sanctorum Petri & Pauli atque Anastasii facta a Ratefredo filio Guilichisi in agro Pistoriensi, Anno 748.

IN *nomine Domini. Die octavo, Mense Septembrio, Regnante* Domno Rachis *vir excellentissimus* Regem, *Anno Quarto, per Indictione Secunda, feliciter*. Rattfredi filius quondam Guilichisi *sperave in me divina potentia, dum complexus rejacere in infirmitat.. .... sine fine, ubi fures non effodiunt nec furantur; ut illa voce audire merear, quia Dominus noster Jesus Christus ac Redemptor omnium, in se credentibus promittere dignatus est:* Venite, benedicti Patris: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. *Et iterum ammonuit, dicens......* filius masculus. *Previdimus in proprio meo* edificare Ecclesiam Monasterio beatissimorum Sancti Petri & Pauli atque Anastasii, *& inivi me, vel anima mea commendare; atque offerri medietatem de omnem parvitatem pecuniam, vel adquisitum meum, quod nunc presenti die avere, &..... tuero, tam Case avitacionis mee, quàm & Case massaricie, seo Casalia, vinea, terra, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationibus, cultum atque incultum, movilem vel inmovilem, seseque moventibus, omnia & in omnibus ad ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi..... seu &* Astruelda, qui veste Monastica induta esse videtur. *In eum verò tenore, ut si jam dicta filia mea voluere cum* genitrice mea Muntia, *atque* conjuge mea Perterada, *seo* germana mea Ratperta, *in ipsum Monasterio deservire voluere in...... Senodochio* egenos vel pauperes recipiendum, & elemosina tribuendum & guvernandum per ebdomata una pauperes, vel peregrinas animas, *& una cum* Dominico Abbate Rectore, *quem inibi ordinare previdi: omnia, ut dixi, in sua habeat potestate regendum........ elemosinam tribuendum de quod inibi Dominus condonare dignatus fuerit, & pro anima mea gravata ponderibus peccatis meis, die noctuque omnipotentem Deum, & etiam Dei Genitrice Maria, vel beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii...... nimis peccator de vinculis penarum eripere dignetur, & inter Sanctis & electis suis aliqua parte vel societas tribuere jubeat, quia scriptum est per eloquium & minestrationem Domini nostri Jhesu Christi:* Petite, & dabitur vobis: querite, & invenietis...... *Pro ideo ego miser & nimium peccator creditur in ejus magna misericordia, qui est pius Dominus, & Redemptor omnium celi & terre, de parvitatis mea terrenis tribuendum ad ipsa sancta virtute nominis beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii celeste gaudium..... conjuge mea Perterada carnale vitio fuerit consecuta, & in ipso Senodocio vel Monasterio noluerit deservire, nulla de rebus meis avere debeat, nisi vacua & inane exinde foris exire deveant, ambulando ubi voluerit; & forsitan filia...... rio deservire...... cum portione sua vadat, ubi voluerit, amplius de rebus meis vel in ipso Monasterio nulla posset avere, vel inperative facere. Nam si inivi permanserit, omnia cum supradicto Rectore vel Genitrice, atque Conjuge, vel...... Dominus vitam concesserit in hunc exilium* Mundi

Mundi avitandum, omnia mea sit potestate regendum, remeliorandum, usufructu capiendum. Nam non ad seculalibus pro nullo ingenio subtrabendum, nisi pro anima mea...... demittendum .... mihi heredes esse deveant, secundùm Lex gentis nostre. Et ipse Senodochio in sua aveat potestate, vel quod pro ipso inibi fuerit ordinatum. Et si ad secularibus voluerit permanere, portionem sua suscipiat, & in ipso Monasterio nulla imperatione...... ordinatione justa Domino fuerit ordinatum, & quod a me optandum, idest si sine filiis masculis transiero, & antea de hac luce migratus fuero quàm ipse sanctum & venerabile locum consecratum sit, volo atque decerno, ut ipso Oratorio vel Senodochio jam dictum..... conjuge, seu sorore, & filia mea, & omnia medietatem rebus meis, que inivi condonare visus sum, diebus vite sue aveat potestatem. Et post ovito eorum, qui per ipsi inivi fuerit ordinatus; & Servi vel Ancillas meas...... mea liveri demittend....... ratum sic in ipsi livertas permaneat, sicut Princeps Dominus noster bone memorie Luiprandi Rex *per edictum confirmavit, & iterum confirmare previdi, ut sub nullius...... Ecclesia...... subjacentem ipsum seu Oratorium vel Senodochio parvitate...... Dominico Abbas per me inivi positus, & ipsa Genitrice atque Conjuge, seu germana, atque filia mea in sua avet potestatem diebus vite sue, aut Fratri vel Sorori, qui per ipsi inivi positi fuerint, vel postmodum unus quisquis secundùm Deum electis spiri..... & per scelera mea Dominum deprecandum. Nam per nullo titulo malum hominem alienandum, aut per corruptionem inivi alio super ponendum, nisi quem ille voluerit, qui inivi fuerit ordinatus. Et nullus de heredibus proheredibus meis quandoque aliqua posses........ petuis temporibus stavilitum permaneat. Et qui contrarius hanc Cartulam, vel ipso Monasterio, aut sanctum Senodochio ire quandoque presumpserit, aut eam irrumpere voluerit, in primis in ira Dei, & omnis virtutis celorum, Archangelorum, Angelorum...... Scarioth, qui tradidit Dominum nostrum Jesum Christum, & in tartaro sit conscriptum. Ecce, ut mea fuerunt desideria, adimpleri, & Avondus Notarium scrivere rogavi.*

Actum Pistoria, Regnum & Indictione suprascripta, feliciter.

Signum manus......

...... fredus Medicus rogatus ad Ratperto manu mea propria teste subscripsi.

Ego Lazarus rogatus a Ratperto manu mea testi subscripsi.

Ego Rachiperto rogatus ad Ratperto testis subscripsi.

Signum manus Maurelli quondam filio Statar......

Signum manus Anselmi quondam filio Barasula, testis.

Signum manus Tatoni quondam filio Fusoni, testis.

Ego Avondus qui supra scriptor hujus Cartule, post a testibus rovorata, & tradita ipsius Abbas presente Andrea filio......

Ego . . . . Domni Karoli Anno Regni ejus Quarto *per Indictione Prima complevi & dedi.*

Egò Gausperto Notarius, sicut in autentica inveni scriptum, fideliter exemplavi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor, autenticum illud vidi, & legi: sic inibi continebatur, quomodo in hac exemplo scriptum est, praeter plus minusve, & manu mea propria scripsi.

Quid sit quod Charta scripta dicatur *Anno IV. Ratchis*, ac Tabellio in

in fine *Karoli Annum Quartum* memoret (quod etiam mendosam Indictionem praeferre videtur) perpendant Eruditi. Fortasse Caroli M. tempore veterem Chartam ab Avondo exaratam alter Notarius descripsit. Ego ad alia progredior. Quamquam hujus Monasterii conditor scribat, se illius Rectorem constituisse *Dominicum Abbatem*, satis tamen prodit, non Monachorum, sed Sanctimonialium illud fuisse domicilium, quum in eo locum futurum velit Matri, Germanae, Conjugi, ac Filiae suae. Itaque *Rector* non aliud ibi significat, ut puto, nisi *Oeconomum*, & qui curam redituum gereret. Alterum exemplum vide in Diplomate Nonantulano Ludovici Pii Anno DCCCXIV. Dissertation. XXI. *de Italiae Statu*. Praeterea animadverte, Xenodochium Parthenoni huic in agro Pistoriensi fuisse adjunctum, *ad egenos vel pauperes recipiendum, & elemosina tribuendum, & guvernandum per ebdomata una pauperes, vel peregrinas animas*. Bina alia Monasteria in eodem Pistoriensi agro olim sita prodet nobis Charta, cujus apographum ante annos quingentos, ut mihi videbatur, scriptum reperi apud nuper laudatos Canonicos Regulares antiquissimi Monasterii Sancti Bartholomaei Pistoriensis.

Donatio Monasteriorum Sancti Silvestri & Sancti Angeli facta ab Aidualdo Presbytero & Monacho Monasterio Sancti Bartholomaei Pistoriensis, Anno 764.

IN *nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Die Nono, Mense Julio, Anno Regni* Domni Desiderii & Adelgis Regi *Anno Octavo & Quinto, per Indicione Secunda, feliciter. Dum in hunc exilio hujus seculi avitare meruimus, opportunum est enim cogitare de Dei omnipotentis misericordia, & remissione animarum nostrarum, quatenus nos de vinculis penarum Dominus ac Redemptor omnium indulgentiâ pietatis sue condonare dignatus est, & ad vera luce luminis pietatis sue inter Sanctis & electis ejus parte aliqua vel societas invenire mereantur; quoniam quidem magno consilio est Seculi relinquere, & ad sanctis, & ad venerabilibus locis nos commendare, ut dum ultima die cum vinerit, ut nos in suis judiciis electionis ostenda, ut novis peccatoris preveniat salutem & remedio anime. Ideo in Dei omnipotentis nomine ego* Aidualdu quondam Presbiter de Monasterio Sancti Silvestris, qui est sito prope muro Civitatis nostre Pistorie juxta Ecclesiam sancti beatissimi Bartholomei, *dum mihi divina adveniente inspiratione introëndi in avito Sanctorum Monachorum inter alius Frater quatenus me consideravit, & pertractavit de* Monasteria beatissimorum Silvestris, *atque* beatis sancti Angeli, qui est sito locus, qui appellatur Monticunule prope flubio Neore, *quem felicissimo Presbiter, seo Geminiano a fundamenta erexerat, seu & Totone, & Ratpert, Aupertu germani in suo privilegio edificaverunt: modò viro ego qui supra Aidualdo Presbiter do, dono, trado, atque offero, do, datumque esse volo tam ipse predicte Monasteria Sancti Silvestris, & Sancti Angeli omne rebus substantia de quidquid ubique modo a presenti die ad ipse Sanctorum loca pertenere denuscetur, & una in antea Deo* pro-

protegente ividem condonaverit in Lujato, ivi quod exinde fuerit, aut quod ad ipsi sanctis & venerabilibus locis datum vel autfertum fuit, quomodo ividem esse videntur, omnia & in omnibus in Lujato offerre visus sum ad Ecclesiam beatissimi Sancti Bartholomei; in tali vero tenore, ut omnia res ipsa una cum ipsa Monasteria, sicut Regula Sancti Benedicti condoce esse debeat, in tali enim juro capeculo ut una per ordinationem de ipso Monasterio beatissimi Sancti Bartholomei, vel de ejus Rectoribus quomodo est, vel imposterum fuerent, ut predicte Dei Ecclesiae, ut qui ividem per ipsi ordinatum fuerit pro sancto judicio Canonica vel sancta Regula esse deveat, ut quatenus egenus, vidua, pauperibus elemosinas faciendum *pro remissione animarum Felicissimi, Geminiani Presbyter, qui tunc antea presens fuerat de ipse Monasteria seu & Autperti, Tatoni, Ratperti, vel nostra facinora, ut novis minime perveniat ad condonationem omnia ut supra decrevi, volo ut ipsi sancti Monasterii beatissimi Bartholomei, vel ejus deservientibus, qui modo sunt, vel in posterum fuerit, firmiter possedire, avire deveas; ut quatenus ab hac die ut non ego qui supra Ajualdu Presbiter, non aliquis de heredibus atque posteris mei unquam ullo tempore aliqua possit inferri molestia, neque molestandum, neque per ullo argumento, ingenio exinde aliquid subtraëndum, neque ad alia Ecclesia, neque ad Secularia, nisi tantum perpetuis futuris temporibus firmum & stavilitum permaneat ad ipso sancto Monasterio beatissimi Sancti Bartholomei, sicut supra decretum est. Ecce ut meis taliter fuirunt desideri, erga me adimplevit, & ne mihi liceat facere ullo tempore nolle, quod voluit; sed quod a me facto vel confirmato, inviolabiliter confirmare promitto. Quam virò Cartula remissionis rerum dotalium Lucio Notario scrivere rogavit.*

✠ Ego Ajualdu Presbiter, qui hanc Cartulam dotalium fieri rogavi, & manu mea propria subscripsi.

✠ Ego Teudeat Presbiter rogatus ad Ajualdu Presbiter, testis subscripsi.

Signum manus Tanichisi quondam Tanolfi, rogatus testis subscripsi.

✠ Ego Guidolfo rogatus ad Ajaldu Presbiter, testis subscripsi.

✠ Ego Gumperto Diaconus rogatus ad Ajaldu Presbiter, testis subscripsi.

Signum ✠ manus Liutperturi quondam Arichisi rogati testis.

Signum ✠ manus Guinefredi quondam Guilifredi rogati testis.

Ego qui supra Lucio Notarius scriptor huic Cartule, post a testibus roboratam, tradita complevi & dedi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Platii, scriptor, autenticum illud vidi, & legi, unde hoc exemplar exemplatum est, & quod inibi scriptum inveni, fideliter exemplavi.

Sed & aliud Monasterium, prope moenia Pistoriensis Urbis constructum, commemoratum videas in subsequenti Charta, apud supra laudatos Canonicos Regulares a me conspectà in vetustissimo apographo.

Monasterium Sancti Michaëlis ab Austriperto genitore suo fundatum, Fermus Clericus subdit Monasterio Sancti Bartholomaei Pistoriensis, Anno 775.

IN *nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Die Decimo, Mense Decembrio, Regnante* Domno Karolus Rex Francorum & Langobardorum, *que in Italia Papia Civitate ingressus est, Anno Secundo, per Indictione Quartadecima feliciter*. Fermus Clericus filio quondam Austripert, *dum me previdisse in infirmitate positum, mens mea decreta in omnibus recte loquendum, manifestus sum, eo quod antea in jam plures tempus judicavi, & per scripti confirmavi in te* Dominicus quondam Abbas Monasterii Sancti Bartholomei, *Monasterii, quas bone memorie Austripert genitor meus in suis privilegii nomine dedicavit* foras muro Civitatis nostre Pistoriense, *vel res inivi firmata, set menime poteo Cartulas ipsas jungere: iterum in te jam dicto Abbas per hanc Cartulam confirmo* ipso Monasterio, qui per ipso Genitore meo fuit constructum, adque in honore Domini, & Sancti beati Archangeli Michaëli dedicatum, *vel omnes res inivi firmata una cum omne rebus & peculiola mea, quicquid in fine Paciana avere visus sum tam de conquisto vel ondecumque inivi avere videor, una cum omnia ipso Monasterio vel res impertinente, excepto Casa & portione, quam Canduloni & Vitali que Gumpertulo & Taculo, omnia in sua proprietate & libertate avendas faciendum, vel avendum quicquid, aut in quale Lex voluerit, quicquid per ipsi factum fuere omni tempore in sua permaneat stavilitate, eoque pro benigno servitio eorum, qui erga me impendere visi sunt, ita eorum a me datum, vel pro animabus mei firmare previdi. De alia autem res mea in suprascripto loco Pacciana, una cum suprascripto Monasterio, vel res inivi firmata omnia & in omnibus in integrum in te jam dicto Domenicus quidem Abba confirmo, si me omnipotens Dominus de infirmitate ista advocare jusseri, in omnia secundùm Deum ordinandum vel peragendum pro animabus nostris vel de parentibus meis quidquid melius, aut secundùm Deum appari fueri ordinandum elemosinam, si tum tu, vel qui pro te inivi fuerit ordinandum, in vestra sit potestate tam ipso Monasterio vel res omnia suprascripta quantum melius & secundum Deum previdi pro animabus nostris dispensandum, vel si alique injudicatum reliquero, simili modo omnia pro anima mea tribuatur, sic tamen si michi omnipotens Dominus prestare jusseri evadendum, omnia & in omnibus in mea sit potestate avendum, ordinandum, faciendum exinde quicquid voluero, aut mihi bonum fuerit. Quam virò Cartula, sicut mibi complacue, in te Gaupertus Notarius scribere rogavi.*

Actum Pistoria aput ipso Monasterio, Regnum & Indictione suprascripta.

Signum ✠ manus Fermoni, qui hanc Cartulam fieri rogave, & propter infirmitatem suam menime potue subscribere.

Ego Guilipadu rogatus a Fermo Clerico, testis subscripsi.

Ego Lazarus Diaconus Notarius rogatus ad Firmus Clericus, testis subscripsi.

✠ *Ego Gisilari rogatus ad Firmo Clerico, testis subscripsi.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Martinus Presbiter rogatus ad Firmo Clerico, testis subscripsi: & hoc rememorare previdi, ut quidquid in omnibus meis aliquid dedi aut largivi per scripti, ut omnia in sua permaneat stavilitate.*

Ego qui supra Gautpertus scriptor hujus Cartule, post a testibus rovorata, tradita complevi & dedi.

✠ *Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii, scriptor, autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar exemplatum est, & quod inivi scriptum inveni fideliter exemplavi.*

Nulla tamen Charta uberius edocere nos possit, quanta olim foret ejusmodi ruralium Monasteriorum copia, quàm quae authentica mihi oblata est in Archivo Archiepiscopii Lucensis, cujus ecce verba.

Charta Saximundi Diaconi, per quam Johanni Lucensi Episcopo suam portionem affert in variis Monasteriis, Anno 793.

IN *Dei nomine. Regnante* Domino nostro Carulo Rege Francorum & Langobardorum, *Anno Regni ejus, quo Langobardiam coepit, Nonodecimo, & filio ejus* Domino nostro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Duodecimo, IX. Kalendas Februarias, Indictione Prima. Manifestum est mihi* Saximundo Diacono *filio bone memorie Gumperti, quia per hanc Cartulam, pro remedio anime mee, dispensare prevideo & omnibus rebus &* Monasteriis *& hominibus meis. Sic namque volo adque instituo, ut tu* Domnus Johannes, *in Dei nomine hujus* Lucane Ecclesie Episcopo, *seu Successores tui, vel cui tu hanc Cartulam ad exigendam & dispensandam dederis, potestatem abeatis pro remedio anime mee venundare & dispensare debeatis portionem meam de Casis & omnibus rebus illis, quas cum germanis meis ab Teuselmo Diacono comparavimus, eas, aliquid & ipsis rebus absque monimine abeamus, que mihi pertinere debetur vos, & ipsam rem licentiam habeatis requirendi, & pro anima mea dispensandi qualiter vobis melius apparuerit in omnibus in tua sit potestatem faciendi qualiter volueris. Et portionem meam de* Monasterio Sancti Petri, *sive portionem meam de* Monasterio Sancte Marie in loco Gurgite; *& ipsum suprascriptum Monasterium Sancti Petri est fundato a suprascripto Teuselmo Diacono* in Vico Gundualdi, *ubi est Casa abitationis fratrum meorum. Similiter & portionem meam de* Monasterio Sancti Andree in loco Blentina, *necnon & portionem meam de* Monasterio Sancte Petronille in loco Curtogia, *& portionem meam de* Monasteriolo Sancti Quirici in loco la Terraria prope Veriana: *ut dixi, portionem meam ex omnibus de prefatis Monasteriis una cum omnibus Casis & rebus movilibus atque inmovilibus seu semoventibus, qualiter mihi pertinere videntur, una cum portionem de aliis Monasteriis meis cum rebus suis do & confirmo adque constituo esse in potestate tua Domnus Johannes Episcopus, gubernando, ordinando, & faciendo qui & qualiter volueris in omnibus, in tua sint potestatem: & qualiter post decessum meum de predictis Monasteriis judicaveris vel ordinaveris sive disposueris esse, istabili ordinem permaneat semper. Et homines meos Servos & Ancillas, Aldiones atque Aldias, quanti a*

ti a me injudicati aut remanserint, sive illi homines, qui mihi a germanis meis competunt, in tua sint potestatem pro remedio anime mee eos libertandi ab omni vincolo servitii per absolutionis Cartulas ad jus patronati absoluti permaneant. Et omnia scerpa sive notrimina mea majora & minora in tua sint potestatem pro me dispensandi. Et dum ego advixero, omnis suprascripta res & Monasteria cum rebus suis in mea sint potestatem regendi & usumfructuandi tantum. Et quis de meis heredibus contra hanc Cartolam agere aut causare aut intentionare seu disrumpere presumpserit per quolibet ingenium aut per summissum hominem sit componiturus ipse & mei heres tibi Domno Johanni Episcopo, seu Successoribus tuis, sive cui vos anc Cartulam ad exigendam vel dispensandum dederitis ipsam prefatam rem, sive predicta Monasteria cum rebus suis omnia in triplo meliorata in ferquidem loco sub estimationem, sive ipsos homines, cum quibus aut quales tunc fuerint. Et neque a me, neque a meis heredibus, neque a nullo homine aliquando presens hec Cartulam posse disrumpi, sed & post datam compositionem in suo rovore firmiter permaneat, quia in omnibus taliter mee complacui voluntati, ut nulli liceat nolle, quod semel volui. Et Gumpertum Presbiterum scribere rogavi.

Actum Luca.

Ego Saximundu Diaconus in hac Cartula a me facta manu mea subscripsi.

Ego Alipertus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teste subscripsi.

Ego Rachiprandus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teste subscripsi.

Ego Alprandus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teste subscripsi.

Ego Rachiprandus Clericus rogatus a Saximundo Diacono, me teste subscripsi.

Ego Ardiprandus Clericus rogatus a Saximundo Diacono, me teste subscripsi.

Ego Gumbertus Presbiter post traditam complevi & dedi.

Sistunt heic se nobis Monasteria complura in uno Comitatu Lucensi constructa, nempe *Sancti Petri in Vico Gundualdi, Sanctae Mariae in loco Gurgite, Sancti Andreae in loco Blentina, Sanctae Petronillae in loco Curtogia, & Monasteriolum Sancti Quirici in loco la Terraria:* vulgarem Linguam in postremis hisce verbis animadverte. Alterius etiam Monasterii prope moenia Civitatis Lucensis constructi memoriam exeramus, quam in tabulis, non tamen autographis, ejusdem Archiepiscopii Lucensis vidi.

Cessio Monasterii Sancti Petri in pomoerio Civitatis Lucensis aedificati, facta Peredeo Episcopo Lucensi ab Ermiperto Clerico, servato sibi tantum illius usufructu, Anno 765.

In *Dei nomine. Regnante* Domno nostro Desiderio Rege, *Anno Regni ejus Sexto, & filio ejus idem* Donno Adelchis Rege, *Anno Regni ejus Quarto, XIV. Kalendas Martias, Indictione Prima. Manifestum est mihi* Ermiperto Clerico, *quia ante hos annos sancte recordande memorie* Aistolf Rex per suum cessionis preceptum donavet & confirmavet Ecclesia & Monasterio Sancti Petri, fundato a quondam Sumuald hic prope muro hujus

hujus Civitatis, cum omnia ividem pertinente in integrum, Auriperti Pictori germano meo, *ut in ejus esset potestate regendi, gubernandi, usufructuandi, & ordinandi, qualiter ei placitum fuerit. Et postea per Cartolam donationis me in ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Pet i in omnibus ordinare & confirmare visus est secundùm qualiter eum, ut dixi, bone memorie* Aistulf Rex *in ipso Monasterio confirmavit, nisi diebus vite sue usufructo de ipso Monasterio in suo reservavit dominio. Et ego petii Excellentissimo* Domno meo Desiderio Rege, *ut per suum Preceptum predictum donationis & firmationis me pagina confirmaret. Ita factum est. Nunc verò presenti per hanc pagina bona mea voluntate, qualiter jam dicto germano meo in me ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Petri confirmavet, similiter & ego confirmare prevideo, &* Domno *meo venerabili* Peredeo Episcopo *in ipsa Ecclesia & Monasterio, ut cunctis diebus in tua, & de Successoribus tuis sit potestate ividem, ordinatione, &...... ratione faciendo in omnibus, qualiter Deo, & vobis recte & melius apparuerit. Nisi tantum volo atque instituo, ut dum ego advivere meruero, in mea sit potestate regendi, imperandi, & usufructuandi, tantùm non in alio homine, aut in Ecclesia........ confirmando, nisi ut supra dixi. Post meo decesso in omnibus in tua & de Successoribus tuis sit potestate ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Petri, & omnia ividem pertenente regendi & ordinandi, qualiter vobis placuerit &c.*

Ego Ermipert Clericus in hanc firmationis pagina a me facta, sicut supra legitur, manom mea subscripsi & confirmavi.

Ego Rachiprandus testis rogatus ad Ermiperto Clerico in hanc pagina manu mea subscripsi.

Ego Petronaci Clericus rogatus ad Ermiperto Clerico in hanc pagina me suscripsi.

Ego Ospvandus Diaconus post tradita complevi & dedi.

Ego Gumpertus Presbiter ex autentico fideliter exemplavi.

Hinc habemus, tum Ecclesias, tum Monasteria temporibus iis non solùm jure Patronatus ad institutorem spectasse, sed etiam in morem Allodiorum fuisse possessa ac alienata. Monasterium istud a Sumualdo fundatum *Aistulphus Rex per suum cessionis Praeceptum donavit & confirmavit Auriperto Pictori*. Tum Auripertus *Ermiperto Clerico* fratri suo illud idem, servato sibi usufructu, concessit ac donavit: quam donationem per *suum Praeceptum* confirmavit *Desiderius Rex*. Denique Ermipertus eumdem sacrum locum, usufructu itidem reservato, *Peredeo Episcopo* tradit ac donat. Ita Anno Christi DCCCCXCIX. *Gherardus Lucensis Episcopus Majoni Abbati Ecclesiae & Monasterii Domini & Salvatoris*, positi in Sexto, libellario ordine concedit *Ecclesiam & Monasterium Sancti Michaëlis Archangeli, positum in loco Verruca, quod est sub regimine & potestate Episcopatus Sancti Martini*, ita ut ipse Abbas, ejusque Successores ibi peragant *Officium Dei, & Missam, Luminaria & Incensum* curent, & quotannis Ecclesiae Sancti Martini persolvant *argentum Solidos octo bonorum Lucensium*. En ergo non levem copiam Monasteriorum ruralium vel ipsis vetustis Saeculis. Attamen dissimulare nihil volo: certum minime est mihi, quid sub nomine *Monasterii* Chartae hactenus evulgatae significent. Nulla in eis mentio Monachorum, nulla Abbatis, nulla Regularis vitae. Ac proinde dubitare subit,

ſubit, num diverſa a Monachorum domicilio fuerint ejuſmodi Monaſteria. Certe ſub variis ſignificationibus uſi ſunt hac voce veteres. *Monaſterii* nomine donatas ſimplices Eccleſias, aut Parochiales, adnotavit Du-Cangius in Gloſſario. Praeterea Agnellus in Vitis Archiepiſcopor. Ravennat. Part. II. Tomi I. Rerum Italicar. in Vita Sancti Maximiani ſcribit: *Ad latera ipſius Baſilicae Monaſteria parva ſubjunxit*. Quare doctiſſimus Bacchinius in Obſervationibus ad eaſdem Vitas pag. 70. *Baſilicas* a *Monaſteriis* diſtinguebat, inquiens, ea appellata fuiſſe Monaſteria, *quae quidem divino cultui dicata erat, ſed Privatorum quodammodo uſui inſerviebant, nec publicis utriuſque ſexus Chriſtianorum conventibus patebant: quod Baſilicarum juris erat. Oratoria, ſeu Sacella alii dixere*. Tum addit, in circuitu Baſilicae Vaticanae ejuſmodi Monaſteria fuiſſe olim conſtructa. Et profectò, uti ſupra vidimus, nonnulla ex Monaſteriis hactenus recenſitis ſita fuere prope aliquam Baſilicam. Verùm ne ſic quidem nodus ſolvitur, quum Anaſtaſii verba pridem a me laudata evincant, in Romanis iis Monaſteriis *Monachos* habitaſſe. Num ergo *Monaſterii* nomen Lucenſibus & Piſtorienſibus hucuſque enumeratis inditum ideo fuerit, quod ibi unus ſaltem Monachus habitaret? Ex Caſſiano, Hieronymo, aliiſque vetuſtis Scriptoribus diſcere licet, *Monaſteria* appellata fuiſſe *Cellas*, in quibus unicus degeret Monachus. De *Cellis* iſtis infra erit ſermo. Atqui & hoc ipſum affirmare ego non auſim, quum in praelaudato Lucenſi Archivo Chartam inſpexerim, exaratam *Anno XXVI. Karoli Regis Francorum & Langobardorum, & Patricii Romanorum, & Anno XIX. Pippini Regis ejus filii, Octavo Kalendas Februarii, Indictione Octava:* hoc eſt, Anno reparatae Salutis DCCC. In qua *Hilprandus humilis Abbas, filius quondam Alperti, Eccleſiae Sancti Martini Confeſſoris Chriſti in Urbe Lucenſi, ubi eſt domus Epiſcopi, offert Monaſterium ſuum Sancti Petri, ſitum in loco Sumuald*, cum ſuis bonis, ſervato ſibi, ac Alberto Clerico filio ſuo, dum in vivis erunt, ejuſdem Eccleſiae ac bonorum uſufructu. Si heic ſermo eſſet de eodem Monaſterio Sancti Petri, quod in Charta Anni DCCLXIII. ſupra deſcriptâ dicitur *fundatum a quondam Sumuald*, haberemus *Abbatem* eidem ſacro loco praefectum, ac proinde Monachum. Sed mihi res incerta eſt. Contra quum in Charta Anni DCCLXIV. nuper evulgatâ Aidualdus ille donator ſeſe inſcribat *quondam Presbiterum de Monaſterio Sancti Silveſtris*, & continuo ſubdat: *dum mihi divina adveniente inſpiratione introëndi* (ideſt introëundi) *in avito* (nempe in habitu) *Sanctorum Monachorum inter alius Frater* (ideſt inter alios Fratres): haec verba indicare videntur, ipſum antea Presbyteri munere praefuiſſe *Monaſterio Sancti Silveſtri*, ac deinde Monaſticâ veſte aſſumtâ adjunxiſſe ſe Monachis Sancti Bartholomaei Piſtorienſis, quibus donat praelaudatum *Sancti Silveſtri Monaſterium*. Quod ſi Monachorum domicilium illud non fuit, dubitatio ſuccedere poteſt, an Canonicorum fuerit. In Concilio Arelatenſi VI. Anni DCCCXIII. decernitur, *ut non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Canonicorum, atque Monachorum, niſi quantùm ratio permittit, & in eodem Monaſterio abſque neceſſariarum rerum penuria degere poſſunt*. Idem quoque occurrit in Cap. V. Concilii ad Theodonis Villam habiti Anno DCCCXLIV.

XLIV. Conjecturam hanc juvare posse videtur pergamena, quam archetypam vici in Chartophylacio ipsius toties laudati Archiepiscopii Lucensis.

Tassilonis Charta, per quam Monasterium Sanctae Mariae prope Civitatem Lucensem situm, regendum tradit Johanni Episcopo Lucensi, Anno 800.

IN *Dei nomine. Regnante* Domno nostro Carulo Rege Francorum & Langobardorum, ac Patricio Romanorum, *Anno Regni ejus, postquam Langobardiam coepit, Vigesimo Sexto, & filio ejus* Domno nostro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Vigesimo, V. Kalendas Majas, Indictione Octava. Manifestum est mihi* Tassilo filio *bone memorie* Gausprandi, *quia* Monasterium Sancte Dei Genetricis Marie situm est a parentibus meis hìc prope Civitatem ista Lucense, juxta Ecclesiam beati Sancti Donati, a quondam Urso bisavio meo. *Nunc autem secundùm Deum de ipso Monasterio disponere prevideo*, ut ad meliorem statu secundùm Canonicam institutionem proficiat. *Et ideo per hanc Cartulam ipsum predictum Monasterium Sancte Dei Genitricis Marie una cum Casis & omnibus rebus &c. ad ipsum supradictum Monasterium pertinentibus, do & confirmo in presinito esse in potestatem & defensionem adque ordinationem Viri beatissimi* Johannis, *in Dei nomine hujus* Lucane Ecclesie Episcopus, *excepto unam Ancillam, nomine Theodipergula, quem in meam reservo potestatem. Nam alia omnia & in omnibus, ut supra dixi, in tua, qui supra Domne Johannes Episcope, confirmo ad que trado esse potestatem, ut semper in tua sit defensione & ordinatione* secundùm Canonicum institutum &c. *Et si aliquando ego, qui supra Tassilo vel heredes &c. Et Rachiprandum Subdiaconum Notarium scribere rogavi.*

Actum Luca.

Ego Tassilo in hac Cartula ad me facta manu mea subscripsi.

Ego Rachiprandus Presbiter rogatus a Tassilo, me teste subscripsi.

Ego &c.

Ego Rachiprandus Subdiaconus postradita complevi & dedi.

Traditur hoc Monasterium Lucensi Episcopo, *ut ad meliorem statum secundùm Canonicam institutionem proficiat*, & in ejusdem Episcopi ordinatione consistat *secundum Canonicum institutum*. Non dicit secundùm *Regularem institutionem*, non secundùm *Regulare institutum*, sed duntaxat *Canonicam & Canonicum*: atque adeo sublucere videtur, plures ibi Presbyteros communem vitam sub uno claustro duxisse. Attamen ex his ipsis Chartis nihil certi elicitur ad dignoscendum, Congregationem ullam Canonicorum in iis Monasteriolis revera habitasse. Immo contrarium suadere videtur altera Charta eodem Anno DCCC. exarata, atque in supra laudato Tabulario adservata, quam eo etiam titulo producendam sum arbitratus, quod ibi mentio sit *Wicherami Ducis* Lucae.

Investitura Ecclesiae Monasterii Sancti Salvatoris in loco Montione facta a Johanne Episcopo Lucensi Wicheramo Duci, Anno 800.

IN *Dei nomine. Regnante* Domno nostro Carulo, *gratiâ Dei* Rex Francorum & Langubardorum, ac Patricio Romanorum, *Anno Regni ejus, quo Langubardiam coepit, Vigesimo Septimo, & filio ejus* Domno nostro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Vigisimo, VI. Kalendas Augustas. Manifestus sum ego* Johanni *in Dei nomine hujus* Lucane Ecclesie Episcopo, *quoniam* Ansuartu, Ermifridi, Ermualdu, Ansprand, Ermerrisci, & Ermulau *in pro...... fundamentis construxerunt* Ecclesiam Monasterii beati sancti Salvatoris in loco Montione, *& per dotis titulo ibidem de rebus ...... offeruerunt, & ipsam dotem nullam potestatem heredibus suis ibidem reservaverunt*, & secundùm statuta Sanctorum Canonum...... rum Romana Lege devenit in potestate Ecclesie nostre Sancti Martini, *& postea unus heres eorum nomine Teudimarichus per...... potestate dedit portionem suam de ipso Monasterio, seu & quondam Valerianus Presbiter, qui Rodulus vocatus fuit, qui in ipsum...... suprascriptis fundatoribus ordinati fuit per Cartula, quantum exinde pertenuit, potestatem faciendi omnia per Cartulam...... confirmavit in potestate suprascripte Ecclesie nostre Sancti Martini. Et dum hec omnia factum fuisset, devenit ipsum .... Conspeximus ejus edificia esse deserta adque destructa, & in ipso loco non abuimus per qu...... cum suis edificiis restaurare deberetur. Propterea consideratus sum una cum ampliore parte Sacerdotum, quorum nomina subter leguntur, ut ipsa Dei Ecclesia ad meliorem statum & reparationem deveniret. Proinde per hanc Cartulam confirmare videor ego, qui supra Johannes Episcopus, in te* Wicheramo Dux *ipsam predictam Dei Ecclesiam Sancti Salvatoris, una cum Casis...... potestatem abendum, possidendum, regendum, gubernandum, defensandum, restaurandum, & meliorandum in omnibus....... Deum* de Sacerdote eum ordinandum, ut ibidem Officium & luminaria & Missarum, precum & susceptione....... & affiduas orationes pro vita Domnorum nostrorum Caruli & Pippini clementissimorum Regum faciat, *ut........ ationem semper ipsa Dei Ecclesia ad pristinum & meliorem statum proficiat, & per singulos annos in die........ Domini exinde in hac sancta Ecclesia Episcopatus nostri dare debeatis duo Solido argento. Et si hec omnia vobis adin...... vel conservata fuerint, & ego vel successores mei tibi* Wicheramo Duci, *vel jam dictis filiis tuis intentionare aut agere presumpserimus jam dicta Dei Ecclesia vel quascumque res ibidem pertinentes vobis, vel ad illum Sacerdotem, quem vos ibidem...... per quodlibet ingenium, aut per sumissum hominem, vel aliquid vobis superimponere quesierimus, & adhuc vobis...... homine per nos aut per Missum nostrum usque a Lege defendere noluerimus & secundùm textum Cartularum nostrarum, quas....... spondeo ego qui supra Johannes Episcopus una cum successoribus meis componere tibi Wiccheramo Duci, vel prenominatis heredibus tuis pena nomine Solidos tricentos. Et si quiscumque homo absque nostro & vestro consilio vobis ea...... tionare aut subtraëre*

traëre quesierit, & nos anc vobis usque ad Legem defendere non potuerimus &c. Et Rachiprandum Subdiaconum nostrum scribere commonui.

Actum Luca.

Ego Johannes *Jesu Christi servus*, Episcopus, *in hanc Cartulam a nobis factam, sicut supra legitur, subscripsi.*

Ego Deusduna Arcipresbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego Ratchis Presbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego Agiprandus Diaconus manus mea consentiens supscripsi.

Ego Amicus Presbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego &c.

Ego Rachiprandus Subdiaconus post tradita complevi & dedi.

Ego ipse Rachiprandus Subdiaconus ex autentico fideliter exemplavi.

Verba illa animadverte: *& secundùm statuta sanctorum Canonum....... rum Romanâ Lege devenit in potestatem Ecclesiae nostrae Sancti Martini.* Et revera Canones erant, quibus decernebatur, Monasteria sub illius potestate Episcopi esse, in cujus Paroecia sive Dioecesi sita erant: qua de re tamen legenda erunt, quae afferam infra in Dissertatione LXX. *de Cleri & Eccles. Immunitate.* Heic autem habemus datam *Wicheramo Duci* facultatem *ordinandi Sacerdotem* in ea Ecclesia, *ut ibidem officium, & luminaria, & Missarum, precum & susceptione* (peregrinorum) *& assiduas orationes pro vitâ Domnorum nostrorum Caruli & Pippini Regum faciat.* Ergo iis Monasteriis unus tantum Presbyter praefuisse videtur, atque is Secularis, non Monachus. In ejusmodi Secularium Monasteriorum censum referenda pariter mihi videntur *Monasteria Sanctae Mariae Majoris, Sancti Michaëlis Archangeli, beati Petri Apostoli, & beati Salvatoris,* quae Ingo Episcopus Ferrariensis Anno MX. Capitulo Canonicorum suorum largitus est. Chartam exero, quam ex eorumdem Canonicorum Tabulario descripsit Joseph Antenor Scalabrinius, Rector Ecclesiae Ferrariensis Sanctae Mariae in Bucca, singularis amicus meus.

Donatio aliquot Monasteriorum ab Ingone Episcopo Ferrariensi facta Capitulo Canonicorum ejusdem Urbis, Anno 1010.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Pontificatus verò* Domni *nostri* Sergii summi Pontificis, & universalis Pape *in Apostolica sacratissima Dei Sede, Anno Primo, Regnante verò* Domno Enrico Rege *a Deo coronato, pacifico, magno, in Ytalia Anno Septimo, die Tercio Mensis Februarii, Indictione Octava, Ferrarie. Ego quidem* Ingo *gratiâ Dei* Episcopus *sancte* Ferrariensis Ecclesie *Episcopii Sancti Georgii Martyris Christi, pro salute & refrigerio anime mee de .... Canonice Ecclesie Sancti Georgii Martiris Christi, nostri Episcopatus, vobis Gregorio vir venerabilis Archipresbiter, & Petrus Diaconus qui vocatur de Zema, & Brunengo Presbiter & Primicerius Canonicae Ecclesie Sancti Georgii &c. Totam & integram medietatem de terra vel de vinea, que ad nostram Ecclesiam pertinet de* Monasterio Sancte Marie Majoris, *cum omnibus ad se pertinentibus, sive in fundo qui vocatur Preruпto, vel in fundo qui vocatur Cocomario,*

rio, vel in aliis locis, ubi de jure ipsius Monasterii vos invenire potueritis, habeatis. *Et insuper* Monasterium *unum integrum, cui vocabulum est* Sancti Michaëlis Arcangelis, *quod est constructum ultra ripam Padi, unde fuit antiqua Civitas, in Villa que vocatur de Pado, cum casis & casalibus, & cum vineis & terris, & cum omnibus ad se pertinentibus. Et alterum* Monasterium *integrum, cujus vocabulum est* beati Petri Apostoli Domini, *quod est constructum infra Civitatem Ferrarie in fundo Tabernoli, cum casis & casalibus, & cum omnibus ad se pertinentibus. Et alterum* Monasterium, *cujus vocabulum est* beati Salvatoris, *quod est constructum in fundo, qui vocatur Tabernoli infra Civitatem Ferrarie cum casis &c. Istis scilicet tribus Monasteriis cum omnibus sibi pertinentibus tam adquisitis quàm adquirendis: & Sabinam unam integram cum aliis vasis atque mortario suo, que rejacet in Cumiaclo in fundamento, quod vocatur Sitallo, & pro omnibus aquis piscaritiis, sive cocolariis, que ad nostram pertinent, concedo & largior vobis &c. Et alias res omnes, que ad nostram Ecclesiam pertinent, singula vel diversa posita infra Comitatu Bononiense vel Motinense. Et totam & integram medietatem de Decimis & Primitiis, & terciam partem de Candellis, & totam oblationem de Panibus & de Dinariis, quam offerunt homines, quando celebrant Missam, & totam & integram medietatem de mercato de Ollivo, & totam & integram terram, que olim pertinuit Monasterio Sancti Johannis &c.*

Demetrio Tabellio & Judex hujus Civitatis Ferarie, scriptor hujus pagine &c.

Ex aliis etiam Chartis Ferrariensibus elucet, ad jus ejusdem Capituli spectasse *Monasterium Sancti Stephani, quod est constructum in superiori Burgo. Ambrosius Episcopus* hoc donasse Canonicis reperitur, ibique Seculares Presbyteri habitabant. Vide rursus nuper memorati Agnelli Vitas Pontificum Ravennatum, & Pauli Scordillae additamenta in Vita Sancti Johannis Archiepiscopi Ravennatis XCV. pag. 214. Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum. Ex quibus intelliges, olim fuisse plures in Ravennate Urbe *Abbates*, Presbyteros nempe Seculares, qui videlicet *Monasteria* regebant, de quibus antea sermo fuit. Agnellus ipse Historicus, non certe Monachus, titulo *Abbatis Monasterio Sancti Bartholomaei* praefuit. Verùm ne sic quidem tenebras tollis. Quae enim *Monasteria* apud Ravennates occurrunt, antiquissimis temporibus aluisse Monachos videntur, usurpataque demum fuisse a Clericis Secularibus, qui propterea *Abbatis* titulum gerebant. Gregorius Magnus Papa Lib. Quarto nunc Quincto, in Epistola I. ad Johannem Ravennatem Episcopum scriptâ conqueritur, quod *aliqua loca dudum Monasteriis consecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam Laicorum facta sint*. Num ergo idem de Lucensibus Monasteriis dicendum? Ad haec in Vitis Cenomannensium Antistitum a Mabillonio editis, occurrere videas ejusdem generis Monasteriola, in quibus tamen plures, aut unus saltem Monachus residebat. Animadverte, quae scripserit de Caroli Magni temporibus Auctor Chronici ejusdem Cap. 17. *Triginta*, inquit, *ac sex Monasteriola in ipso Episcopatu Cenomannico erant, quando ipse Gauziolenus praedictum Episcopatum tyrannicâ potestate adsumsit, in quibus Monachi sub Regula degentes, sancte & regulariter vive-*

vivebant. Sed quando ipse defunctus est, quod pudet dicere, pauci & quasi nulli in his Monachi remanserunt. Mirari liceat, quantopere in eo Episcopatu Monachorum industria sese dilatarit. Atqui, ut vides, *Monasteriola* illa pleraque nihil aliud fuere, nisi *Cellae*, ut apud Monachos loqui mos fuit. Gauziolenus autem improbus Episcopus, ejectis inde sensim Monachis, *Laicis ac Saecularibus hominibus ipsas Cellulas beneficiario jure possidendas tradidit.* Contra Aldricus inclytus Cenomannensium Antistes sub Ludovico Pio in suis Literis Tom. 3. Miscellaneor. Baluzii pag. 77. scribit. *Porro quod multas Episcopales Sedes & matres Ecclesias, diversa Monasteria sub se habere videmus constructa, quaeso ne quidam superflue hoc me fecisse asserant, praesertim quum magis pro honore Ecclesie nobis commissae, & pro lucro animarum, quàm pro facinore humano hoc me fecisse profiteor.* De Lucensibus Monasteriis paria dicere non audeo, quum potius in Chartis hactenus productis *Monasterii* nomen ita usurpatum videatur, ut significaretur per illud Ecclesia cum claustro, in quo habitaret ejusdem Rector, cum suis Clericis, ibique peregrinos plerumque hospitio exciperet. In Capitularibus Caroli Magni occurrunt *Monasteria Regularia*, hoc est, ubi a Monachis illic habitantibus Regula Sancti Benedicti servabatur, aut servanda erat. Monasteria verò Lucensia *Saecularia* fuisse videntur, & sine Monachis, ac numerata inter Allodia aut Beneficia Secularium, non secus atque Ecclesiae, quas ipsi Laici proprio jure possidebant, de iis etiam contractus plures instituendo, uti plurima monumenta in hoc Opere evulgata ostendunt. Audi Legem XII. Ludovici II. Augusti in Additament. ad Legem Langobardor. pag. 161. Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum: *De Monasterio, vel Oratorio, quod a proprio domino soli aedificatum est, monere volumus, domino constructori invito non auferatur: liceatque illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio (qui illius Dioecesis, & bonae auctoritatis dimissorias habeat cum consensu Episcopi sui, nec malus existat) commendare, ita ut placita justitia ipsius Episcopi, & obedientia Sacerdotis requirat.* Unum ejusdem consuetudinis exemplum adjiciam, quod mihi suppeditavit saepe laudatum Lucensis Archiepiscopii Tabularium.

Charta divisionis aliquot Ecclesiarum & Monasteriorum inter Guntelmum & Atripaldum germanos, aliosque eorum Agnatos, Anno 840.

IN Christi nomine. Breve devisionis facimus nos, Guntelmus & Atripaldo germani, filius quondam Gumperti, qualiter devidimus inter nos & Upperto Diacono barbanus noster seu & Gundolpertus consobrino noster, filius quondam Gumpaldi, idest Ecclesie & Monasteria nostra Sanctorum Dei, & Beate Marie, sita in loco Gurgitre, & Sancti Petri in loco Turingo, *seu &* Sancte Petronille, *que sita esse ividem in loco* Massa, *cum casis & omnibus rebus ad eusdem Ecclesiis pertinentes in integrum; unde in ista sorte ponimus in primis Ecclesia nostra Sancte Petronille, sita in eodem loco Massa, cum casis & omnibus rebus ad eadem Ecclesia pertinentes, cultum vel incul-*

incultum in integrum insimul cum casis & omnibus rebus, quantas & quale nobis pertinent de suprascripta in Ecclesia nostra Sancte Marie in eadem loco Massa, cultum vel incultum in integrum; seu & per nostra illa, quanta nobis pertenit de suprascriptam Ecclesiam nostram in preneminato loco Massa, cultum vel incultum in integrum ex campo nostro illo, quas habemus ad super Parutiano, qui pertinuit de ipsam Ecclesiam Sancti Petri, que vocitamur prope ad Campolongo in integrum; simulque & unam alia petia de terra nostra, que fuit vineam superposita, quem modo Hildipertula abet ad manum sua, quas habemus prope Parutiano, qui pertinuit de memoratam Ecclesia Sancti Petri in integrum. Hec omnia, que superius legitur cum casis & omnibus arboribus, & clausuras suas in integrum inter nos taliter devidimus, quomodo nobis Legibus pertinere videtur.

Hec devisio facta est Anno Domnorum nostrorum Hludovichi *serenissimi magni* Imperatoris *Vigesimo Septimo, &* Domni nostri Hlotharii *gloriosissimi* Augusti filio ejus in Italia *Octavodecimo, VI. Idus Mensis Augusti, Indictione Tertia. Unde inter nos tres breves devisionis Teutprandum Notarium scribere rogavimus.*

Actum in loco Versiciano.

Signum ✠ ✠ manibus Guntelmi & Atripaldi germani, qui hunc breve fieri rogaverunt.

Ego Ilpolfu rogatus ad suprascripti germani me teste subscripsi.

Ego Andreas rogatus ad suprascripti &c.

Ego Liuderamus rogatus &c.

Sed quamquam in censum Regularium Monasteriorum, ubi Monachi degerent, minime inferre velis, quae hactenus enumeravimus, nihilominus certum est, non defuisse temporibus iis Monasteriola a paucis Monachis exculta. Quam in rem duo maxime nobis erunt consideranda. Quod antequam edisseram, animadverto, antiquioribus praecipue Saeculis, ac diu post, singula Monasteria (excipe, si vis, pauca: non impedio) nullum alium Superiorem agnovisse, nisi proprium Abbatem, qui vel Episcopo, vel Metropolitae, vel Romanae Sedi unice parebat. Nondum enim institutae erant Congregationes, quae plura Monasteria, pluresque Abbates sub uno capite conjungerent. Itaque nil rei, nil juris antiquitus erat uni Monasterio in alterum Monasterium, aut uni Abbati in alterum Abbatem. Sòlicitâ ergo curâ quisque Abbatum studebat, ut suo Monasterio majorem in dies potestatem, plures opes, plura latifundia, ac ampliorem dominationem & famam compararet. Ac proinde quod postremis hisce Seculis quorumcumque Ordinum Religiosorum alumni anxie fecerunt & faciunt, faciebat olim peculiare quodlibet Monachorum Monasterium. Videlicet Abbas & Monachi cujusque Coenobii curabant, ut sibi in quotquot poterant, Urbibus, Oppidis, ac Villis, esset domicilium aliquod, Ecclesia, Curtis, aut praedium, uni suo Monasterio subjecta. Nos nunc numeramus in una Urbe aut Oppido multas Religiosorum hominum Familias, sed Ordinis diversi. Tunc in una Urbe, ejusque agro, plura domicilia, aut Ecclesiae numerabantur, sed ejusdem Ordinis Benedictini, quae aut a suo Abbate regebantur, aut alteri suberant Abbati, in remotis interdum locis commoranti. Familiare est in Monastica Historia *Cellarum* nomen. Nihil aliud fuere,

quàm

quàm ejusmodi Monasteriola, ubi nonnunquam plures, sed saepius pauci Monachi degebant sub uno Priore. In Aquisgranensi Concilio Anno DCCCXVII. inter statuta pro Monachis, Cap. 44 decretum fuit, *ut Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici. Et Abbas provideat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex*. Sub nomine etiam Cellae venisse interdum reperimus non infima Monasteria. Cellae autem rurales *Obedientiae* interdum appellatae sunt. Atque ejusmodi Cellas cum in Urbibus, tum ruri, pleraque Monasteria, ac praesertim celebriora, possidebant; ac praeterea Ecclesias per multas, quas Presbyteris Secularibus regendas, consentiente Episcopo, tradebant; atque apud eas sibi jus saltem hospitii servabant, quum ferret occasio. Nam uti aliquot nostrorum temporum Ordines Religiosi nihil non agunt, ut in singulis Urbibus Monasterium sui coetus, aut saltem domicilium sui juris habeant, quo divertere possint, quoties illac iter agunt, veluti domi suae ubique esse cupientes: ita & veterum Saeculorum Abbates & Monachi, ubicumque poterant, Monasterium sibi subjectum, aut Cellam, aut Aedem sacram, aut saltem praedia & domos conquirebant, ut ibi, quum se offerebat occasio, hospitari, & dominum agere sibi liceret. Auctor est Leo Marsicanus Lib. 2. Cap. 62. Chronic. constructam fuisse a Casinensibus Monachis *intra Cajetanam Civitatem Ecclesiam*, terrâ sibi concessâ ab Episcopo ejusdem Civitatis, *ut si quando gratiâ emendi aliquid inibi eos proficisci contingeret, proprium, ubi hospitarentur, locum haberent*. Id & ab aliis Monasteriis summo studio per emissarios suos in quibuscumque locis procuratum. Propterea nulla erat Civitas, quae aut intra moenia, aut in agro suo non complecteretur multas *Cellas*, *Ecclesias*, *Cortes*, fundos, ac domos ad varia Monasteria, eaque Ordinis unius Benedictini, aut Canonicorum Regularium spectantia. In iis autem Cellis, ut dixi, interdum Conversus unus, aut Monachus unus habitare consuevit; sed saepius unus *Prior*, & aliquot interdum sub eo Monachi. Hinc *Prioratus* appellatae eaedem Cellae. Sub ditione insignis Monasterii Benedictinorum Ticinensium Sancti Salvatoris posita erat *Curtis Melaria*, nunc ultra Padum in Ferrariensi agro sita, vicus non contemnendus. Infestabant ejusdem Curtis Sylvam homines *de Reveri*, quod nunc nobile Oppidum est cis Padum, Mantuanae Civitati subjunctum. Quod in ista Curte *Cella* foret, e Ticinensi Coenobio Sancti Salvatoris pendens, propterea *Prior* eidem Curti perpetuò praeerat, ejusque mentio est in Charta Mathildis inclytae Comitissae, quam autographam adservat, mihique communicavit Comes Brandulinus de Brandulinis Patricius Foroliviensis, ex antiqua nobilitate & ingenita humanitate vir mihi multum laudandus.

Senten-

Sententia Mathildis Comitissae pro Monasterio Ticinensi Sancti Salvatoris in controversia inter Curtem Melariae & Castrum Reveri, Anno 1106.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis.* Mathilda *Dei gratiâ, si quid est. Dum olim in Comitatu Veronensi apud Nogariam de multis negotiis, que pre manibus habebamus, comitante Dei gratiâ, justitiam faceremus, venit ad nos* Frater Lutharius Prior Curtis Melarie, *ex parte* Domni Johannis Sancti Salvatoris de Papia *venerabilis Abbatis, querimoniam faciens de quibusdam controversiis a nostris* hominibus de Reveri *injuste sibi illatis. Scilicet nostram clementiam postulans, & clementer exorans, ne Sancti Salvatoris Ecclesie aliquam injustitiam fieri pateremur. De hoc siquidem quod praedicti homines nostri de Reveri referebant, se per totam Silvam Curtis Melarie juste ac usualiter absque omni redditu debere porcos suos pascere, & glandibus & ceteris pascuis retinere. Cujus dignis precibus annuentes, & rem diligentius relatione nostrorum fidelium cognoscentes, tandem invenimus multorum congruo testimonio, quod in illa Silva, que terminatur a Via Sancti Michaëlis de Capite Trognoni usque in Arnariam, & ab Arnaria usque ad Corrigium de Capite Fraxini, violentia, qualiter supra diximus, injuste fuerat predicte Curti Melarie a nostris illata. Notum igitur fieri volumus omnibus nostris fidelibus tam presentibus quam futuris, predictam violentiam a Curte Melarie removisse; & ne aliquis nostrorum intra predicte Silve suprascripta confinia absque consensu illius Prioris, qui pro tempore aderit in Curte Melarie, porcos suos audeat retinere, firmiter precepisse. Ad memoriam itaque posterorum, & nostre anime, ac parentum nostrorum memoriale perpetuum apud Castellum, ubi hoc negocium in presentia* Domni Ugonis *venerabilis* Mantuani Episcopi, *& Ubaldi Judicis de Carpineto, multorumque nostrorum fidelium, plurimum ventilatum est atque discussum, jussimus super hac re fieri praesens videlicet scriptum, nostra auctoritate suffultum, multorumque etiam testimonio roboratum. Si quis autem contra hanc nostre institutionis paginam venire temptaverit, & de hoc, quod fecimus pro remedio anime nostre, predictam Curtem, sive juste sive injuste molestare voluerit, sciat se nostram iram incurrere, & banni nostri penam quinquaginta Libras argenti debere persolvere, medietatem prefate Ecclesie Sancti Salvatoris, medietatem verò Camere nostre, hoc tamen scripto in suo semper robore permanente. Quod ut verius credatur, & futuris temporibus firmius habeatur, proprie manus subscriptione firmavimus.*

MA TIL
DA DI
GRA SI
QD EST
SS.

✠ *Ego Ubaldus Judex interfui & subscripsi.*

Actum

Actum Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Centesimo Sexto, V. Idus Januarii, apud Castellum, per manum Frugerii Archipresbyteri, & Capellani.

Testes verò interfuerunt Guibertus filius Gandulfi, Albericus de Nonantula, Gerardus & Ugicio de Herbera, Bosolinus filius Guizoli, Sasso de Bibianello, Ugo Massarius, & Deibertus de Reveri, Johannes Rivarius, Paulus Canevarius, Albertus de Melaria, Albinus, Stephanus, Petrus, Paganus, & reliqui plures.

Ceterum Monachi minime animadvertebant, quantum imminueretur e tot Cellis, Ecclesiis, & Capellis uni Monasterio subjectis, & per tot regiones diffusis, Monastica disciplina. Quum ad eas regendas unus plerumque Monachus constitueretur, cui nulla amplius erat Monasticae vitae ac solitudinis obligatio: quid mirum, si ejus mores sensim ad Secularia deflecterent, & Religiosus ardor tandem tepesceret atque periret? Propterea Saeculo Christi Undecimo Sanctus Johannes Gualbertus, Monastici instituti restaurator, & Vallumbrosani Ordinis conditor, ut est in ejus Vitâ a beato Andrea Abbate Strumensi conscriptâ, Cap. 3. *Prohibuit Monachos accipere Capellas* (idest Ecclesias, in quibus Sacramenta ministrantur) *ad hoc, quod aliquando a Monachis regi deberent. Canonicorum, non Monachorum, hoc esse officium dicebat. Viderat enim, sub talibus occasionibus falsae Obedientiae multos Monachorum ire per abrupta, & irrecuperanda animarum incidere detrimenta. Nam id, quod duo vel tres Monachi quolibet loco sub occasione Obedientiae absque praesenti Pastore morantur, detestabatur, & suis id facere omnino interdicebat.* Et sane mirum fuit, quàm longe olim excurreret Coenobiorum, praecipue insignium, potentia ac ditio, & in quot Civitatibus & Comitatibus Italici Regni illorum jura nobis occurrant. Exemplum dabo in una Urbe Ferraria. Ibi Cella, seu Prioratus Sanctae Agathae erat, ad *Padolironense Mantuanum Monasterium* spectans: Cella, seu Prioratus Sanctae Agnetis ad *Pomposianum:* Cella, seu Prioratus Sancti Johannis Baptistae, & Ecclesia Sancti Blasii ad *Nonantulanum:* Cella, seu Prioratus Sanctae Justinae ad *Patavinum Sanctae Justinae:* Ecclesia Sanctae Mariae Novae ad *Monasterium Sancti Bartoli* sive Bartholomaei *Ferrariensis:* Cella, seu potius Monasterium Sancti Nicolai, quod ignoratur, a quonam Coenobio penderet: Cella seu Prioratus Sancti Michaëlis, olim ad *Monasterium Brixellense Sancti Genesii* pertinens. Marcus Antonius Guarinus in Compendio Eccles. Ferrariens. quo nunc utor, hanc *Prioratum* tantummodo appellat, & *aedificatam* ait *Anno DCCCCLIV. traditamque Venerio Abbati Aulae Regiae in Bohemia Ordinis Cisterciensis, sedente Romano Pontifice Agapito II. & Constantino Episcopo Ferrariae; ac deinde ab Ingone Episcopo concessa Brixellensi Abbati Anno MXIX.* Atqui, si Ughellio fides, Constantinus Episcopus Ferrariensis florebat Anno DCCCXCII. Cisterciensis autem Ordo longe serius, ut omnes norunt, ortum habuit.

habuit. Praeterquamquod *Monasterium Aulae Regiae* minime tribuendum fuit Bohemiae, sed quidem Comaclensi agro. Et revera Ferrariensis Ecclesia Sancti Michaëlis ab eodem Monasterio *Aulae Regiae* olim pendebat, uti fidem facient duae Chartae, quas nobis servavit Peregrinus Priscianus in Annalibus Ferrariensibus MStis, in Bibliotheca Estensi existentibus Lib. 4. pag. 8. & 9.

Concessio Ecclesiae Ferrariensis Sancti Michaëlis Archangeli facta Bonizoni Presbytero a Venerio Abbate Aulae Regiae, Anno 969.

In *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Imperante* Domno *nostro* Ottone *pacifico magno* Imperatore. *Anno pietatis ejus III. die XVI. Mensis Junii, Indictione XII. Ferrarie, Petimus ad vobis in Dei nomine* Donus Venerius *venerabilis Presbiter Monachus &* Abbas Monasterii Sancte Marie, que vocatur in Aula Regia, *una per consensu cuncta Congregatione deservientium eidem Monasterio, uti nobis in Christi nomine* Bonizo *venerabilis* Presbyter, *qui manere visus sum ad Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli in superiori Burgo Ferrarie, situ in fundo Baniolo, juris sancti Monasterii vestri: nec non Andreas, qui vocatur Angelo, habitator in Civitate Ferrarie, in vice & pro persona Joanne filio ejus, seu in duobus successoribus nostris Libello emphiteoticario concedistis & largistis nobis de re juris proprietatis sancti Monasterii vestri, qui vocatur Aula Regia: idest* Ecclesia Sancti Michaëlis Archangeli, in superiori Burgo Ferrarie sita in fundo Bagnolo, *una cum mansione pro se habente, & cum Cimiterio, quàm Sepulture; cum omnibus oblationibus vivorum quàm defunctorum, in integrum ipsa prefata Ecclesia Sancti Michaëlis, que nos suprascripti petitores fecimus vobiscum, quam vos cum nostro adjutorio quàm dispendio fecistis; ideoque eam nobis concedistis quàm largistis seu confirmastis, ad habendum, tenendum, possidendum, quàm in omnibus meliorandum, quàm officiandum,* juris sancti Monasterii vestri. *Et non habeamus licentiam ullo modo, dare vel derelinquere nos suprascripti petitores, neque nostri successores in alia quacumque parte, nisi in predicto Monasterio vestro Sancte Marie in Aula Regia; & de omni tempore vestra suprascripta dominatio, vestrique successores quàm vestros Missos cum honore quàm obedientia suscipere debeamus. Quas susceptationes facere debemus de majoribus festivitatibus; per circulum singuli anni medietatem integrum de omnibus oblationibus predicte Ecclesie persolvere debemus ad vos, vel ad vestros Missos, dum nos superius nominati petitores, & duobus nostri successores in hac luce jusserit Dominus permanere vitam. Post transitum verò nostrorum suprascriptorum petitorum, ipsa predicta Ecclesia Sancti Michaëlis restaurata, ordinata, meliorata, officiata, cum predictis rebus quàm cum omni melioratione, quàm jus, quàm dominium predicti Monasterii vestri Sancte Marie in Aula Regia, cujus est proprietas, modis omnibus revertatur. Quod si, quod Deus avertat divinâ potentiâ, & omnia, que supra leguntur, non observaverimus vel non adimpleverimus, aut ipsam sanctam Ecclesiam vel nos vel nostri heredes aut successores quoquo modo expellere vel alienare fecerimus, tunc daturi*

daturi nos promittentes una cum nostris heredibus vel successoribus pene nomine auri optimi Libras duas, & quod exinde contra hec fecerimus, nullum vigorem habeat. Quam nos paginam Petrus Tabellio Ferrarie scrivendum rogavimus sub Die, Mense, & Indictione XII.

✠ *Ego Bonizo Presbiter quam petitor subscripsi.*

A

✠ ✠ *Signa manus suprascripti Andrea, qui vocatur Angelo, cum Joannes filio ejus petitoris, qui huic Libello emphiteothecario fieri rogaverunt, cui relectum est.*

Ego Petrus in Dei nomine Tabellio, hujus pagine Scriptor, post tradita complevi quàm absolvi.

Notitia testium, id sunt, Andrea Stancario teste, Leo Stancario teste, Bono Remorario teste.

B

Confirmatio ejusdem Ecclesiae facta praelaudato Bonizoni ab eodem Venerio Abbate, Anno 972.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Anno Deo propicio Pontificatus* Domni *nostri* Benedicti summo Pontifice *quàm universale Pape in Apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini Sede, Anno...... Regnante* Domno Ottone *piissimo perpetuo* Augusto, *quàm a Deo coronato pacifico magno* Imperatore, *Anno pietatis ejus in Dei nomine Sexto, die III. Mensis Octobris, Indictione Prima, Comaclo. Petimus a vobis* Donnus Venerius *venerabilis Presbiter, Monachus, &* Abbas *Regule* Monasterii, *qui vocatur* Aula Regia, *una per consensum quàm largitatem cuncte Congregationis eosdem Regule deservientium eodem Monasterio, unde nobis* Bonizo *venerabilis* Presbiter *sancte Ferrariensis Ecclesie, filius qui vocatur Ursus, in medietatem, seo Andreas, qui vocatur Angelo, negotiatore, tam pro se, quamque pro Joannes Clericus filio suo in alia verò medietate, seo in duobus successoribus nostris, unum post unum, quale nos per judicium testamentum assignaverimus, emphiteoticario jure a presenti die concedistis & largistis seo confirmastis de re* juris *sancti* Monasterii vestri: *idest* Ecclesia una, *vocabulo* Sancti Michaëlis, *sita in superiori Burgo* Ferrarie, *in fundo, qui vocatur Bagnolo, una cum omni domu, culto suo in circuitu sibique pertinente, casis, casibus, Curte, orto, puteo, & cum omnibus oblationibus quàm offersionibus sibique pertinentibus vivorum ac defunctorum: cum ingressu & egressu suo, & omnia, que a supra scripta Ecclesia prelegitur; concedistis quàm largistis nobis de aliis rebus Monasterii vestri, que pertinent* da jura Sancti Martini Monasterium vestrum, *que fuit quondam in eodem fundo Bagnolo: idest Casale uno cum casa super se habente, sito in suprascripto fundo Bagnolo juxta latera; da primo latere Platea publica, que vocatur Majore, descendente in Sancto Clemente. Secundo latere possidet Uco Dientio. Tertio latere persistente Ripa de Pado, via publica percurrente. Quarto latere via Canalis persistente in fluvio Pado, descendente in Ronchagallo. Quod habet ipso suprascripto Casale per apodimus in longitudine sua pedes XXV. atque in latitudine sua pedes XVIII. cum ingresso quàm egresso suo, & cum omnibus ad suprascripta...... prefatas res. Seo concedistis atque largistis seo confirmastis nobis in Civitate Ferrarie*

C

D

E

in fundo, qui vocatur Tabernulo, in Regione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, idest Casale uno integro cum casa super se habente: finis de suprascripto Casale, ab uno latere possidet Joannes Vassallo, ab alio possidet Antoninus, tertio latere possidet Petrus Consul filio, qui vocatur Leo Consule, qui vocatur de Blatta, quarto latere androna de Commune percorrente in fluvio Pado. Seo concedistis & largistis &c. Ad habendum, tenendum &c. Pro eo quia etiam accepistis &c. Promittentes &c. Quam verò paginam tenore conscripto Petrus in Dei nomine Tabellio scrivendum rogavimus, in qua subtus manus firmavimus, testibusque a nobis rogatis obtulimus roborandam sub Die, Mense, & Indictione suprascripta Prima, Comaclo.

✠ *Signum manus mea suprascripto Andrea, qui vocor Angelo, petitor.*

✠ *Ego Bonizo Presbiter, petitor, manu mea subscripsi.*

✠ ✠ ✠ ✠ *Signum manibus nostris Abraam, & Johannes Spada, Petrus de Fermosia, Ardengo filius quondam Paulo.*

Petrus in Dei nomine Tabellio, scriptor hujus pagine pensionis, de omnibus que superius leguntur, post roborationem atque traditionem complevi & absolvi.

Has Chartas retuli ad tempora Ottonis Magni, incertus tamen, num ad Ottonis II. an potius III. Imperium sint referendae, quum ibi Notae Chronologicae vitio non careant. Ego Indictionem sequutus sum. Laudat idem Priscianus alibi *Privilegium Leonis summi Pontificis, imperante Ottone, Monasterio Aulae Regiae Civitatis Comaclensis datum, in quo clarissime monstratur, ab mari ad Padi Veteris locum usque, quem vulgares & rustici incolae Padiverium dicunt, & superiores Massae Phiscaliae fines, Comacli oram omnem Insulis repletam tunc temporis etiam fuisse.* Tum adfert nonnulla ejusdem Bullae excerpta, scilicet: *Monasterium Sanctorum Viti & Modesti in loco, qui vocatur Insula, & cum Vallibus & Paludibus sibi pertinentibus infra se, & secus se. Idest Valle, quae vocatur Supociolo, & Valle, quae vocatur Minore &c.* Redeo ad Ecclesiam Sancti Michaëlis Ferrariensis, quae Monasterium postea evasisse videtur, & in jus translata Brixellensis Monasterii: de qua re videndum superest Placitum, Anno MXV. habitum Ferrariae, atque a me editum in Praefatione ad Leges Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Quod verò est ad Ecclesias Monasticas Ferrariae (neque enim integrum earum catalogum supra complevi) observandum est, ibi Ecclesiam *Sancti Romani* Prioratum fuisse, & ad Monachos Benedictinos olim spectasse, hoc est, ad *Monasterium Sancti Benigni Fructuariensis*, ut indicat Charta Anni MCLXXXVIII. scripta, quam evulgavi Par. I. Cap. 36. pag. 353. Antiquitat. Estensium: ibique appellatur *Monasterium Sancti Romani*, cujus *Advocatia* tradita fuit Opizzoni Estensi Marchioni. Ecclesia quoque *Sancti Clementis*, Prioratus Monachorum fuisse traditur in ea Urbe, quem titulum adhuc retinet. Praeterea *Sancti Salvatoris* Ecclesia, in antiquis Chartis, (quas mihi saepius memoratus amicus meus Joseph Antenor Scalabrinius Ferrariensis indicavit) modò *Cellae*, modò *Monasterii* nomine designatur. *Sancti Martini* Ecclesia, *Monasterium* quoque Ferrariae fuit, ab *Aulae Regiae Monasterio* dependens, ut constat e Charta nuper allata

allata Anni DCCCCLXXII. Prioratus *Sanctae Mariae in Vado* Ferrariae in jure olim erat *Canonicorum Regularium Portuensium Ravennae*, & adhuc a Canonicis Regularibus possidetur. *Sancti Vitalis Ecclesia*, Cella sive Prioratus fuit, spectans ad Monasterium Ravennas Sancti Vitalis, cui suum jus integrum adhuc ibi perstat: atque illic habitasse Monachi traduntur. Reliquas praetereo, uti & ibi olim numerata fuisse *Monasteria Sancti Ambrosii*, *Sancti Georgii*, & *Sancti Bartholomaei*, atque alia fortasse, quorum excidit memoria. Neque heic omittam, ignorare me, quomodo magno viro Johanni Mabillonio, Monasticae Historiae parenti, exciderit in Annalib. Benedictin. ad Annum DCXCIII. scribere, uti Paullus Diaconus tradit, a Cuniberto Langobardorum Rege *in campo Coronatae ad fluvium Adduam prope Ferrariam, ubi prospere pugnaverat cum Alachi Duce Tridentino, Monasterium Sancto Georgio Martyri in facti memoriam aedificatum fuisse*. Is etiam, ne de sua mente dubitemus, haec subdit: *Hoc Monasterium idem esse creditur, quod in Ferrariae suburbio sub nomine Sancti Georgii etiam nunc superest*. At qui Italiae Chorographiam norunt, e vestigio agnoscunt, nil rei esse flumini Adduae cum Ferraria. Itaque *Coronatae* campus, vulgo nunc *Cornà*, vicus est ad fluvium Adduam situs, a Novocomo paucis passuum millibus distans, uti ostendit singularis olim amicus meus P. D. Gaspar Berettus Monachus Benedictinus in Tabula Chorographica praeposita Tomo X. Rer. Italicar. Quare nil rei fuit Monasterio Coronatae cum Civitate Ferrariae, ubi revera adhuc visitur Monasterium Sancti Georgii, longe tamen postea conditum. Ita auctor est idem Mabillonius in Notis ad Vitam Sancti Anselmi Abbatis Nonantulani Saeculo IV. Part. I. atque in Praefatione ad Vitam Sancti Theobaldi Eremitae Saeculi VI. Part. II. *Vangadiciense Monasterium* debere originem suam eidem Sancto Anselmo, qui Saeculo Christi Octavo floruit. At hujus sententiae nulla sunt fundamenta. Vide, quae ego nuper de eodem Coenobio supra disserui. Accipe nunc unius etiam Coenobii exemplum. Loquor de amplissimo *Nonantulano Mutinensi Monasterio*, cui fuisse traduntur (immo sigillatim enumerantur) complures Cellae & Ecclesiae in Urbibus & agris *Mutinensi*, *Bononiensi*, *Ferrariensi*, *Patavino*, *Tarvisino*, *Vicentino*, *Veronensi*, *Regiensi*, *Mantuano*, *Parmensi*, *Placentino*, *Ticinensi*, *Cremonensi*, *Florentino*, *Pistoriensi*, *Eugubino*, *Faesulano*, *Perusino*, ac aliis in locis. Haec e multis sacri Loci monumentis constant, quorum unum tantummodo heic edendum censui.

Innocentii II. Papae Bulla, qua Monasterio Nonantulano omnia illius jura ac privilegia confirmat Anno 1133. sed secundùm Aeram vulgarem 1132.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei. Dilecto in Christo filio* Ildeprando Nonantulani Monasterii Abbati, *ejusque successoribus regulariter ibi viventibus, in perpetuum salutem & Apostolicam benedictionem. Cum omnibus Ecclesiis & Ecclesiasticis personis debitores ex Apostolicae Sedis auctoritate*

ctoritate ac benevolentia existamus, illis tamen ardentius providere nos convenit, ut eas a pravorum hominum incursibus defendendo arctiori debeamus charitate diligere, quas beato Petro & Sanctae Romanae Ecclesiae non est dubium specialius adhaerere. Dignum namque & honeste conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, earum quieti & utilitati salubriter auxiliante Domino, providere curemus. Proinde, dilecte in Domino fili, Ildeprande Abbas, tuis rationabilibus postulationibus benignitate debita duximus annuendum, & Nonantulanum beati Silvestri Monasterium, *cui Domino auctore praeesse dignosceris, quod utique ab* Astulfo Longobardorum Rege, *ejusdem loci fundatore beato Petro oblatum est, ad exemplar Praedecessorum nostrorum felicis memoriae* Leonis, Alexandri, Pasqualis, *&* Calisti, Romanorum Pontificum, *Apostolicae Sedis Privilegio communimus. Statuimus enim, ut quaecumque praedia, quascumque possessiones seu bona idem Monasterium in praesentiarum juste & legitime possidet, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus haec propriis nominibus adnotanda subjungimus. Ipsum videlicet Castellum Nonantulanum, Castellum Vetus, Galianum, Cathinianum, Fananum, Lixanum, Sclopinum, Samonum, Campilium, Maranum, Pratum Albinum,* Monasterium Sanctae Luciae *cum Ecclesiis & pertinentiis suis, Ecclesiam sanctissimae Trinitatis de Savino, Manzolinum, Ravalium, Rastellinum, Sanctam Mariam de Grumolo, Spinalberti, Solariam, Roncalia, Camoranam, Curtile Siccum, Castellum Pollacci, Trecentula, Bondenum, Nogariam, Castellum Cellam, & Marzaliam cum pertinentiis eorum. Praeterea Castellum Cellulae, Curtem Ragusae, Castellum Theodaldi cum omnibus allodiis, quae in ipso Comitatu Ferrariensi* Bonifacius Marchio *acquisita possedit, vestro in perpetuum Monasterio confirmamus, quae* Comitissa Mathildis *de oblatione, quam Sancto Petro, & Romanae Ecclesiae dederat, vobis nuper dedisse cognoscitur, sub censu scilicet unius aurei annuo. In* Civitate Papiensi *Ecclesiam Sancti Quirici. In* Placentina *Ecclesiam Sancti Silvestri. In* Monticello *Ecclesiam Sancti Georgii. In* Cremona *Ecclesiam Sancti Silvestri, Ecclesiam Sanctae Crucis, & Ecclesiam Sancti Benedicti. In* Parmensi *Ecclesiam Sancti Silvestri. In* suburbio Vicentiae *Ecclesiam Sancti Silvestri. In* Libertino *Ecclesiam Sancti Silvestri. In* Montesilicae *Ecclesiam Sancti Danielis cum omnibus ad ipsam pertinentibus. In* Tarvisina Civitate *Ecclesiam Sanctae Mariae, & Sanctae Fuschae cum libertate, Cappellis, & omnibus ad eam pertinentibus. Sane nec Mutinensi omnino, nec alicui cuiquam Episcoporum, vel Principum, aut alicui Ecclesiastice, secularive personae liceat supradicto Monasterio, aut ejus* Cellis vel Ecclesiis, *aliisque possessionibus gravamen inferre, exactiones imponere, Placitum, sive colloquium, preter Abbatis ac Fratrum voluntatem, indicere vel tenere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ proponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & beati Benedicti Regulam, praeviderint eligendum, qui nimirum ad Apostolicae Sedis Praesulem consecrandus accedat. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, sive Clericorum*

rum eidem Monasterio, Cellis vel Ecclesiis *pertinentium, a quo malueritis, Catholico accipietis Episcopo, si quidem gratiam & communionem Apostolicae Sedis habuerit, & si ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Non enim Episcoporum cuiquam permittimus invito Abbate in Monasterio vel* Monasterii Cellis seu Ecclesiis, *ordinationes facere, Missas publicas celebrare, vel earum Decimas vindicare, nec de ipso Monasterio, vel ejus rebus rescriptum surripere, aut quolibet modo impetrare cuique personae facultas sit. Quod si fortè praesumptum fuerit, irritum penitus habeatur. Nec Episcopis facultas sit, Monasterii vestri Clericos sine tui consensus deliberatione, interdictionis aut excommunicationis sententiâ coërcere. Quaecumque praeterea in posterum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis praenominatum Monasterium auxiliante Domino poterit adipisci, vobis praesenti scripto firmamus. Porro illa dignitatis insignia, quibus Antecessores tui inter Missarum Solemnia uti noscitur, nos personae tuae ex Apostolicae Sedis benignitate concedimus, ut scilicet in diebus solemnibus ad Missarum Officia celebranda Dalmaticâ, Mitrâ, Chirothecis, & Sandalis induaris. Ad haec adjicientes decernimus, ut nulli omnino hominum fas sit praefatum Coenobium temere perturbare &c. ut in omnibus semper Apostolicae Sedis, cujus est proprium, unanimine ac protectione congaudeat. Si quis igitur in futurum Archiepiscopus, vel Episcopus, Imperator, sive Rex, Princeps, aut Dux, Comes Vicecomes, Judex, Castaldio, aut Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere &c.*

Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus *subscripsi.*

Ego Guilielmus Praenestinus Episcopus subscripsi.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Johannis & Pauli subscripsi.

Ego Georgius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi.

Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum subscripsi.

Ego Romanus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Porticu subscripsi.

Datum Nonantulae per manum Aimerii sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Quarto Idus Octobris, Indictione X. Incarnationis Dominicae Anno MCXXXIII. Pontificatus verò Innocentii Papae II. Anno Tertio.

Itidem quot in Episcopatibus & Urbibus celebre Pomposianum Monasterium Ecclesias possideret, e subsequenti Bulla intelliges, cujus apographum in Estensi Archivo adservatur.

Bulla Anastasii IV. Papae, qua Monasterio Sanctae Mariae de Pomposia omnia illius bona ac jura confirmantur, Anno 1153.

ANastasius Episcopus, *servus servorum Dei. Dilectis filiis* Johanni Abbati Monasterii Sanctae Mariae, *quod* in Insula Pomposia *situm est, ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris, regulariter substituendis* in

in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacrae Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Praedecessorum nostrorum felicis memorie Celestini, & Eugenii Romanorum Pontificum *vestigiis inherentes, Beate Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae* Pomposianum Monasterium, *in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque loca idem Monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: videlicet Massacellam, integram &c.* (*) *Praeterea in* Episcopatu Concordiae *Ecclesiam Sancti Martini in Phana. In* Episcopatu Cenetensi *Ecclesiam Sancti Petri in Colossis, & Sancti Danielis: In eodem Episcopatu Ecclesiam Sancti Andreae in Bosco cum Capellis suis, aliam Ecclesiam Sancti Martini in Cambernardi, Sanctae Mariae in Ronchu Marzollu, Sanctae Mariae in Vidore, Sancte Bone cum Capellis suis, Sancte Marie in Castello, & alias, quas in partibus illis habetis. In* Episcopatu Vicentie *Ecclesiam Sancte Marie in Teupisse. In* Civitate Veronensi *Ecclesiam Sancti Matthaei. In* Episcopatu Brixiensi *Ecclesias Sancte Marie de Sede Marculfi, Sancte Marie de Cucumare, & Sancte Marie de Suxiliano. In* Episcopatu Cremonensi *Ecclesiam Sancti Stephani in Caballaria. In* Episcopatu Astensi *Ecclesias Sancte Marie de Flexu, & Sancti Johannis de Cerro. In* Episcopatu Bononiense *Ecclesias Sancte Marie de Arzellata, Sancti Venantii, Sancti Blaxii de Luzaco, Sancti Marci in Turrixella, Sancti Johannis in Castagnolo, Sancti Blasii in Saliceto, & aliam Ecclesiam in Granarolo. In* Civitate ipsa *Ecclesiam Sancti Syri. In* Civitate Mutinensi *Ecclesiam Sancte Marie. In* Castro Solerie *Ecclesiam Sancti Johannis, & in* Villa ejus *Ecclesiam Sancti Michaëlis.* Ferrariae *Ecclesiam Sancte Agnetis. In* Finale *Sancti Michaëlis.* Ustulati *Ecclesiam Sancti Petri.* Faventie *Ecclesiam Sancti Clementis.* Prate *Ecclesiam Sancti Laurentii. In* Episcopatu Liviensi *Ecclesiam Sancte Marie in Manumizola, Ecclesiam Sancti Michaëlis, & Sancte Marie Nove cum Capellis suis.* Rimini *Sancte Marie in Tribbo. In* Episcopatu Urbinensi *Ecclesiam Sancti Leonis de Folia, Sancti Angeli de Insula, Sancte Marie de Petra, Sancti Martini in Ulmeta, Sancti Racliani, & Sancti Angeli in Preverzum, Ecclesiam Sancte Marie in Castagneto cum Capellis suis, Ecclesiam Sancte Marie de Viculo cum Capellis suis, Ecclesiam Sancti Johannis de Prugneto cum Capellis suis, & Ecclesiam Sancte Marie de Castro Sancti Martini cum Capellis suis, Chrisma verò, Oleum Sanctum a Comacliensi Episcopo &c.* (**)

Ego

(*) ut in Bulla Callisti II. Papae, quae alibi legetur.
(**) Vide eamdem Bullam Callisti II.



Ego Anastasius Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

BENE VALETE

Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Hugo Ostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Gregorius Presbyter Cardinalis titulo Calisti subscripsi.
Ego Guido Presbyter Cardinalis titulo Sancti Grisogoni subscripsi.
Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Praxedis subscripsi.
Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Savinae subscripsi.
Ego Aribertus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Anastasiae subscripsi.
Ego Jordanus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Susannae subscripsi.
Ego Octavianus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Caeciliae subscripsi.
Ego Astaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctae Priscae subscripsi.
Ego Cencius Presbyter Cardinalis titulo Sancti Laurentii in Lucina subscripsi.
Ego Henricus Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Nerei & Achillei subscripsi.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Silvestri & Martini subscripsi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.
Ego Rodulfus Diaconus Cardinalis Sanctae Luciae in scepta subscripsi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Porticu subscripsi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Datum Laterani per manum Rholandi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, XIV. Kalendas Aprilis, Indictione II. Incarnationis Dominicae Anno MCLIII. Pontificatus verò Domni Anastasii Papae IV. Primo.

Pauca tamen haec ipsa videantur, si conferas eadem cum iis, quae Monasterium Clusinum Sancti Michaëlis, in Taurinensi Dioecesi positum, olim possidebat. Prostant in Tomo 4 Ital. Sacrae, Literae Innocentii III. Papae, datae Anno MCCXVI. e quibus constat, Coenobio illi subjecta fuisse complura *Monasteria & Ecclesias* in Episcopatibus *Taurinensi*, *Yporegiensi*, *Vercellensi*, *Astensi*, *Aquensi*, *Tortonensi*, *Januensi*, *Papiensi*, *Placentino*, *Cremonensi*, *Mutinensi*, *Parmensi*, *Ebredunensi*, *Vapincensi*, *Diensi*, *Magalonensi*, *Avenionensi*, *Narbonensi*, *Gerundensi*, *Carcassonensi*, *Tolosensi*, *Convenarum*, *Conforanensi*, *Caturcensi*, *Lemovicensi*, *Pictaviensi*, *Bituricensi*, *Claromontensi*, *Lugdunensi*, *Aniciensi*, *Lausanensi*, *Sedunensi*, *Gebennensi*, *Tarantasiensi*, *Gratianopolitano*, *Maurienensi &c.* An parum fimbrias dilatarit ejusmodi Monasterium paucis habes. Quei verò fieri potuerit, ut non insignia tantummodo Coenobia, sed alia etiam minora, in tot diversis Civitatibus & Comitatibus *Cellas*, aut *Ecclesias*, aut saltem fundos sui juris ostentarent, investigabo infra in Dissertatione LXVII. *de Modis Acquirendi*. Nimirum partim, industriâ suâ sibi Monachi non oscitantes, ubicumque poterant, hasce comparabant; aut ipsi Christi fideles varias ob caussas sponte Ecclesias aut fundos offerre consueverunt, ut Monachorum patrocinio ac privilegiis fruerentur. Quae verò Monasteria majoris nominis ac potentiae erant, felicius etiam, quàm cetera, donatores ac oblatores inveniebant; plura enim habenti & late dominanti, facilius est plura sibi conquirere, suumque in dies amplificare patrimonium, quàm pauca habenti. Sed ut digito etiam tangas, quousque opulentia quorumdam Coenobiorum sese extenderet, Chartas duas exhibere juvat, quas authenticas vidi in Archivo supra laudati Nonantulani Monasterii. Prima tibi ad Topographiam antiquam nobilissime Civitatis Ticinensis dignoscendam non parum subsidii afferet.

Permutatio inter Rodulphum Abbatem Monasterii Nonantulani & Ubertum filium Armanni, facta Ticini, Anno 1029.

I*N nomine Domini Dei, & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi* Chuonradus *gratiâ Dei* Imperator Augustus, *Anno Imperii ejus, Deo propitio, Tercio, III. die Mensis Decembris, Indictione Tercia decima. Commutacio bone fidei noscitur esse contractum, ut vicem emcionis optinead firmitatem, eodemque nexu oblicent contradantes placuit. Itaque bona convenit voluntate inter* Donus Rodulphus Abba Monasterio Sancti Silvestri *sita* Nonantola, *nec non &* Ubertus filius *bone memorie* Armanni, *qui professebat se ex nacione sua Lege vivere Salica, ut in Dei nomine debeant dare, sicut a presenti die dederunt ac tradiderunt vicissim sibi unus alteri, commutacionis nomine: in primis dedit ipse Domnus Rodulfus Abbas da parte ipsius Monasterio in causa commutacionis eidem Uberti; id sunt pecias undecim de terra cujus suprascripto Monasterio, quibus esse videntur decem ex eas intra anc Urbem, undecima suburbio ejusdem Civitatis. Prima pecia de terra jacet ad locus ubi* Porta Marinca *dicitur. Est per mensura justa tabulas*

bulas decem. Coëret ei de una parte terra Monasterio Sancte Marie, qui dicitur Deodote, *ex alia parte muro ejusdem Civitatis, ex tercia parte Via publica. Secunda pecia de terra jacet prope* Monasterio Sancti Felicis, quod dicitur Regine. *Est per justa mensura tabulas octo & dimidia. Coëret ei ex una parte terra* Episcopio *sancte* Ticinensis Ecclesie, *de alia parte terra* Sancti Petri, *ex tercia parte terra* Sancti Johanni, *ex quarta parte Via publica. Tercia pecia de terra prope* Basilica Sancti Johannis, qui dicitur Domnani. *Est per justa mensura tabulas tres & dimidia. Coëret ei ex una parte terra* Sancti Sixti, *ex alia parte terra* Bernardi, qui fuit Comes, *de tertia parte Via publica. Quarta pecia de terra jacet prope* Basilica Sancte Marie, qui dicitur Capelle. *Est per mensura justa tabulas duas & dimidia. Coëret ei ex una parte terra* Basilice Sancti Archangeli Michaëlis, qui dicitur Majore, *ex alia parte terra de heredes quondam* Adelberti, *qui vocatur* Medico, *ex tercia parte ingresso comune. Quinta pecia de terra ibi prope. Est per mensura justa tabulas sex. Coëret ei ex una parte terra suprascripte Basilice Sancti Michaëlis, ex alia parte terra suprascripte sancte Ticinensis Ecclesie, ex tercia parte terra de heredes suprascripto quondam Adelberti, qui vocatur Medico. Sesta pecia de terra similiter ibi prope. Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei de una parte terra jam dicti Episcopii sancte Ticinensis Ecclesie, ex alia parte terra* Aimerici. *Septima pecia de terra similiter ibi prope. Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei ex una parte terra suprascripti Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, ex altera parte terra suprascripto Aimerici. Octava pecia de terra cum puteum super abente, similiter ibi prope. Est per mensura justa tabulas tres. Coëret ei ex una parte terra predicti Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, ex altera parte terra* Oddoni, *ex tercia parte Via. Nona pecia de terra ibi prope. Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei ex una parte terra* Ottonis, *& de duabus partibus Vias. Decima pecia de terra jacet non longe* a Porta, qui dicitur da Ponte. *Est per mensura justa tabulas tres. Coëret ei ex una parte Via publica, ex alia parte terra de heredes quondam* Albizonis, *de altera parte terra, que fuit quondam* Attoni. *Undecima pecia de terra, que est suburbium ejusdem Civitatis, jacet non longe* da Porta Sancti Johanni, qui dicitur Cimeterio. *Est per mensura justa tabulas septem. Coëret ei ex duabus partibus Vias publicas, ex tercia parte terra* Adammi & Papii. *Similiter dedit ipse Domnus Rodulfus Abba da parte ipsius Monasterio eidem Uberto........ it sunt eas sediminas, & omnibus rebus illis, cujus supra Monasterio, quibus esse videntur super fluvio Pado in locas & fundas, ubi dicitur Cella, & in Scadrampo, seu in Balbiano &c. inter sediminas & vineas cum areis suarum, seu terris arabilis, & partis jerbis & silvis, cum illorum areis juges trescenti. Similiter & ad vicem recepit ipse Domnum Rodulfus Abba a parte ipsius Monasterio ab eumdem Ubertus in causa commutacionis, meliorata res sicut Lex habet, idest medietate de Curte cum domuicoltile, cujus ipsius Uberti, quibus esse videtur in loco & fundo Sorbaria, cum medietate de Castro inibi habente, & de Capella inibi edificata in onore Sancti Laurentii, cum medietate de casis, universisque rebus ad ipsa medietas*

tas de eadem Corte, Castro, seu Capella pertinentibus in ipso loco Sorbaria &c. & partis jerbis & silvis & illorum areis juges trescenti. Coëret &c. da sera fluvio, qui dicitur Secla &c. Et ad anc providendam commutacionis nomen accesserunt super ipsis rebus, idest Benedictus Presbiter & Monachus de ordine ipsius Monesterio, & Johannes item Presbiter, Vasso idem Domni Rodulfi Abbatis &c. Et bergamena cum actramentario ipse Ubertus de terra elevavit, paginam Fulconi Notarii sacri Palatii tradidi, & scribere rogavi, in qua subter confirmans testibus obtulit roborandam. Unde due Cartule commutacionis uno tinore scripte sunt.

Actum Ticinum, feliciter.

Ubertus subscripsi.

Ego Benedictus Monachus & Presbiter subscripsi.

Ego Johannes Presbiter missus fui ut supra.

Signum ✠✠✠ manibus suprascriptorum Stalberti, Egiselberti, seu Martini, qui super ipsis rebus accesserunt & estimaverunt, ut supra.

Signum ✠✠ manibus Walteri, & Dominici, ambo Legem viventes Salicha, testes.

Signum ✠✠✠ manibus Oppizzoni, & Bonizoni, seu Azoni, Legem viventes Romana, testes.

Inmizo Judex sacri Palacii rogatus subscripsi.

Ingeso Judex sacri Palacii rogatus testes subscripsi.

Ego qui supra Fulco Notarius sacri Palacii, scriptor hujus Cartule Commutacionis post tradite complevi & dedi.

Charta permutationis factae inter Rodulphum Abbatem Nonantulanum, & Widonem Comitem, & Riprandum Clericum, filios quondam Uberti Comitis, & Widonem ac Ottonem eorum nepotes, Anno 1034.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. *Chuonradus* gratiâ Dei *Imperator Augustus*, Anno Imperii ejus Deo propicio, Octavo, IV. die Mensis Julii, Indictione II. Commutacio bone fidei noscitur esse contractus, ut vicem emcionis optinead firmitatem, eodemque nexu oblicant contrahentes. Placuit itaque bona convenit volunptatem inter *Domnus Rodulphus Abbas Monasterio S. Silvestri* sita *Nonantula*, necnon & *Wido Comes, & Riprandus Clericus* de ordine Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, *jermanis filiis* quondam item *Uberti, qui fuit item Comes:* seu ipse *Wido & Otto* inpubes, item germanis, filii quondam item Uberti, qui & Episcopio; qui & ipse Wido Comes eidem Riprandi Clericus jermano suo curator, & eidem Ottoni nepote suo tutor esistebat. Qui professi erant omnes ex natione eorum Legem vivere Salicha. Et ipse Guido Comes eorum Riprandi & Ottonis consensit, & subtus confirmavit, ut in Dei nomine debeant dare, sicut & a presenti dederunt ac tradiderunt, unus scilicet alteri commutationis nomine tradiderunt. In primis dedit ipse Domnus Rodulfus Abbas da parte ipsius Monasterii eisdem jermanis & nepotibus in commutacionis nomine:

„ mine: id sunt tres portiones de Corte una domui coltile juris ipsius Monesterii, quibus sunt positas in Comitatu Ticinense in loco & fundo Monte, qui dicitur Surdo, & tres portiones de Capella una inibi constructa in honore eidem Sancti Silvestri, adque tres portiones de Casis & massariciis, & omnibus rebus, quibus sunt positis tam in ipso loco, quamque in locis & fundas Manciori, Montelauri, Marcelungo, Avvilia, Sarra, Maliolo, Cucularia magna, Pavaciano, Pinariano, Pasiano, Albuciano, Gabiano magni, Maliano, Vasariano, Cavaoro, Cambiano, Palacio Mariano, Testona, Bubliano, Cele, Casiori, Cisole, Andreo, Regiano, Pauliano, cum de tercia portione de Castro inibi habente, Aletentino, Uncianore, Novole, Balbiano, Montejovis, Paverio, Sulcia, Faniolo, Casale infra finibus Bresiano, Albelenni inter Paciano, & Busceli, Cavadalia, Puliano, Sasis, Corte Cariva, Corte Descalta Deis, quod Capella inibi edificata in onore Sancti Petri, Casale Graso, Caramagnola, Pulenza cum Capellas tres inibi abente braida Sancti Georgio, Gramignano infra Civitatem Torino, de Capella una, que est edificata in onore Sancti....... Et de medietatem de Mercato ipsius Civitatis, & de ortis tribus justa ipsa Capella, & de casa una cum Curte uno tenente prope eodem Mercato, sive foris muro ipsius Civitatis in circuitu ibi prope: Corte de Marcilago, & de Capella una, Corneliano, Mandolone Caliano, Walfenaria, Feraria Tiliola, Canali. Et de alia Corte justa Treveria, & de Capella una, que est edificata in onore Sancti Martini, & de Molendinis quatuor integris, & de medietate de aliis tribus: Buscineto, Silva de Cillari, Laurenzasce, Monteferate, Carniano, Vacaria, Jermaniasco, Alpis & Vallis, Riva-alta, & medietatem de Castro inibi abente: Govone, Rivole, Alpiniano, & de Piscinaria inibi abente: Raconese, Romanese, Suave, & in Valle Mategasca, & in earum ajacentiis & pertinentiis, que per ceteris locis & vocabulis ab ipsa Corte & Capellis seu rebus pertinentibus; cum tres portiones de servis & ancillis, aldiones, aldianas utriusque sexus ad eadem Corte & Capellis, seu rebus pertinentibus; & sunt eadem tres portiones de eadem Corte & Castris seu Capellis, sive de sediminibus & vineis cum areis suarum, seu terris arabilis, pratis & silvis, seu & jerbis cum areis suarum super totis insimul per mensura justa juges mille quingenti.

„ Quidem & in vicem recepit ipse Dominus Rodulfus Abbas a parte ipsius Monasterio ab eisdem jermanis & nepotibus meliorata res, sicut Lex habet. Id sunt omnem eorum porcionem item de Corte una domui coltile juris eorum jermanis & nepotibus, quibus esse videtur in Comitatu Motinense in loco & fundo, ubi Wilzacara dicitur, cum eorum porcione de Capellis trex inibi edificate in onore Sanctorum Cesarii & Geminiani, seu cum eorum porcione de casis & massariciis, molendinis, & mercatis & omnibus rebus ad eadem Corte & Capellas pertinentibus vel aspicientibus,

„ bus, quibus sunt positis tam in „ ipso loco Wilzachara, quamque in „ locas & fundas Palezatico, Orte, „ Sana, Siliano, Lizo, Pinetolo, „ Figaro, Oliveto, Valle, Parave „ lio, Casiliana, Misiano, Salsina, „ Colegaria, Mansulino, Tavialo, „ Carzoleto, Cazarelli, Meisina, Per- „ sicita, Fraxaneta, Gavile, Vico- „ frigido, Doliolo, Fontanese, Ta- „ biano, Montejenario, Sanguineta, „ Casanova, Ara Verselana, Camu- „ gno, Cirelli, Casole, Samoza, „ Curano, Petra Luparia, Arzano, „ Matelano, Costo Sesculi, & in Co- „ sta Cavalina, & in eorum ajacen- „ tiis & pertinentiis, & per ceteris „ locis & vocabulis ab ipsa Corte „ & Castris seu Capellis, que rebus „ pertinentibus, & omni illorum „ portioni de servis & ancillis, al- „ diones & aldianas ad eadem Cor- „ te & Castris seu Capella, atque „ rebus omnibus pertinentibus, & „ sunt easdem portiones de eadem „ Corte & Castris seu Capellis, „ sive de sediminibus & vineis cum „ areis suarum seu terris arabelis „ atque pratis & jerbis seu silvis „ cum areis suarum super totis per „ mensura justa juges mille quingen- „ ti septem. Has denique jam dictis „ rebus supra nominatis vel com- „ mutatis una cum accessionibus & „ ingressibus earum, seu cum supe- „ rioribus & inferiori earum rerum, „ qualiter superius legitur, in inte- „ grum. Et inter se commutaverunt „ sibi unus alteri, pars parti, per „ has paginas commutacionis nomi- „ ne tradiderunt. Insuper per cul- „ tellum, festucum nodatum, guan- „ tonem, & wasonem terre, & ra- „ mum arboris, ipsis jermanis pars „ ipsius Monasterii, exinde legiti- „ mam fecerunt traditionem, & ve- „ stituram, & se exinde foris expul- „ lierunt & warpiverunt, absentes „ fecerunt. Et a parte ipsius Mo- „ nasterii proprietatem habendum „ reliquerunt, facientes exinde u- „ nus quis decore ceperunt a pre- „ senti die tam ipsi quaque & „ successores vel heredes eorum, „ aut cui ipsi dederint proprieta- „ rio nomine quidquid voluerint „ aut previderint, sine omni uni „ alterius contradictione vel repeti- „ cione. Si verò, quod futurum „ esse non credebat, ipsi jermanis & „ nepotibus, quod absit, aut ullus „ de heredibus ac proheredibus eo- „ rum se quislibet opposita persona „ contra hanc Cartulam commuta- „ cionis ire quandoque tentaverint, „ aut eam per covis ingenium in- „ frangere quesierint, tunc inferant „ ad illam partem contra quem e- „ xinde litem intularint multa, quod „ est pena auro optimo Uncias cen- „ tum, argenti ponderas duocenti, „ & quod repecierint & vendicare „ non valeant, sed presens anc Car- „ tula commutacionis dioturnis tem- „ poribus firma permaneat, atque „ persistat inconvulsa stipulacione sub- „ nixa. Et oblicaverunt se ipsi com- „ mutatores tam ipsi quamque & suc- „ cessores vel heredes eorum jerma- „ nis & nepotibus predictis casis & „ omnibus rebus, que ab invicem „ commutacionis nomine tradiderunt, „ in integrum omni tempore ab „ omni homine defensare quidem, „ & ut ordo Legis depossit. Et ad „ hanc providendam commutacionis „ nomine accesserunt super ipsis re- „ bus idest Petrus Presbyter & Mo- „ nachus de ordine ipsius Monaste- „ rio, Misso eidem Domni Rodulfi „ Abbati ab eo directo, una cum „ bonos homines extimatores, qui

„ ipsas

„ ipsas rex extimarunt. Eorum nomina sunt, Ozo, & Ugo, seu Warnerius, quibus omnibus extimantibus comparuit eorum, & ex timaverunt quod meliorata res recipere ipse Domnus Rodulfus Abbas a parte suprascripto Monasterio ab eosdem jermanis & nepotibus, quam dare & legibus commutacio ipsa & fieri potuisset. De quibus & pena inter se posuerunt, ut si quis ex ipsis, aut successores, vel heredes eorum jermanis & nepotibus se de hac commutacio removere quexierit, & non permanserit in ea omnia, qualiter superius legitur, vel si ab unumquemque hominem quisque supra dederint in integrum, ab invicem non defensaverint, componat pars parti fidem servandi, pena dublis ipsis casis & omnibus rebus, sicuti per tempore fuerint melioratis, aut valuerint sub exstimatione in consimilibus locis simul cum eisdem servis & ancillis. Et nec eis liceat ullo tempore nolle, quod voluit, sed quod ab eis semel factum, vel quod scriptum est, inviolabiliter conservare promiserunt cum stipulatione subnixa. Et bergamena cum atramentario ipsis jermanis & nepotibus de terra levaverunt. Paginam Gribaldi Notarii sacri Palatii tradiderunt, & scribere rogaverunt, in qua subtus confirmaverunt, testibusque obtulerunt roborandam. Unde due Cartule commutationis uno tenore scripte sunt.

„ Hactum in loco, ubi Stodegarda dicitur, feliciter.

„ VVIDO COMES Sub Scripsi.

„ ✠ Riprandus Clericus subscripsi.

„ Signum ✠ ✠ manibus suprascriptorum Widoni & Ottoni jermanis, qui anc Cartulam commutationis fieri rogaverunt.

„ ✠ Petrus Presbiter & Monachus missus fui, ut supra.

„ Signum ✠ ✠ ✠ manibus suprascriptorum Ozoni, & Ugoni, seu Warneri, qui super ipsas res accesserunt & extimaverunt, ut supra.

„ Signum ✠ ✠ manibus Tetaldi, & Razoni, ambo Legem viventes Romana, testes.

„ Signum ✠ ✠ ✠ Einrici, & Albini, seu Berengarii, omnes Legem viventes Salicha, testes.

„ Signum ✠ ✠ manibus Eboni, & Sensoni, testes.

„ Ego qui supra Gribaldus Notarius sacri Palatii, Scriptor hujus Cartule commutationis post tradite, complevi & dedi.

In Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. 13. pag. 108. evulgavi sententiam damnationis Anno MXIV. ab Henrico Primo inter Augustos promulgatam contra *Ubertum Comitem filium Hildeprandi*, & *Otbertum Marchionem*, Estensium Principum progenitorem. *Ubertus* ille fortè is fuit, qui *Widonem Comitem* & *Riprandum* filios post se reliquit, in postrema hac Charta memoratos. Justa caussa mirandi alicui erit, quei Nonantulano Mutinensi Coenobio tanta bonorum copia foret non solùm intra ipsam Civitatem Ticinensem, ac in ejus agro, sed etiam per universum Pedemontem, ac in ipsa *Taurinensi Civitate*, ubi etiam Nonantulanus Abbas possidebat *medietatem de mercato illius Civitatis*. Verùm pluries monui, & ante sex Secula idem animadverterat Chronographus Monasterii Farfensis Part. II Tomi II. Rer. Italicarum, *Nonantulanum Mutinense Mo-*

Monasterium reliquis Italiae praestitisse, & cum ipso celeberrimo Farfensi de dignitate ac amplitudine certasse. Attamen ad minora etiam Monasteria animum advertas velim. Non tantis opibus dabatur istis frui, neque in tot Urbes & Comitatus effusa cernebantur eorum patrimonia: attamen est etiam, cur mireris in iis non mediocrem fortunarum copiam. Alexander Pompejus Berti, Clericus Regular. Lucensis Congregat. Matris Dei, singularis amicus meus, Vir doctissimus, quum Vasti praeesset religiosae familiae Congregationis ejusdem, duas ad me Bullas misit, utramque ex Archivo Monasterii Canonicorum Regularium Sanctae Mariae, in Insula Tremitana exsistentis, descriptam; quarum altera ad illud Monasterium Benedictinis Monachis olim subjectum, altera ad Monasterium Sancti Johannis in Venere in Lancianensi sive Anxanensi agro situm itidem Ordinis Sancti Benedicti, spectabat. Utramque heic Lectorum oculis subjicio.

Alexandri III. Papae Bulla, qua Anastasio Abbati Monasterii Sanctae Mariae Tremitensis omnia jura ac bona confirmat, Anno 1171.

„ IN nomine illius, qui carnem „ assumpsit de utero Virginis. „ Anno Nativitatis ejusdem Millesimo Trecentesimo Nonagesimo Septimo, Die primo Mensis Februarii, Quintae Indictionis, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, *Domini Bonifatii* divinâ providentiâ *Papae Noni*, Anno Octavo; in mei pupplici & infrascriptorum testium in presentia Reverendi in Christo Patris & Domini, *Domini Bartholomaei*, Dei & Apostolicae Sedis gratiâ *Episcopi Valuensis*, pro tribunali sedentis, & Curiae regentis ad requisitionem venerabilis viri Abbatis Raymundi de Marone, Vicarii & Procuratoris Reverendissimi in Christo Patris & Domini *Domini Pandulfi*, miseratione divinâ *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis*, Gubernatoris & legitimi Administratoris Sanctae Mariae de Insula Tremitana Tremulanensis Dyocesis, & „ aliorum Monasteriorum & locorum, ad dictum Monasterium spectantium & pertinentium; dictus quidem Abbas Raymundus asseruit coram nobis, se debere de necessitate certa Privilegia ipsius Monasterii Sanctae Mariae certis de causis Romam destinare, & aliis locis in Regno Siciliae. Et timore ne ipsa Privilegia perderent, quae pars thesauri nostri sunt, ut dixit, & propter viarum discrimina, Piratarum incursus, aquarumque diluvia, petiit nobis & requisivit cum instantiâ, dicta Privilegia de verbo ad verbum transumptari, & in praescriptam formam redigi, nil addito vel mutato. Quae Privilegia vidimus, legimus, & diligenter inspeximus non vitiata, non rasa, non cancellata, non abolita, nec in aliqua parte eorum suspecta. Quorum Privilegiorum tenor unius per originalis erat.

„ Ale-

„ Alexander *Episcopus*, servus servorum Dei. Dilectis filiis *Anastasio Abbati Monasterii Sanctae Mariae Tremitensis*, ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris Regularem vitam profexis, in perpetuum. Apostolicae Sedis auctoritate, debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, earum maxime, quae eidem Sedi specialius adherent, ac tamquam jure proprio subjectae sunt, quieti auxiliante Domino providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, verè justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum Monasterium, in quo Domini estis mancipati obsequio, ad exemplum Praedecessorum nostrorum felicis memoriae *Innocentii*, & *Paschalis Romanorum Pontificum*, sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, & presentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio constitutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possexiones, quaecumque bona idem Monasterium in presentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, sive aliis justis modis, praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. In *Comitatu Theatino* Ecclesiam Sanctae Mariae in Frisa cum pertinentiis suis, Castellum de Rivo Maris, cum Ecclesia Sancti Petri, & suis pertinentiis, Castellum de Aquaviva cum Ecclesiis & suis pertinentiis, Castellum Senellae cum suis pertinentiis, Castellum de Turricella, Castellum Planati, tertia pars de Castello Linari, Castellum, qui vocatur Sparpaglia cum pertinentiis suis. In *Comitatu Tremulano* Ecclesiam Sancti Pauli cum podio, & Ecclesiam Sancti Nicolai, & aliam Ecclesiam Sancti Nicolai, cum pertinentiis earum, Ecclesiam Sancti Johannis de Montenigro cum pertinentiis suis, & Ecclesiam Sancti Silvestri de Terramala, Ecclesiam Sancti Leotherii cum suis pertinentiis, Castellum Guillionisii, & in ejus territorio Ecclesiam Sancti Nicolai, Ecclesiam Sanctae Luciae, & Ecclesiam Sancti Viti de Vallesurda, & aliam Ecclesiam Sancti Viti de Biferno, cum omnibus pertinentiis suis, Castellum de Vetrana, Ecclesiam Sanctae Mariae in Arcora, Castellum de Campo Abbatissae, & Ecclesiam Sancti Quirici cum omnibus eorum pertinentiis. In *Principatu Beneventano* Ecclesiam Sanctae Luciae, Sancti Martini, Sancti Nicolai, Sancti Johannis, Sanctae Mariae in Corneto, & Sancti Nicolai de Sapione, cum omnibus earum pertinentiis, Castellum de Tora, Castellum de Petrafitta, cum omnibus eorum pertinentiis, Ecclesiam Sancti Andreae cum suis pertinentiis, Ecclesiam Sancti Petri in Puliano, Civitatem de Mari, Castellum de Vena de Causa, cum omnibus eorum pertinentiis. In *territorio Ripae altae* Ecclesiam Sancti Johannis, Sancti Angeli, Sancti Pauli, & Sancti Laurentii, cum omnibus earum pertinentiis. In *territorio Lisinae* Ecclesiam Sanctae Crucis, „ San-

„ Sanctae Mariae, & Sancti Antonii, & Sancti Andreae, cum suis pertinentiis. In *territorio Civitatis* Ecclesiam Sanctae Felicitatis, & Sancti Simeonis cum omnibus pertinentiis. Et in *territorio Castelli Serrae* Ecclesiam Sancti Johannis cum pertinentiis suis. In *territorio Tragonariae* Ecclesiam Sancti Angeli cum omnibus pertinentiis suis. In *territorio Deniae* Ecclesiam Sanctae Mariae de Mari cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti Angeli de Rocca, Ecclesiam Sancti Nicolai de Lauris, & aliam Ecclesiam Sancti Nicolai de Gregorio cum omnibus pertinentiis suis. In *territorio Montis Sancti Angeli de Gargano* Ecclesiam Sanctae Mariae de Galana cum omnibus pertinentiis suis. In *territorio Tranensi* Ecclesiam Sancti Blasii cum omnibus pertinentiis suis, Sanctae Mariae de Calenella. In *Civitate * Bestiae* Ecclesiam Sancti Johannis foris ipsam Civitatem, Ecclesiam Sancti Jacobi, Sancti Laurentii, Sanctae Teclae, cum omnibus possessionibus earum. In *Civitate Trojana* Ecclesiam Sancti Vincentii cum omnibus pertinentiis suis. Chrisma verò, Oleum sanctum, Consecrationes Ecclesiarum, seu Altarium, Ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, a quo volueritis, suscipiatis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerit, & ea gratis, & absque ulla pravitate vobis voluerint exibere. Obeuntem verò te nunc ejusdem loci Abbatem, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ proponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Deum, & beati Benedicti Regulam, previderit eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem consecrandus accedat. Sciens autem Locum ipsum Apostolicae nostrae Sedi ita esse speciale ac proprium, ut nullus Archiepiscopus, Abbas, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castaldus, vel alia quaelibet magna, parvaque persona praeter eum sibi in eodem loco usurpet quolibet dominium vel aliquam molestiam eidem Monasterio; decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus perturbare, sed illibata omnia integra conserventur eorum, per quorum gubernationem ac substentationem concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra ea temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiet, atque ita in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis

„ nis percipiat, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniat. Amen.

„ Ego *Alexander Catholicae Ecclesiae Episcopus* subscripsi.

„ Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi.

„ Ego Bernardus Portuensis, & Sanctae Rufinae Episcopus subscripsi.

„ Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli titulo Pomachii subscripsi.

„ Ego Gulielmus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula subscripsi.

„ Ego Boso Presbiter Cardinalis Sanctae Pudentianae titulo Pastoris subscripsi.

„ Ego Petrus Presbiter Cardinalis tituli Sancti Laurentii in Damaso subscripsi.

„ Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori subscripsi.

„ Ego Cintius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani subscripsi.

„ Ego Ugo Diaconus Cardinalis Sancti Eustasii juxta Templum Agrippae, subscripsi.

„ Ego Vitellius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi.

„ Ego Petrus de Bono Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Aquirio subscripsi.

„ Datum Tusculani per manus Gratiani Sanctae Romanae Ecclesiae Subdiaconi & Notarii, VIII. Kalendas Augusti, Indictione V. Incarnationis Dominicae Anno Domini Millesimo Centesimo Septuagesimo Primo, Pontificatus verò Domini * Alaxandri Papae III. Anno Tertiodecimo.

„ Cujus Privilegium vidimus, legimusque de verbo ad verbum, & inspeximus diligenter non rasum, non abolitum, nec cancellatum, nec in sui parte vitiatum aliqua, sive suspectum, ymo penitus omni suspitione carebat: atque bullatum bullà plumbea pendenti cum filo serico, rubeo videlicet atque zallo, in qua bulla ab uno latere sculte erant Apostolorum ymagines, videlicet Petri & Pauli, cum quodam in medio ipsorum sculto similiter signo Crucis, & desuper similiter sculta erant ipsorum nomina, dicendo SANCTVS PETRVS; SANCTVS PAVLVS: ab alio verò latere similiter scultum erat nomen ipsius Summi Pontificis, more Romanae antiquitatis. Quod praedictum Privilegium bullatum, ut supra, ad instantiam & ad requisitionem dicti Abbatis Raymundi Privilegium praedictum, nullo in ipso addito vel detracto vel mutato, autenticavimus, transumptavimus, & in presentem formam publicam redegimus ad cautelam antedicti Monasterii & prefati Domini Cardinalis Gubernatoris & legitimi Administratoris predicti Monasterii de Insula Tremitarum. Post cujus quidem Privilegii ostensionem, & lectionem, & pro cautela principalis Monasterii supradicti, & aliorum Monasteriorum, Locorum, Ecclesiarum, & Grangiarum ejusdem Monasterii principalis, puplicam transumptam autenticam, & in hac puplicam formam redegimus, & ad predictam autem futuram memoriam, & omnium, quorum interest & poterit interesse, certitudinem atque cautelam, presens transumptum & autenticum puplicum Instrumentum factum est exinde, ut prefertur, ad

„ requisitionem dicti venerabilis viri „ Abbatis Raymundi, Vicarii & Procuratoris dicti Domini Cardinalis „ Barensis, ut supra, per manus mei „ Notarii infrascripti, puplicâ Apostolicâ & Imperiali auctoritate Notarius, meo solito sigillo signatum, „ cum decreto & subscriptione propriae manus dicti Reverendi in „ Christo Patris & Domini, Domini Bartholomei, Dei & Apostolicae Sedis gratiâ Episcopi Valvensis roboratum. Et ego predictus „ subscriptus Notarius, quia officium „ meum proprium est, & illum nemini denegare possum nec debeo, „ praescriptum Privilegium transumptavi, exemplavi, autenticavi, & „ reddegi in formam presentis publici Instrumenti de verbo ad verbum, nil in eo addito, subtracto „ vel mutato, quod sensum mutet, „ aut vitiet intellectum, interve„ nientibus & interpositis in hiis „ omnibus, & singulis sollepniter de„ decreto & mandato ac subscriptione praefati Domini Episcopi, sedente, ut praedicitur, pro tribu„ nali cum sua Curia, supradicta „ decernente, presenti transumpto „ ubilibet dandum fidem, una cum „ appositione Sigilli Pontificalis dicti Domini Episcopi Valvanensis.

„ Acta sunt haec videlicet in „ praedicto Episcopali nostro Palatio, ubi personaliter residemus, „ Anno, Mense, Die, & Indictione, quibus supra, presentibus honorabilibus & discretis Viris Domino Antonio de Petrinis de Tocco, Artium & Medicinae Doctorem, Dompno Petro Laurentii de „ Tocco Canonico Sulmontino, Domini Valvensis Episcopi in spiritualibus Vicario generali, Dompno Johanni de Tocco similiter „ Sulmonensi Canonico, Onufrio de „ Spallettis de Sulmona, Dompno „ Nicolao Todini de Bungiania, „ Gentilis Petrutii Nalli de Tocco, „ Diacono Johanni de Giffo, Mutio „ Cuti de Porta de Sulmona, testibus ad praemissa &c.

„ Ego *Bartholomeus Episcopus Valvensis* meia manu.

Innocentii III. Papae Bulla, qua Odoni Abbati Monasterii Sancti Johannis in Venere Lancianensis Dioecesis vetera jura ac privilegia confirmat, Anno 1204.

„ INnocentius *Episcopus*, servus servorum Dei. Dilectis filiis *Odoni Abbati Monasterii Sancti Johannis in Venere*, ejusque Fratribus „ tam presentibus quam futuris salutem & Apostolicam benedictionem in perpetuum. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domino Rectas facite semitas Dei nostri*, monet nos etiam rectitudinis ingredi . . . . quoniam fortitudo simplici via Domini. Recta ergo petentibus non est denegandus auditus, quia servorum Dei quieti pro „ nostro est officio providere, quatenus a secularibus tumultibus liberi in via Domini simplicibus animis fortiter praevaleant ambulare. „ Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus „ clementer annuimus, & prefatum *Monasterium quod ad honorem Sanctae Dei Genitricis & Virginis Mariae, Sanctique Johannis Baptistae*

„ *stae* constructum esse dignoscitur, „ ad exemplar felicis recordationis „ *Papae Victoris*, *Nicolai*, *Urbani*, *&* „ *Alexandri* praedecessorum nostrûm, „ *Romanorum Pontificum*, sub beati „ Petri & nostra protectione suscipi- „ mus, & presentis scripti privilegio „ communimus. In primis siquidem „ statuentes, ut Ordo Monasticus, „ qui secundùm Deum & beati Be- „ nedicti Regulam in eodem loco „ institutus esse dignoscitur, perpe- „ tuis ibidem temporibus inviolabi- „ liter observetur. Praeterea qua- „ scumque possessiones, quaecumque „ bona idem Monasterium in presen- „ tiarum juste & canonice possidet, „ aut in futurum concessione Ponti- „ ficum, largitione Regum vel Prin- „ cipum, oblatione fidelium, seu a- „ liis justis modis, praestante Domi- „ no, poterit adipisci, firma vobis, „ vestrisque successoribus & illibata „ permaneant, in quibus haec pro- „ priis * duximum exprimenda voca- „ bulis; Locum ipsum, in quo prae- „ fatum Monasterium situm est cum „ omnibus pertinentiis suis: posses- „ siones & alia omnia, quae in „ Theatino, Pinnensi, Aprutinensi, „ Firmanensi, & Termulanensi, Co- „ mitatibus obtinetis. In *Comitatu* „ *Theatino* has Cellas, videlicet San- „ cti Johannis in Malotraverso, San- „ cti Zaccariae, Sancti Benedicti, „ Sancti Romani, Sancti Severini, „ Sanctae Mariae ad Capellam secùs „ Ortonam, Sancti Pauli, & Sancti „ Petri cum Burgo ex altera ejus „ Ecclesias Sancti Georgii, Sancti „ Philippi de Palatio, Sancti An „ geli cum tertia parte Portus Orto- „ ne, Sanctae Mariae juxta rivum, „ qui dicitur Cr cis. In *Corte An-* „ *teana* Sanctorum Martyrum Legon- „ tiani, & Domitioni cum mille „ modiis terrae juxta se. In *Corte* „ *de Angrame* Sancti Calisti Sancta- „ rum Virginum Annae, & Petro- „ nillae, Sancti Ambrosii, Sancti „ Martini, Sancti Stephani ad Col- „ lem. In *Gipsis* Sanctae Crucis cum „ duodecim Mansnatis hominum, San- „ cti . . . . . . intra Oppidum sep- „ tem . . . . Sancti Nicolai, „ Cellas Sancti Johannis in Rocca „ cum Oppido suo, Sancti . . . . . „ cum Oppido suo, Sancti Germani, „ Sancti Eusanii cum Castello suo, „ Sancti Apollinaris cum Castello „ suo, Sancti Nicolai cum Castello „ suo, Sancti Viti, Sanctae Mariae „ in Callaria cum Castello suo, San- „ ctae Mariae in Cripta Ferrinea, „ Sanctae Mariae de Trillio cum Ca- „ stellis suis, Sancti Angeli in Pi- „ scho, Sancti Angeli Ocruhae cum „ Oppido suo, Sancti Marci, Sancti „ Quirici, Sanctae Luciae in Ar- „ gellis, Sancti Pantaleonis, Sanctae „ Crucis cum Oppido in Velar..... „ Sancti Ansuani, Sancti Johannis „ in Ragio, Sancti Pauli in Pisca- „ ria cum Oppido suo, Sancti Lau- „ rentii in Piscaria cum parte por- „ tus de Transverso ejusdem flumi- „ nis, & quartae partis ejusdem, „ Sancti Nicolai cum Oppido San- „ gro, Sancti Cantiani cum Castello „ Pallito, Sancti Martini de filiis „ Theobaldi, Sancti Petri in Bim- „ merio cum Serra sua & Cellis vi- „ delicet Sancti Bartholomei de Vi- „ cenda, Sancti Blasii de Monteni- „ gro, Sancti Nicolai de Plazano; „ & Ecclesiae Sanctae Agatae, San- „ cti Pancratii, Sancti Justini de Ca- „ sule, Sancti Petri in Ormo, San- „ cti Linari cum Castello suo, San- „ cti Petri cum Castello Resse, San- „ cti Petri in Parlasi Sanctae Ma- „ riae in Villa, Sanctae Mariae in „ Ge-

„ Geramo, Sancti Pauli, Sanctae „ Mariae de Rosa, Sancti Quirici „ in Rivo Plano, Sanctae Mariae „ in Basilica, & Sancti Petri in „ Portula. Oppida verò haec, Fossamcaecam, Castellummuratum, „ Ròccam de Salanis Girli, Paternum, Lentiscum, Montem Octaviani, Guastameroli, Portula Neiconica, Castellum versùs Valenianum, Petomurum, Senellam, Castellionem, Guastum Aimonis, Turricellam, medietatem Collis Martini, Illicem, Pinnam, Gipsum...., & Scorciosam, Casale Sancti Benedicti, Morum, Rivum Petri, & Pescoli. In *Comitatu Pennensi* Cellas Sanctae Mariae in Frisano, Sanctae Mariae in Ponsano cum Castello Casavetre, Sancti Michaëlis in Bocèceto cum Serra & Cellis suis, & Serra de Sanarico, Sancti Michaëlis in fine cum Serra & podio suo, & Sancti Petri in Campo Rotundo, Sanctae Mariae in Lopiano cum podio suo, Sancti Johannis in Rivo Sonelli, Sancti Johannis in Aquaviva cum Casali suo, Sancti Pelini, Sancti Johannis ad Poncillum, Sancti Antimi, Sanctae Mariae in Rigulo, Sancti Salvatoris in Rivoturbido, Sanctae Mariae in Villa, Sancti Nicolai in Planura, Sancti Laurentii juxta Gomanum, & Sancti Johannis ad Casamcombustum; Castellum ad mare,...... foveam, Cosenzam, Montemsilvanum, Civitatem Sancti Angeli, Ilicem Sanctae Crucis, Casamlariti, Ilicem Titilianam, Tesorum Sciorantem, Montem Galterii, Mortulam, Spartusanum, Vistamassetam, Roserum, Avianum, Romelisi......., Mittillanum, Casule, Murumaltum, Castellum Vechini, Montempictum, & Ecclesiam Sancti Joannis de filiis Tribuni. In *Comitatu Aprutiensi* Cellam Sancti Joannis in Gomano cum Castello suo, Cerrumbifurcum, Ecclesiam Sancti Caesarii, Sancti Donati in Salivo cum Castello Palmae, & Sancti Stephani juxta Ecclesiam Sancti Angeli, Montem Pagani, & Casale Sancti Martini in Gomano, Gratinium, Ripam filiorum Morelli, Curtem de Padone, Annotarum, Curtem totam de Bucelliano, tertiam partem Curtis de Semproniano. In *Comitatu Firmanensi* Cellam Sancti Petri cum Castello Paterno, Materone, Montemboranium, Castellum Nodestariscum, Caprillium Colmani, Ecclesiam Sancti Pastoris. In *Comitatu Asculano* totam Curtem de Salciano. In *Comitatu Camerino* terras cum suis cultoribus, in Curte Sancti Palumbi, mediam Curtem de Casciliano, quartam partem Curtis de........ In *Comitatu Termulanensi* Cellas Sancti Martini, Sanctae Mariae in Coronula cum Castello de Olivastro, & Ecclesias Sancti Januarii, Sancti Victorini, Sancti Laurentii, sextam partem proventuum Ecclesiae Sancti Salvatoris: *apud Lisinam* Cellam Sancti Archangeli...... *suburbia Ferrariae* Cellam Sancti Nicolai. In *Civitate Ravennae* Ecclesiam Sanctae Mariae ad muam tagliatam. In *Principatu Beneventanensi* Ecclesias Sanctae Mariae, & Sancti Johannis in Martio, Ecclesiam Sancti Anastasii. In *Civitate*...... *In Dalmatia apud Belgradum* Cellam Sancti Thomae; similiter etiam thelonium mercatorum & pontium, decimasque & oblationes mortuorum, rebus omni-

,, nibus. Chrisma verò, Clericorum ordinationes, & Monachorum, ceterorumque, qui sunt ad sacros Ordines promovendi, a quocumque volueritis Catholico recipiatis Episcopo. Intra totius Abbatiae nullus Episcopus, nisi a te invitatus, Synodum audeat celebrare, vel Clericos constringere, ut intelligas curam sane ad tuam sollicitudinem pertinere; specialiter tibi ab Apostolica Sede indultam. Obeunti verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet successione, astutia vel violentia praeponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Dei & beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Vos autem, filii, oportet collatam vobis gratiam in omnibus custodire, & tantis Sedis Apostolicae dignis operibus beneficiis respondere, ne libertate hac in occasione carnis & velamine malitiae abutamini, sed quanto a secularibus tumultibus liberiores estis, tantò amplius placere Deo totis mentis & animi virtutibus procuretis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimode profutura, salvâ Sedis Apostolicae auctoritate. Si quis autem in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona &c. (a)



Ego *Innocentius Catholicae Sedis Episcopus.*

,, ✠ Ego Stegus Ecclesiae Sanctae Caeciliae Presbiter Cardinalis.

,, ✠ Ego Jordanus Sanctae Pudentianae titulo Pastoris Presbiter Cardinalis.

,, ✠ Ego Gregorius Presbiter Cardinalis Sancti Martini titulo . . . .

,, ✠ Ego Johannes titulo Sanctae Priscae Presbiter Cardinalis.

,, ✠ Ego Censius Sanctorum Joannis & Pauli Presbiter Cardinalis titulo Sancti Pamachii.

,, ✠ Ego

(a) uti supra in Bulla Alexandri III. Papae.

„ ✠ Ego GG. titulo Sancti Vitalis Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Benedictus titulo Sanctae Susanae Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Octavianus Hostiensis, & Messi . . . . . Episcopus.
„ ✠ Ego Petrus Portuensis, & Sanctae Justinae Episcopus.
„ ✠ Ego Joannes Albanensis Episcopus.
„ ✠ Ego Gratianus Sanctorum Cosmae & Damiani Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Gregorius Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Virgilius Sancti Eustasii Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Matthaeus Sancti Theodori Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Joannes Sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis.

„ Datum Romae apud Sanctum Petrum per manus Johannis Sanctae Romanae
„ Ecclesiae Subdiaconi & Notarii, IV. Nonas Decembris, Indictione VIII.
„ Incarnationis Dominicae Anno MCCIV. Pontificatus verò Domini In-
„ nocentii Papae III. Anno Septimo.

Ad ista accedat Diploma Conradi I. Augusti, cujus apographum in Hospitali domo Sanctae Mariae Senensis vidit, & ad me descriptum misit, dum viveret, Cl. Vir Hubertus Benvoglientus Patricius Senensis, cujus eruditionem, subactum judicium, ac humanitatem, cum aliis in locis commemoravi, tum heic depredicare dulce mihi est. Agitur ibi de *Monasterio Sancti Salvatoris* constructo in *Monte Amiate* Dioecesis Clusinae. Ejus fundationem Ughellius Ital. Sacr. Tom. III. in Clusin. Episcop. retulit, factam a Ratchisio Langobardorum Rege, sed fabulis scatentem. Addidit etiam ejusdem Ratchisi Diploma, minime animadvertens patentia signa foetus omnino spurii. Quippe datum dicitur *Anno Incarnationis Dominicae DCCXLII, Indictione X, Anno Rachis Regis Tertio*, quum Ratchis Anno duntaxat DCCXLIV. Liutprando Regi successerit, neque *Annus Tertius* illius cum *Indictione Decima* concurrat, neque Langobardis Regibus mos fuerit Monogramma, & Epocham Dionysianam, sive vulgarem Annorum Christi, in suis Chartis adhibere. Mitto *Marchionum* nomen, tunc nondum natum, ibi occurrere: & subscribere *Wichingum Archicancellarium ad vicem Ledemari Archicapellani*, quod alienum prorsus agnoscas a Cancellaria Regum Langobardorum, immo ridiculum est; neque enim *Archicancellarius ad vicem* alterius signare Chartas consuevit. Mitto & alia. Neque Ratchis Rex, sed Liutprando regnante *Gregorius armipotens & robustissimus Dux* Langobardus *ejus aulae moenia a fundamentis dicavit*, ut habent versiculi quidam rudes & barbari, quos Ughellius ipse produxit. Verùm non insueta sunt ejusmodi figmenta. Vide Dissertationem XXXIV. *de Diplomatis*, & LXX. *de Immunitat. Clericorum*. Succedat itaque nunc Diploma, quod nuper pollicitus fui, unde constabit, quot Cellis, aliisque juribus

juribus frueretur olim Amiatinum Coenobium. Atque haec ad Historiam Monasticam Italiae aliquando inlustrandam usui erunt, ad quam rite pertractandam multa defecere diligentiam celeberrimi Mabillonii; atque optandum erat, ut hoc munere functus fuisset ad Italiae laudem ingenium felix, & omnigena eruditio P. D. Angeli Mariae Quirini Monachi Benedictini, nunc sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis amplissimi, & Episcopi Brixiani, qui hujus laboris specimen illustre dedit, ac majora sperare nos fecit. Nullus enim inter Eruditos ignorat, quantum Historiae Ecclesiasticae & Seculari Medii Aevi conducere possit Monastica eorum temporum Historia.

Conradi Augusti I. Diploma, quo omnia jura ac bona confirmat Guinizoni Abbati Monasterii Sancti Salvatoris in Amiate Clusinae Dioeceseos, Anno 1027.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Cunradus *divinâ favente clementiâ* Imperator Augustus. *Dignum est, ut qui prudenter Dei obsequia ordinare procurant, & hoc ad stabilitatem nostram, corroboratione confirmaremus exposcunt, ut tanto libentius obaudiant, quantò Deo placita intelligimus, & prudentia Deo protegente bono studio ad effectum perducere procuravimus. Igitur omnium fidelium sancte Dei Ecclesie ac nostrorum, presentium scilicet & futurorum, comperiat sollertia, quia dum nos dilecto fideli nostro* Guinizoni Abbati Cenobii Domini & Salvatoris in Monte Amiate *constructum ad regendum commiserimus, & ibidem neglecta Dei obsequia, & procurationem Deo ibidem famulantium, Predecessorum suorum incuriâ, multis modis reppperisset, studiosius decertavit Congregationem Monachorum Deo ibidem servientium regulariter corrigere, & solummodo divinis obsequiis deditos . . . . . ad sufficientiam suorum largiremus, quatenus Praelati jam fati Monasterii Domini Salvatoris, qui per tempora fuerint, ac successores illius Abbates vel Prepositi cum subjectis Monachis, victum ibidem Deo servientium in futurum sufficienter habere mereantur. Ob amorem Dei, remediumque anime nostre, ac successorum nostrorum regum aut Imperatorum, conferimus eis ad sufficientiam suorum* Cellam Sancti Benedicti *in* Bucino, *Curtem & Plebem Sancte Marie in Lamule, Curtem Sancti Stephani in Monticolo cum Castro Montelatronis, Curtem de Mustra cum Castro Montenegro, Curtem de Laminiana, cum Castro Montepenzutulo, sicut Ubertus ad manum suam detinuit, Curtem Sancti Miniati, Curtem Sancti Quirici in Piscinule, & Sancti Simeonis, & Sancti Peregrini, & Curtem Sancte Marie de Offena cum Rocca, que vocatur Sanine, Curtem de Palea, & Sancti Sebastiani, Curtem Sancti Stephani in Tutona, Curtem Sancti Clementis in Titiniano cum terris, & angariales, Curtem de Mussona cum terra de Redula majore & minore, & Bitena, & Canneta, & Herminula, medietatem de Curte Sancti Lazari cum sua Ecclesia, Curtem de Feroniano, Curtem de Citiliano, & Curtem Sancti Salvatoris in Vigugnano, Curtem Sancti Severi super Latum, & Curticellam de Bisenzo, Curtem Sancti Johannis in Vasriano, & Sancti Satenrani, Curtem Sancti*

cti Columbani, & Curtem Sancti Salvatoris in Villa Racana. Cellam Sanctae Marie in Valeriano, Curticella in Cartutule cum terra & vinea, que est prope fluvio Varano, Curtem Sancti Salvatoris in Campagnatico, Curtem Sancti Petri in Cervaria, & Curtem Sancti Stephani in Viniano, Curtem Sancti Severi in Paterna cum Campo Albiniano, Curticella, que nominatur Croscule, & Curticella in Cursiniano cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis. Cellam Sancti Petri in Laterra, & Cellam Sancti Petri in Garmarita cum Sancto Anastasio. Cellam Sancti Savini & Sancte Restitute, & Sancti Petri, & Sancti Stephani in Terquino. Cellam Sancte Marie in Gorgnitu per locas designatas. De una parte ripa cum Petra, quae divisa est a ripa. De alia parte via publica, que venit per portam, & terra Azonis filii Benzi cum suis consortibus. De quarta vero parte est terra filii Alonis. Ea videlicet ratione, ut ab hac in futurum predicta sancta Congregatio his omnibus denominatis Cellulis & Curtibus cum suis omnibus pertinentiis & adjacentiis, tantummodo suis utilitatibus habentes, victum vestitumque regulariter sumentes ab ulla dilatione, solummodo divinis die noctuque persistant obsequiis, ac pro stabilitate totius Imperii nobis a Deo commissi studeant exorare. Sed quod bono studio, bonaque voluntate fecimus, perhennem habeat stabilitatem, petiit pietatem nostram, ut eamdem ordinationem nostra confirmaremus conscriptione, sicut & fecimus. Denique etiam concedimus predicto Monasterio omnes Decimas, frea, & judiciaria, vel omnem compositionem & exhibitionem publicam ex omnibus manentibus desuper memoratis Cellulis & Curtibus ob remedium anime nostre, successorumque nostrorum Regum vel Imperatorum, qui per tempora fuerint, ad portam ipsius Monasterii conferendam semper ad usus peregrinorum sustendandos in alimoniam & augmentum anime nostre propter offensiones malorum ac pravorum hominum, que sufferre minime sustentare potuerant. Quapropter eidem sancto Loco hoc nostrum preceptum fieri jussimus, per quod precipimus, ut ab hac in futurum eadem sancta Congregatio cum omni quietudine absque ullo publico repetita, ac Rectoris loci ipsius subtracta easdem Cellulas & Curtes in suis utilitatibus ac necessitatibus habeant, & ordinent, faciant, & disponant, quatenus exinde sufficientiam habentes in divinis obsequiis, & nobis eorum famulatio perficiat sempiternale remedium. Si qua vero, quod futurum minime credimus, magna parvaque persona contra hoc nostrum &c.

Signum Domni Cunradi  Invictissimi Imperatoris Augusti.

Hugo Cancellarius vice Domini Aribonis Archiepiscopi & Archicancellarii recognovit.

Data Anno Dominice Incarnationis MXXVII. Regni verò Domni Cunradi Secundi Regnantis III. Imperii ejus Primo, Indictione X.

Data in Civitate Leoniana, Nonis Aprilis.

Alte-

Alterum ejuſdem Conradi Diploma, datum Anno MXXXVI. eidem Guinizoni Abbati produxit Ughellius. Tertium Henrici Sancti Regis, ac poſtea Imperatoris, ego dabo in Diſſertatione LXXII. *de Cauſſis imminut. olim Eccleſiaſtic. poteſt.* Atque haec de *Cellis & Eccleſiis* ad ſingula ferme Coenobia olim pertinentibus. Nunc alterum mihi memorandum eſt: videlicet antiquis temporibus invectum fuiſſe morem, ut praeſtantiora, ſive ut ajebant, *fortia* Monaſteria quibuſcumque poſſent minoribus Monaſteriis dominarentur. Quod duobus modis contigit. Aut enim ſponte ejuſmodi minora Monaſteria ſeſe ſubjiciebant majoribus, aut poteſtate aliquâ legitimâ aut illegitimâ cogente, jugum ſubibant. Ad primum quod attinet, nulla dubitatio eſt, quin Monaſteria olim, quo plures nutriebant Monachos, & Regularis obſervantiae ſtudio fervebant, eo ampliora Privilegia a Regibus impetrarint. Celeberrima hoc titulo antiquioribus Saeculis fuere in Gallia Lirinenſe, Agaunenſe, & Luxovienſe. Et Aiſtulphus Langobardorum Rex in Lege X. inter Leges Langobardor. id innuit, majori favore ea Monaſteria proſequutus, quorum Abbas talis ſit, *qui per Regulam ſecundum Deum vivat, & ſibi ſubjectos Monachos uſque ſexaginta & amplius habeat, qui cum eo regulariter vivant.* Vulturnenſe Monachos quingentos, longe plures Nonantulanum aluiſſe feruntur. Duplici ergo de cauſsâ Monachi in Monaſteriis exilibus aut mediocribus degentes, pinguiorum ditioni ſeſe committebant, ſive quod eâ ratione communia ſibi fiebant illuſtris ac ditiſſimi Monaſterii, cui ſe tradebant, Privilegia; ſive quod apud ſe invectam aut reſtitutam cupiebant Monaſticam diſciplinam, quae uti noſtris temporibus, ita quoque vetuſtis, diligentius obſervabatur in majoribus Monachorum coetibus, quàm in minoribus. Ad haec Majoribus interdum Monaſteriis Minora ſubjiciebantur ab illorum piis Conditoribus, ut potentiori patrocinio contra improbos ſacrorum raptores fruerentur. Proſtant in Bullario Margarini Bullae ac Diplomata, & in Chronico Caſinenſi monumenta varia, quae fidem faciunt, celeberrimo Caſinenſi Coenobio ſubfuiſſe complura alia Monaſteria. Ex iis verò minoribus Monaſteriis nudum tantummodo nomen nunc ſupereſt in Chartis, at nullum in locis veſtigium. Petro Diacono teſte Lib. 4. Cap. 18. ejuſdem Chronici Caſinenſis Oderiſius Abbas, ſive pro eo Georgius Monachus, *in praeſentia Henrici IV. Imperatoris, & Henrici V. filii ejus, & Mathildae Comitiſſae proclamationem fecit de poſſeſſionibus Coenobii Caſinenſis apud Liguriam poſitis:* quod ſane mirum, immo falſum mihi videtur, quum nuſquam legerim, Mathildem Comitiſſam conventum ullum temporibus iis inſtituiſſe cum Henrico inter Reges Quarto, inimico Eccleſiae & ſuo, quem a communione Fidelium Romani Pontifices dudum ante excluſerant. Proclamationem, inquam, feciſſe traditur *de Monaſterio Sancti Benedicti in Perſiceta territorio Mutinenſi. De Monaſterio Sanctae Mariae in Laurentiaco. De Monaſterio Sancti Domnini in Curte Argellae. De Monaſterio Sancti Johannis in Fraſſenetula. De Monaſterio Sancti Martini prope Caſtrum Unciola. De Monaſterio Sancti Salvatoris in Pontelongu cum tota eius eâdem Curte per Comitatum Mutinenſem.* Ne rudera quidem ſuperſunt ejuſmodi Monaſteriorum. Neque tantùm

tùm in continenti Italiae, sed & in Gallia, in Dalmatia, atque in Insulis erant Casinensi Monasterio alia subjecta. Inter cetera verò commemorat idem Leo Lib. 3. Cap. 23. & seq. Barasonem in Sardinia Regem circiter Annum Christi MLXII. Monachos a Casinensi Abbate Desiderio expetiisse ad fundandum in Sardinia Monasterium, Casinensi addicendum. Quod & biennio post factum est. Alterum quoque per ea tempora aedificavit Torkitorius alter Sardiniae Rex, illudque per *Chartam beato Benedicto contribuit*. Hoc mihi revocat in mentem par consilium alterius Barasonis in Sardinia Regis, illius nempe, cujus multa est mentio in Annalib. Genuensib. Caffari, in Pisanis, aliisque Historiis; & multa ego quoque disserui in Dissert. V. *de Ducibus*, & in Dissert. XXXII. *de Origine Linguae Ital.* Nam & ipse Monasterium aedificandum curavit, & Casinensi subjecit, ut subsequens Charta indicabit, ex ejusdem insignis Coenobii Tabulario descripta.

Barasonis in Sardinia Regis Diploma, quo Ecclesiam Sancti Nicolai de Gurgo donat Monasterio Montis Casini, ut ibi statuatur novum Monasterium, Anno 1182.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Peccatorum pondere praegravatis principale reperitur remedium, ut temporalem substantiam Christi pauperibus errogare festinent, Domino ipso dicente: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Et iterum:* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. *Ideoque hanc vocem audiens ego* Parason Arboreae Rex & Judex, *Avi & Patris mei sequens per posse pia vestigia, consentiente uxore mea* Regina Algaburga, *necnon & Episcopis nostris* Mariniano Zorraki de Terra Alba, & Comitano Pais de Ala, *pro redemptione animarum nostrarum, & parentum nostrorum,* donamus atque concedimus Ecclesiae Sancti Benedicti de Monte Casino Ecclesiam Sancti Nicolai de Gurgo *cum omnibus pertinentiis suis, cum servis & ancillis, terris, vineis, cultis & incultis, saltibus & pratis & silvis atque piscationibus, nec non & animalibus, & cum omnibus, quae in Cartulis ejusdem Ecclesiae scripta continentur: tali pacto atque conventione,* ut duodecim ibidem ad Deo serviendum, *si tamen supradicta Ecclesia hoc substinere sine sui detrimento potuerit,* dirigat Monachos, *ex quibus tres vel quatuor ita sint literati, ut, si necessarium fuerit, in Archiepiscopos & Episcopos possint eligi, ac etiam Regni nostri negotia sive in Romana Curia, vel in Curia Imperatoris, & ubique valeant tractare. Si verò tantos substinere non potuerit praedicta Ecclesia, septem, vel quantos secundùm consilium nostrum visum fuerit, transmittat. De qua Ecclesia viginti Bisantios & non plus annuatim accipiat Ecclesia Sancti Benedicti Montis Casini, nisi fortè aliquid intervenerit eidem Ecclesiae impedimentum, vel pro Curia Romana, vel pro guerra, vel certe pro Regis sui negotio, vel etiam pro comparatione alicujus terrae. Mihi autem vel alicui alteri non liceat aliquo modo supradictam Sancti Nicolai repetere vel inquie-*

inquietare Ecclesiam, si supradictam tenere voluerint conventionem. Testes Marianus Zoraki Episcopus Terralbae, & Comitanus Pais Episcopus Ale, *& Porthus Curator de Capitano, & Comitanus de Lacon, Pedes Curator de Valenza, & Constantinus Spanus Curator de Fradoriane, Judex Parason de Gallul Curator de Mili, Orzocho de Lacon filius meus Curator de Gilciber, Orzochor de Lacon, Arborikesus Curator de Barbaria Demeana, Constantinus Mama Curator de Mandra Olisai, Johannes de Vinea, Bujakeson major cum totis suis sociis, Petrus Paganus, quamvis indignus Sacerdos, qui haec omnia scripsit. Si quis autem circa hanc nostrae donationis Cartulam aliquid moliri voluerit, omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, nec non & Beatae semper Virginis Dei Genitricis Mariae, & omnium coelestium Virtutum, & sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium incurrant maledictionem electorum: amen. Qui autem huic Cartulae consenserint, & eam confirmaverint, & verum esse crediderint, habeant benedictionem Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, necnon Beatae semper Virginis Dei Genitricis Mariae, & omnium coelestium Virtutum, & Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum: Amen.*

Haec omnia sunt ordinata & firmata Anno Millesimo Centesimo Octagesimo Secundo.

Locus Sigilli ✠ plumbei.

Ita Farfensi, Vulturnensi, Perusino, Padolironensi, Nonantulano, Romano Sancti Pauli, Ambrosiano &c. alia Monasteria suberant. Ita in Dissertatione XVII. *de Fisco*, Chartam produxi indicantem, *Monasterium Pistoriense Sancti Bartholomaei* fuisse subjectum *Monasterio Parmensi Sancti Johannis Euangelistae*. Neque aliter factum de Monasteriis Graecorum, inter quae splendidiora aliis minoribus sibi adjunctis imperabant. In Dissertatione V. *de Ducibus* vidimus *Monasterium Neapolitanum Sanctorum Sergii & Bacchi congregatum in Monasterio Sanctorum Theodori & Sebastiani*, cui praeerat Anno MXLIV. *Laurentius Hegumenus*. Idem per aliam Chartam confirmatum videas, quam ad me ex Neapolitanis membranis descriptam misit Vir Clariss. Nicolaus Carminius Falco, nunc Episcopus Marturanensis, sed iis tenebris circumseptam, ut praestare non possim certum Annum, quo scripta fuerit. In eo expiscando feliciores erunt Lectores.

Concordia inter Sergium, sive Gregorium Episcopum Neapolitanum & Sergium Hegumenum Monasterii Sanctorum Sergii & Bacchi, Anno . . . .

IN *nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperante* Domino nostro Basilio *magno* Imperatore, *Anno Sexto, sed &* Nicephorio & Constantino *magnis* Imperatoribus *Anno Tertio, die XI. Mensis Martii,*

Indi-

Indictione Nona, *Neapolis*. *Horta est itaque intentio inter nos* Sergio *gratiâ Dei* Episcopi sancte Sedis Neapoli, *& vos videlicet* Sergio *umilem* Ygumeno Monasterii Sanctorum Sergii & Bacchi, *qui nunc congregatus est in* Monasterio Sanctorum Theodori & Sebastiani, *situm in loco, qui vocatur Casapicta in Viridario, de altercationem, quam inter nos habuimus de una terra, que vocatur Cicanellum, posita in Quarto majore, abente ha parte Horientis & ha parte Septentrionis, Gualdum scripti sancti nostri Episcopii, & a parte Meridiei est egripus, qui est in terre & campu, qui vocatur Catitianum, & a parte Occidentis est terra vestra scripti sancti vestri Monasterii qui fuit quondam Timothei Monachi vestri, qui in laicatum Taurus vocabatur, quomodo inter se tres termines exsinat. Unde vos quesivi, dicendo:* Pars nostra scripti sancti nostri Episcopii, quod scripta terra nostra est, & nos & scripto sancto nostro Episcopio illa dominavimus per quadragintam annos, & vos, nec Antecessores vestris illam non dominastis intus quadragintam annos. *Unde multa altercationem exinde inter nobis habuimus. Unde judicatum est inter nobis exinde, ut si potuerit pars scripti vestri Monasterii hostensionem facere, quomodo intus quadragintam annos scriptus Monasterius vester illa dominasset aut tenuisset intus quadragintam annos, ego ponere vobis exinde securitatem. Sin autem jurare pars scripti nostri Episcopii vobis, & dicere, quia scripta terra, scripto nostro Episcopio ea tenuit, & dominabit, quem saudam quem per escaticum, vel si lavorata fuit per quadragintam annos; vos poneretis nobis exinde securitatem. Post autem oc dato, & affirmato judicio, Domino Deo auxiliante, qui est amator pacis, combenientiam inter nobis exinde fecimus absque omni sacramenta, & in presentis divisimus scripta terra vobiscum per medietatem per traversum. Unde benit in scripto nostro Episcopio medietas a parte Horientis juxta scriptum Gualdum nostrum. Unde alia medietas exinde a parte Occidentis benit vobis in scripto vestro Monasterio juxta scripta terra scripti vestri Monasterii, qui fuit de scripto Timotheo Monacho vestro, qui in laicatus Taurus vocabatur, quomodo inter ipsa portione vestra, qui est a parte Occidentis, & inter ipsa portione nostra, qui est a parte Horientis, tres termines exsinat. Primo termine marmoreum, quod est silici, qui est fictus in scriptum egripum a parte Meridiei, qui est inter ipsa terra & scriptum campu, qui vocatur Catitianum; & retrum in secundum terminem, qui est fictus in medio loca; & ab ipso secundo termine retrum in tertio termine, scilicet marmoreum, qui est fictus & exsinat inter scripta terra, & scriptum Gualdum nostrum, qui est a parte Septentrionis. Et abet scripta portio vestra pro mensura da scriptum terminem, qui est fictus in scriptum egripum, qui est a parte Meridiei, & usque ad scriptum terminem tertium, qui exsinat inter scripta terra, & scriptum Gualdum nostrum, qui est a parte Septentrionis, passi sexaginta tres. Et iterum a parte Occidentis juxta scripta terra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, ab alio termine, qui est fictus in scriptum egripum inter scripta terra, & terra scripta vestra, qui fuit scripti Timothei, usque ad alium terminem, qui est a parte Septentrionis inter scriptum Gualdum nostrum & scripta terras vestras, & scripta halia terra vestra, qui fuit scripti Timothei, passi sexaginta quinque. Et a parte Meridiei*

diei per ipsum egripum a scripto primum terminem, qui est fictus inter scripta medietate nostra, qui est a parte Horientis, & inter scripta medietate vestra, qui est a parte Occidentis, usque ad ipsum alium terminem, qui est fictus inter ipsa medietate vestra, qui vos a nos tetigit, & inter scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, habet passi sexaginta dui. Et a parte Septentrionis inter scriptum Gualdum nostrum, & inter ipsas terras vestras, quomodo tres termines exfinat. Insuper desinivi vobiscum & de scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, qui in laicatus Taurus vocabatur, qui est juxta scripta terra, quam vos a nos tetigit, posita in eodem loco Cicanellum, qui ad ipsa terra scripti Timotheo Monacho vestro habet fines a parte Horientis scripta terra, qui nos a vos tetigit, sicuti termines exsinat, & a parte Meridiei est egripum de scriptum campu de Catitiano, & in aliquantum de via, qui badit inter ipsa terra & campu scripti vestri Monasterii: & a parte Occidentis est terra scripti nostri Episcopii, sicuti inter se fossatus communalis exsinat, seu & termines exsinat, quod sunt tres; hoc est, a primo terminem, qui est fictus juxta suprascripta via in ripa a parte vestra, in capite est ipsum fossatum communale, & retrum in secundum & in tertium terminum, qui sunt ficti in ripa ha parte vestra scriptum fossatum communale, & a parte Septentrionis & scriptus Gualdus scripti nostri Episcopii, sicut inter se quatuor termines exfinat, qui exsinant inter scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, & inter scriptum Gualdum nostrum. Ita ut av odiernam die & semper neque a nobis scripto Gregorio *Domini gratiâ* Episcopi *scripte* sancte Sedis Neapolitane Ecclesie, *neque a posteris nostris, nec a scripto sancto Episcopio nostro, neque a nobis summissas, nullo tempore nunquam vos scripto Sergio venerabili Ygumeno, aut posteris tuis, nec scriptus sanctus vester Monasterius, quod absit, nunquam habeatis exinde de scripta terra, qui vos a nos tetigit, ut supra legitur, neque de scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, qualiter, & quomodo per scriptis finis & terminis seu passi exgregavimus, ut supra legitur, habeatis quacumque requisitionem aut molestiam a nunc & in perpetuis temporibus. Quia ita nobis stetit adque combenit. Si autem aliter fecerimus de his omnibus scriptis per quobis modum aut summissas personas, tunc compono ego & posteris meis, scriptoque nostro Episcopio, vobis, vestrisque posteris auri Libras una bysantea. Et ec Chartula securitatis combenientie, ut supra legitur, sit firma.*

Scripta per manum Johanni Curialis scribendam rogavi per scripta Nona Indictionem.

✠ Gregorius Episcopus *subscripsi.*

✠ *Ego Gregorius filius Domni Sergii, rogatus a suprascripto Domno Gregorio Episcopo, testis subscripsi.*

(*) ✠ ЄΓΟ CΤЄΦΑΝΟΥC ΔΝ Ιω ΡΟΓΑΤΟΥC Α CCΤΟ ΔΝ ЄΠΙCΚΟΠΟ ΤЄCΤΙ CΟΥΒ.

✠ *Ego*

(*) Hoc est: EGO STEPHANUS DomNi IOhannis ROGATUS A SupraScripTO DomNo EPISCOPO, TESTIs SUBscripsi.

✠ *Ego Gregorius filius Domni Johannis, rogatus a suprascripto Domno Gregorio Episcopo testis subscripsi.*

✠ *Ego Johannes Curialis, qui supra scriptor, post subscriptionem testium complevi & absolvi die, & Indictionem per scripta Nona.*

Illud primo crucem mihi fixit, nempe *Sergium Neapolitanum Episcopum* in prioribus Chartae lineis occurrere nobis; ac deinde *Gregorium* ejusdem Sedis Antistitem, qui & subscribit. Quare pro *Sergio* scribendum videtur *Gregorio*, nisi duos Episcopos eodem tempore Neapoli statuamus: quod alibi factum vidi, quum unus ordinarius foret, alter Coadjutor, & Successor destinatus; aut unus Latinis, alter Graecis praeesset. Certe Neapolis utrumque Populum alebat. Secundò perpendet Lector, quem Annum Aerae nostrae indicet *Annus Sextus Basilii* Graecorum Imperatoris, & *Tertius Nicephori & Constantini*. In Catalogo Archiepiscoporum Neapolitanorum apud Ughellium recensentur post Annum Millesimum *Sergius I.* & *Sergius II.* & *Gregorius* Archiepiscopi Neapolitani. Floruit autem Sergius I. sub Imperio Basilii & Constantini filiorum Romani junioris. Sed cum iis consortem Imperii nullum invenio *Nicephorum*; & si quidem de illis heic sermo est, Ughellius, & Ciocearellus emendandi sunt, qui seriùs quàm par sit exordium Sergii I. statuunt. Ita Sergii II. & Gregorii Episcopatus ne ipse quidem tres illos Imperatores conregnantes habet. Quare anceps silere malo quàm judicare. Animadvertas etiam, in Charta hac *Sergium*, aut *Gregorium*, non *Archiepiscopi*, sed *Episcopi* duntaxat titulo uti. Archiepiscopalis autem dignitas aut usurpata a Praesulibus Neapolitanis, aut rite eis conlata censetur tantummodo post Annum a Christo nato Millesimum. Videndum ergo, dum Charta haec germana statuatur (de quo tamen ego non dubito), an Ughellius rationes recte inierit in aetate Praesulum illorum signandâ, aut num aliquem ex iis ipse ignorarit, & cuinam Anno tribuendae sint notae illae Chronologicae: neque enim ultra ego in hisce tenebris depellendis fatigari volens, cursum priorem resumo. Celebri quoque & omnium antiquissimo *Sublacensi Coenobio* subjunctum fuit *Monasterium Sancti Erasmi*: cujus rei testes tabulas, una cum Bulla ac Diplomate nunc evulgandis, ad me misit Nicolaus Aloisius, sacrae Eruditionis cultor, ex Archivo sacri illius Loci descriptas.

Charta emphyteusis factae a Leone Abbate Monasterii Sublacensis Stephaniae illustri mulieri ad preces Benedicti eminentissimi Ducis, Anno 883.

ANno, Deo propitio, Pontificatus Domni Marini summi Pontificis, & universalis Papae *in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Primo, Indictione Prima, Mense Aprilis die VI. Benedictus Deus, qui justitiam ab injustitia discernit, & altercatione jura, cujus proprietatis sit, restituit. Igitur breve recordationi facta, qualiter libello tertio generi de Casina* Monasterii Sancti Herasmi, *quem facere visa fuit* Friberga nobilissima femina *ad nomen* Adria-

driani *quondam bone memorie Scriniario seu Marito quondam illustris femine, jugalibus, intro domum* Domni Benedicti eminentissimi *viri & gloriosi* Duci, *ante presentiam eodem Ducem, & ordinarios Judices, videlicet Nicolaum Primicerium, Georgium Secundicerium, Leonem Scriniarium, ceteris quamplurimis nobiliores homines, a* Stephania illustris femina *relicta a quōdam suprascripto Adriano Arcario, sed Adriano nobili viro pribigno suo suprascripto libello, & tertio genere* . . . . . Leonem *Domini gratia* religioso & angelico Abbati *venerabilis* Monasterii Sancti Benedicti, *& suprascripti Monasterii Sancti Herasmi, situm in Celio Monte, cum suis Monachis religiosis, videlicet Leone Prepositus, Leo qui vocatur Franco, & ceteris namque Monachis suis suprascripto Monasterio. Prefatum Leonem venerabilem Abbatem dixit ad suprascriptam Stephaniam illustrissimam feminam, & ad suprascriptum Adrianum privigno suo:* Spero, ut de eadem Casina Preceptum, & aliam Chartam habeatis. *Tunc respondit ipse, & suo privigno:* Nullam quamlibet Chartam neque Praeceptum exinde habemus. *Tunc pro rogatu & interventu suprascripto Duci Libellum de undecim Casinis in Quinto foris Portam Sancti Joannis site predicto Abbati ad eandem Stefaniam & suo privigno fecit, vite illorum fruendos, & post annuatim pensionem solvendum, sicut in eodem Libello legitur. De duabus ipse persone, qui antea migraverit, medietatem suprascripte Casine ad jam dicto Monasterio revertantur. Iterum prefatus Abbas & suis Monachis ad supradicti ordinarii Judices dixerunt:* Postquam dicunt, amplius exinde nullam quamlibet Chartam neque Preceptum habere, dicite, quid exinde sit? *Tunc Judices dixerunt, & judicaverunt:* Dum illi ante nostram presentiam negant, & dicunt, amplius exinde non habere quamlibet Chartam neque Preceptum ipsis aut eorum heredibus in quolibet tempore ostendunt roborem firmitatis habentem, preter Libello hoc, qui ante nostram presentiam . . . . vita illorum illis factum est. *Unde pro futura memoria hanc brevem memoratoriam suprascripti Judices mihi Leonem Scriniarium & Tabellium Urbis Rome rogaverunt scribendam, in qua & ipsissima manu propria subscrip erunt in Mense & Indictione suprascripta Prima.*

Nicolaus Domini nutu Primicerius summe Sedis Apostolice in hac brevi memoratoria a nobis promulgata interfui & subscripsi.

Georgius Dei providentia Secundicerius sancte Sedis Apostolice in hanc brevi memoratoriam interfui & subscripsi.

Neque isti Monasterio tantùm, sed & aliis olim dominabatur Sublacense Coenobium, uti fidem facient Pontificiae Literae ex eodem Tabulario depromtae.

Bulla Johannis XII. Papae, per quam Leoni Abbati omnia Sublacensis Monasterii bona & jura confirmat, Anno 958.

JOhannes Episcopus, *servus servorum Dei.* Leoni *venerabili Presbitero ac Monacho atque* Abbati *venerabilis* Monasterii Sancti Benedicti & Sancte Scolastice, quod ponitur in Sublaco, *sancteque tue Congregationi, successoribusque vestris in perpetuum. Cum pie desi-*

desiderium voluntatis & laudandæ devotionis intentio Apostolicis sint semper de his adjuvandis, quorum est solicitudo adjuvanda, ut ea, que legaliter geruntur, equitate & firmitate consistant, & nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure atque auctoritate debeant permanere: ob hoc Apostolicis promulgatis sanctionibus propria unicuique, que rationi suppetunt, fas exigit possidenda confirmari. Et ideo quoniam constat, sanctitatem vestram plurima sanctorum loca acquisisse, & cuncta in honore & utilitate, vestrique venerabilis Monasterii jure & ditione pertinere, & diversos agros una cum Castellis & possessionibus, & famulorum multitudine videmini habere; que omnia sub tue reverentie ditione, sanctæque tue Congregationis, successorumque vestrorum servorum Domini, in perpetuum eadem Loca venerabilia & agros seu Massas & possessiones, cum omnibus originalibus famulis ibidem manentibus, cum colonis & colonabus, vel universis inibi pertinentibus, Apostolice Sedis Privilegiis poposcitis confirmari detinenda. Scilicet Castellum in integrum, quod vocatur Sublaco sive quibus aliis vocabulis nuncupatur, una cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, terris, casis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis aque perhennis edificii parietinis, attiguis, adjunctis, adjacentibusque suis, cultum & incultum, vacuum & plenum, una cum colonis & colonabus utriusque sexus illis pertinentibus, simulque cum glandaticis, herbaticis, vel qualibet alia datione, que ad Castelli jus pertinet, & nostre sancte Romane Ecclesie soliti sunt persolvere. Illud vobis pleniter cum omnibus suis ubique pertinentiis & adjacentiis perpetualiter ad usum & utilitatem Sancti Benedicti Cenobii confirmamus, & roborabiliter stabilimus detinendum sine aliqua datione, una cum flumine, sicut incipit a Petra Imperatoris recte in Ponte Terraneo per venas incedendo usque in Lacum, qui est sub ipso Monasterio cum aquimolis suis, & deinde recte in Silicella & Saliceto, & per locum, ubi Mandra vocatur, cum aquimolis ibidem habentibus, & deinde per Pontem descendentes in Sancto Angelo, item in Sancto Petro, & deinde in prata de Ajano. Similiter & aliam aquam, que Cona vocatur, sita in ipso flumine, & deinde in aqua, que Flumicello vocatur, una cum Augusta, & Bullica, atque Timida, omnes decurrentes in supradicto fluvio, & usque in territorio Sancti Cosme. Cum ripis & plagis omnibus prenominatis ab utraque parte in integrum pertinentibus: cum omnibus loci ipsius aquis, ubi aquimoli facti sunt, & facere poterit, sive ubicumque pisces capere potuerit in totis aquis supradictis. Nec non & Ecclesiam Sancte Felicitatis sine aliqua datione vobis vestrisque successoribus perpetualiter concedimus detinendam in usum & salarium suprascripto vestro venerabili Monasterio. Pari modo & Massam, que vocatur Lubenzana, & Intermarana in integrum cum fundis & canalibus, & omnibus casalibus suis, ubicumque ad ipsam Massam pertinentibus: videlicet Fundum Canterano, & Marano, Seminarum, atque Oricula, & Arsula, Bulsinianum, Toccanellum, Marcatellum, Fundum Paternum, Fundum Aprunio, Fundum Arpellum, Fundum Lenanu, Fundum Tessine, Montes qui vocantur Gemini, descendentes in Trellano, Monte Gordiano, Fundum Sassa, & Colle de Ferrari, & Monasterellum, & alium Monasterellum, Piscano, & Coloniam juxta Sanctum Valerium ex

ex duobus lateribus, & medietatem de Ibice, Fundum Miniano, Fundum Castaniola, & Lorilliano, Sancta Cecilia, Fundum Boberanum, Fundum quod vocatur Valle, cum Ecclesia Sancti Eleutherii, Fundum quod vocatur Capramolente cum Ecclesia Sancti Anastasii. Massam, que vocatur Ampolloni, cum Ecclesia Sancti Martini. Fundum Paternum, quod appellatur Pentima, Fundum Bruvano, Fundum Sancti Pamphili, Fundum Danieli, Fundum Merulana, Fundum Paccano, Fundum Tospoliano cum Ecclesia Sancte Marie, & Sancti Lucentii, Fundum Sancti Cirici, Fundum Cispa, Fundum Romani cum Ecclesia Sancti Angeli, & Sancti Felicis, inter affines ab uno latere fluvium Tivertino, & a secundo latere Papi, & a tertio latere Arco Fulgurati; & descendente in Monte, ubi sunt Cipressi, veniente in Monte, qui vocatur Bulturella, & recte per Sancta Maria descendente in Piscano. Et cum omnibus ad suprascriptam Massam in integrum pertinentibus. Simili modo Fundum Caliscano in integrum cum Ecclesia Sancti Petri.

Necnon Monasterium Sancte Barbare, & Sancti Anastasii *cum Corticellis duabus, una ante se, & alia post se, cum casis & fundis atque casalibus suis, cum omnibus ad eas in integrum pertinentibus, positum intro Civitate Tiburtina; atque medietatem de Ecclesia Sancte Marie ibi in ipso, cum casis, vineis & terris & omnibus pertinentiis suis trans Tiberim juxta Pontem marmoreum, atque clusuram super se in integrum de vinea, que appellatur Valle Arcese, & clusuram super se in integrum vineatam, cum arboribus olivarum. Et Ecclesiam Sancti Sebastiani, & modicam vineam ante se cum oliveto, atque clusuram de vinea, que ponitur subtus Posterula Tiburtina juxta Silice, qui vocatur Quarrati. Pari modo clausuram in integrum super se de vinea, que vocatur Ortu Magno. Fundum Casaperta, clusurellam de vinea, que vocatur Asorbo, portionem in Prato majore, quo fuit de* Galvo Episcopo; *Fundum Stafilanum in integrum, fundum Romaniano in integrum, fundum Patelini in integrum, fundum Ozano in integrum, fundum Criptule, fundum Panzi, fundum Diruti, fundum Agnaniole, fundum Macroniano, fundum Semissano, fundum Paternum, Vallelonga, fundum Sancte Marie in Pesile, fundum Donabelli, fundum Factoro, fundum Lucu, fundum Catacumba cum Ecclesia Sancti Laurentii, fundum Asri cum prenominatis fundis in integrum omnibus positis territorio Prenestino & Tiburtino. Item clusuram de vinea, que vocatur Ancarano, in integrum cum arboribus suprascriptis: terram & vineam, que appellatur Pentuma, que fuit de Tetualdo Presbitero: petias duas de vinea ad Sanctum Laurentium in duobus locis: itemque fundum Porclanicum in integrum cum omnibus suis pertinentiis: fundum Otorano, fundum Arcerano, fundum Palasano, fundum Cesuline, fundum Olebano, fundum Campelione, fundum Ojano & Priano, fundum Cammerano, fundum Collemundum, Catilano, Cocubalo, Pacurano. Ecclesiam Sancti Angeli cum omnibus suis pertinentiis, posita in territorio Ferentinello minore, omnia territorio Campanino. Verum etiam fundum Falconiano cum Ecclesia Sancti Nicolai, fundum Fontiniano, Colle de Morelli, fundum Toccanellum, fundum Capla, fundum Oraro, fundum Gratuliano, fundum Cerviano, fundum Labezano, fundum Casanico, fundum Domum cum Ecclesia Sancti Petri, fundum Pouzia, fundum Pozzorosano cum vinea clausura super se, que ponitur juxta Casanico, & Val-*

& Vallem modiorum quatuor cum Castanieto suo juxta Sanctum Petrum, cum terris, vineis & casis atque silvis per diversa loca, territorio Aquilano positam. Itemque territorio Albanense fundum Sorano cum vineis seu terris & criptis, & Ecclesia Sanctorum quatuor: fundum Silva Majore: portionem, que fuit de Floro Episcopo: *petiam de vinea in Zizinni, seu & clusuram de vinea in integrum, que ponitur in fundo Cerasano. Necnon Casinas duas ad Pontem Salarum; portionem de Palmi cum terris & hortis. Prata duo juxta Portam Majorem. Casalinas duas, unam in Pedica, que vocatur Burdunaria, & aliam in Campo Majore. Pari modo domoras in integrum cum cortis & hortis, & Ecclesia Sancti Theodori, positas infra Civitatem Romae juxta Porta Majore, sicuti fuerunt de* Floro Episcopo. *Similiter domoras, que fuerunt de Johanne & Stephano de Griphi, cum corte & pergule & hortulo juxta Formam Claudiam. Et vineam clusuratam in integrum cum arboribus pomiferis, cum criptis juxta viam, que ducit ad Jerusalem. Simili modo domum in integro cum corte & hortulo & vinea, & cum omnibus ad eam pertinentibus, positam Rome Regione Septima, in qua domo est Ecclesia Sancti Viti. Necnon & vineam seu terram juxta Jerusalem. Item clusuram de vinea in integrum in Albano in fundo Zizinni, petie sex: atque domum in integrum cum hortulo, positam juxta Sanctum Martinum. Similiter domum cum corte, que ponitur in Sibura.*

Pari modo & Monasterium Sancti Erasmi *cum omnibus suis adiacentiis vel pertinentiis, sicut in vestro continetur Precepto: pariterque petias duas de vinea Inosti, una quidem in fundo Mauri, & alia in Calabriseto. Similiter pratum cultum & assolutum fundo Aguzanu. Que suprascripta cum omnibus Fundis, seu Casalibus, Massis, Ecclesiis, Monasteriis, domibus, hortis, vineis, servis, & ancillis, colonis & colonabus, fluminibus & aquimolis, piscariis, sicut supra legitur, vel etiam in aliis partibus vel Civitatibus, ubicumque vestrum venerabile Monasterium tenere & possidere videtur per quodcumque instrumentum Cartarum, tam per Precepti paginam, seu Privilegii jura, necnon per commutationes seu donationes, & omnia, que fideles Christiani vestre sancte Congregationi pro suorum venia delictorum donaverunt, vel undecumque Cartulis tam vetustis quamque etiam novis in vestro Monasterio habere videmini, roborabiliter vobis vestrisque successoribus per hoc nostrum Apostolicum Preceptum confirmamus detinendum perpetualiter atque perhenniter. Verumtamen confirmamus vobis Casale unum in integrum, quod vocatur . . . . juxta Quartum cum prato suo inter affines, a primo latere Casale, quod vocatur Barbilianum, & ab alio latere fundum Munitula, saliente ab ipso prato per limites suos usque ad parietes desertas, que sunt ultra Formam, & exeunte in Via publica; & a tertio latere ipsa Via publica; a quarto latere fundum, quod vocatur Decorita, aqua descendente per limites suos in Formam Jovia, & exeunte per Formam, & revertente per limitem juxta aquam usque ad predictum fundum Barbilianum. Verum etiam fundum in integrum Sexto cum prato suo juxta rivum inter affines, ab uno latere Via, que pergit ad Pontem Adenona, & ab alio latere Via publica, & si qui alii affines sunt. Omnia vestris piis locis, & sancte nostre Romane, cui Domino auctore deservimus, Ecclesie, inclinati precibus vestris, per hujus*

hujus Apostolici Privilegii seriem supra-scripta omnia immobilia loca cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, a presenti Prima Indictione & in perpetuum vobis vestrisque successoribus concedimus & confirmamus detinendum in usum & utilitatem ipsius venerabilis Monasterii. Ita tamen, ut cotidianis diebus Sacerdotes & Monachi ipsius Monasterii pro remedio anime nostre, nostrorumque Successorum clament in eadem Ecclesia centum Kirie eleyson *& centum* Christe eleyson, *& Sacerdotes sacras oblationes in Missarum solemniis tribus vicibus per singulas hebdomadas pro absolutione nostre anime, nostrorumque Successorum Pontificum omnipotenti Deo offerant. Statuentes Apostolica censura sub divini judicii obtestationem & anathematis interdictum, ut nullus umquam nostrorum Successorum Pontificum, vel alia quelibet magna parvaque persona audeat vel presumat de omnibus suprascriptis immobilibus locis cum omnibus illorum pertinentiis & adjacentiis, ut supra legitur, contra hoc nostrum Pontificale Privilegium agere vel alienare aut auferre presumat; sed potius firmum atque stabile perpetuis ac perennis temporibus ita, ut a nobis statuta sunt, decernimus permanendum. Si quis autem (quod non optamus) contra hoc nostrum Apostolicum Privilegium temptator extiterit, & in quoquam contra ire, & transgressor esse voluerit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, & Domni nostri Apostolorum Principis Petri, cujus licet immeriti, Domini tamen dignatione, gerimus vices, anathematis vinculo innodatum, & a regno Dei alienum. Qui verò pio intuitu verus custos & observator extiterit hujus nostri Apostolici Privilegii, meritis atque precibus beati Petri Apostolorum Principis, & Sancti Benedicti in ethereis arcibus premia ac benedictionis gratiam atque misericordiam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque eternam consequi mereatur.*

Scriptum per manum Leonis Scriniarii & Notarii sancte summe Sedis Apostolice in Mense Majo, Indictione supra jam dicta Prima.

✠ BENE VALETE ✠

Datum VI. Idus Maji per manum Marini sancte Polimartiensis Ecclesie Episcopi & Bibliothecarii summe Sedis Apostolice, Anno Deo propitio Pontificatus Domni nostri Johannis summi Pontificis & universalis X. (*) *Pape in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Tertio, in Mense & Indictione suprascripta Prima.*

Accedat etiam ad majus Sublacensis Coenobii ornamentum nobile Diploma, quod itidem in ejus Tabulario adservatur.

Otto-

(*) Scribe *universalis XII. Papae*: neque enim Chronologicae Notae cum temporibus Johannis X. Papae alligari possunt. Ughellius Tom. 8. Ital. Sacr. in Archiepiscopis Beneventanis Bullam refert ejusdem Pontificis *Johannis XII.* datam *per manus Marini Episcopi* (idest *Polimartiensis*) *& summae Sedis Apostolicae Bibliothecarii, Anno Domini propitio* (scribe *Deo propitio*) *Pontificatus Domni nostri Johannis &c. Undecimo; Mense Decembri, Indictione XV.* Scribendum *Anno Primo*, si a Septembri Indictio nova deducatur, aut *Anno Secundo*.

Ottonis I. Augusti Diploma, quo Privilegia omnia confirmat Georgio Sublacensis Monasterii Abbati, Anno 967.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis, scilicet Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Otto *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Si pro amore ejus, cujus dispensationis benignitate ceteris mortalibus praeferri videmur, Loca divino cultui dedita congruis nostre tuitionis munificentiis ad divinum exequendum servitium propensius substollamus, celitus majora remunerationis premia consequi non dubitamus. Omnium igitur fidelium sancte Dei Ecclesie ac nostrorum, presentium scilicet atque futurorum, industriam nosse volumus, quod* Georgius *vir venerabilis, &* ex Apostolice Sedis Secundicerio *religiosus* Abbas Monasterii beatissimi Patris Benedicti, & Sancte Scolastice sororis ejus, quod dicitur in Sublacum, *venit in gremium Basilice Sancti Petri Apostolorum Principis, ubi cum* Domno Johanne XIII. Papa *sancte Sinodo pro utilitate ejusdem Ecclesie, & venerabilium locorum intereramus, circumsedentibus cum* Ravennate Archiepiscopo *plurimis Episcopis ex Romano territorio, atque Italie, & ultramontano Regno, necnon presente* Capuano Principe, qui & Marchio Camerini & Spoletini Ducatus, *atque circumstantibus multis ex nostris ex diverso ordine fidelibus; & ostensis* Domni Caroli, *aliorumque Augustorum & Regum principalibus Constitutionibus factis, ad stabilimentum, defensionemque sui ejusdem Monasterii, seu omnium rerum sibi pertinentium, postulavit nostram clementiam, ut nos quoque simili modo nostre Imperialis munitionis firmitatem super eundem sanctum Locum, & universas suas pertinentias, de quibus olim instrumenta cum ipso Cenobio ignis consumpsit, fieri juberemus. Cujus precibus pro amore Omnipotentis Dei, & Sancti ac precipui Patris Benedicti, & pro redemptione nostre anime, prolis nostre salute & incolumitate, libentissime hac nostre auctoritatis preceptum fieri decrevimus, per quam omnia, que ad illud sanctum Cenobium ex tempore constructionis sue primo pertinent usque in presens, ac deinceps in futurum addita fuerint, confirmamus & corroboramus nominatim & generaliter. Idest Casale, in quo idem Monasterium est collocatum, & Specum, ubi ipse religiosissimus Pater solitariam duxit vitam, cum lacubus duobus, eorumque Flumen, quo extenditur ejus cursus per latitudinem & longitudinem usque locum, qui dicitur Seminarium, cum universis aquemolis, que ibi sunt, & in antea fieri possunt, cum ripis undique circumpositis, & piscariis. In quibus aquemolis & piscariis nullo modo quilibet audeat molam facere aut piscare sine jussione & voluntate predicti Abbatis, ejusque Successorum. Offerimus quoque & confirmamus in integrum Castellum de Sublacum cum glandatico & erbatico, atque constrictu & placito, omnique dato seu reddito, quem ipsi habitatores, eorumque anteriores soliti sunt persolvere Lateranensi Palatio, quemadmodum a summis Pontificibus per Apostolice preceptionis paginas concessum & largitum est eidem sancto Loco. Et omnia loca, omnesque res, que in omni territorio in eodem Loco concessa sunt, & quanta attinent circa & infra Sublacum juri pretaxati Sancti Benedicti Monasterii, Sancteque Scolastice, sive per divisio-*

visionem, sive communiter, sive quocumque acquisitionis modo, hoc est sive per scripturam, sive sine scriptura, cum montibus, collibus, silvis, campis, pratis, rivis, pascuis, edificiis, locisque omnibus cultis & incultis: Item Casale, quod vocatur Campum Dejano, & Cantoranum, Seminarium, atque Augusta, cum terminis & limitibus eorum in integrum, Cervariam quoque ex toto. Omnes etiam res, quas in Reatino territorio tenere, & possidere debet, hoc est in Valle, que dicitur Torre, Ecclesiam Sancte Anatolie, quam detinet per concessionem Reatini Episcopi adscriptam. Insuper quecumque eidem ipsi sacro Monasterio Hugo & Lotharius Reges *concesserunt, scilicet Cortem Sale & Carsoli in integrum cum omnibus ibi ubique adjacentibus pertinentiis. Similiter cuncta, que in Ciculis, & in Reatino, & Savinensi, & in omni Marsicano territorio, per quodcumque modum acquisita sint, plenissime roboramus.*

In primis Sancti Angeli Monasterium *cum suis in integrum pertinentiis. Res quoque Johannis Presbyteri, & Vicendam unam feminam cum Ursulo piscatore, & aliis Servis cum filiis & filiabus eorum, atque rebus & possessionibus eorum, sicut per Chartam delegavit & tradidit Burgo magnificus vir in supradicto Monasterio. Terram etiam ad centum modia intra Saccum, quod & Gualdum, datam a jam dicto Burgone. Pari modo* Cellam *in Marsi, que nuncupatur* Sancti Euticii, *atque aliam* Cellam *in honore* Sancti Benedicti, *&* Sancti Felicis, *quam noviter construxit Palumbus Presbiter & Monachus ejusdem Monasterii, cum omnibus ad easdem Ecclesias vel Cortem suam in integrum pertinentibus in universo Marsicano territorio.* Monasterium *praeterea unum vocabulo* Sancti Michaëlis Archangeli, quod Barreja dicitur, situm in finibus Beneventanis supra flumen Sangrum, *licèt a Saracenis destructum ex integro, tamen sicut* Elie Abbati *per predictorum Regum precepta confirmatum dignoscitur. Item in territorio Tiburtino Massam, que appellatur Jubenzana in integrum, sicuti per Pontificalia Precepta eidem sancto Loco tradita concessaque est, cum omnibus appendicibus suis, cultis & incultis, & cum finibus limitibusque suis. Similiter totum, quod eidem Monasterium attinet definitum per Cartularum series in loco, qui vocatur Ilice, sicut est usque ad columnam, que stat sub fronte Ilicis juxta viam: deinde in montem, qui vocatur Vulturella, & usque Sanctum Petrum in Aspreto, necnon juxta flumicellum. Item Montem, qui vocatur Bubarano, seu & Casale, qui vocatur Riallis, in quo est Ecclesia Sancti Eleutherii, cum determinatis finibus suis in integrum; & Longarias cum terris, que dicuntur Pentome, cultis & incultis, quomodo extenditur usque in fines Merulane. Item medietatem Casalis, in quo est Ecclesia Sancti Pamphili, que dicitur Johannis Presbyteri. Et alibi medietatem Casalis, qui nominatur Romani minoris: & alteram ejus medietatem, quam tenuit quondam Caloleo, & ipse concambiavit sive commutavit cum quibusdam Tiburtinis. Item Casalem qui dicitur Romani majoris in integrum, & Formas terraneas tres: Casale, qui appellatur Apollonii, in integrum, & Casale Sancti Vincentii cum universis sibi ex integro pertinentibus. Et Casale qui vocatur Sancti Quirici ex toto & per totum, sicut Pontificalibus Preceptis, aliisque moniminibus declaratum habetur. Itemque medietatem Casalis, qui vocatur Papi, & Monetula in integrum, sicut prefatus Caloleo pro sua anima dele-*

legavit ac dereliquit in eodem sacro Monasterio. Similiter clausuram unam, in qua est Ecclesia Sancti Sebastiani, & quas aliquo modo habere videtur in toto Tiburtino territorio. Intra Civitatem autem Tiburim Cellam, *vocabulo* Sancte Barbare, *cum omnibus ad se pertinentibus intus & foris, & aquimolum ex integro extra Portam, datum firmiter per predictum Caloleo, & alia duo aquimola in loco, qui vocatur Trullo, sicut omnimodo saepe nominato venerabili Monasterio per suas moniminas competunt. Post hec Casalia, que istis vocabulis sive aliis nominibus incognitis nuncupantur; idest Corcorulum, Musonianum, Panzis, Dirutula, Ananiole, Cisternule, & Cellulam, que vocatur Aqua Alta, ubi est Ecclesia Sancti Laurentii, cum aquimolis seu omnibus adiacentiis ipsi in integrum pertinentibus. Item Casalem qui dicitur Arbitetum, & totum Casalem Donavelli, & medietatem Castelli, & omnes res comparationis Leonis Presbiteri. Et omnia que infra totum Campanie territorium ipsum venerabile Monasterium qualitercumque habet. Idest Casalem Porclanicum in integrum cum servis & ancillis ibidem degentibus & pertinentibus, Casale dictum Ojanum majus, & Casale Ojanum minus, utrosque in integrum, cum omnibus, que ipsi sacro Monasterio pertinent quolibet contractu & in quolibet loco; sive in Ferentinello minore, Asile, Ponzia, vel quod est melius, Lupoteis, Lurojate, & in Olevano per ascriptos limites & fines. Atque Casale vel fundum, quod dicitur Leporali, ex integro: & Casale qui vocatur Campum de Fossi, in integrum: Casale Campilionis in integrum: & medietatem Casalis Catejani, & Montem in quo est Cella Sancti Angeli; & Montem, qui vocatur Civitella, in integrum. Et Casale, qui vocatur Congesta; & terram ad modiorum duodecim in fundo Casepacis: & Casale Cesinule in integrum: & portionem Constantie bone femine in Sancta Savina & Sancto Vito. Casale, qui vocatur Casule; & Casale Casarucellis, & Artezanum, Folinianum, & Caprini, cum omnibus ex integro pertinentiis, per limites proprie, & usualiter positis. Et* Cellam Sancti Benedicti, *que vocatur Angeli, cum omnibus causis suis, positam in territorio Rutunniano. Post hec Cellam in Surriseo, in qua est Ecclesia Sancte Marie cum omnibus pertinentiis suis in integrum. Et intra Civitatem Romam* Monasterium Sancti Herasmi *cum universis pertinentiis suis intus & foris; & Cortem ex integro, que fuit* Flori Episcopi, *in qua est Ecclesia Sancti Theodori, datam ex concessione ejus. Item modicam terram extra viam juxta Formam, & Casam Johannis Crisi cum horto suo, cum antedictis rebus prope Portam Majorem, cum terris & pratis foris prope eam fundatis. Precipientes itaque precipimus ac jubemus, ut nullus Pontificum, Episcoporum, vel Abbatum praesumat vendere sive alienare de suprascriptis omnibus rebus ejusdem venerabilis Monasterii nisi tantummodo Abbas ibidem specialiter constitutus. Et hoc nonnisi pro rationabili necessitate ejusdem Monasterii secundùm Canonicam permissionem. Quod si aliter quolibet ingenio facere presumserit, omni modo inutiliter maneat. Insuper nulla magna vel parva persona totius Regni nostri audeat Abbatem illum, qui modo est, vel successores suos in aliquo molestare aut disvestire vel inquietare, aut ad placitum provocare absque justa & probatissima causa, neque illorum homines ad turpe servitium aut tributum cogere. Si quis autem contra hanc nostram preceptionem ire presumpserit; sciat*

ſciat ſe aut magnum exilium paſſurum, aut centum Libras auri cocti compoſiturum, medietatem in predicto Monaſterio, & medietatem Kamere noſtre. Quod ut verius credatur, & firmiter ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, annulo noſtro juſſimus ſigillari.

Signum  *Domni Ottonis Ceſaris Auguſti.*

Ambroſius Cancellarius ad vicem Umberti Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data III. Idus Januarias, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXVII. Imperii verò Domni Ottonis piiſſimi Ceſaris V. Indictione X.

Actum Rome in Dei nomine felicer, Amen.

Neque abjicienda mihi Bulla Nicolai Romani Pontificis, quae ex ejuſdem Sublacenſis Monaſterii pergamena deſcripta fuit, quamquam Notae Chronologicae in ea deſiderentur, & mihi non ſatis probetur dictio illa *ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti*. Cuinam verò Papae Nicolao, ſcilicet Primo-ne, an Secundo tribuenda ſit Bulla, non ſatis liquet. Ad Primum quod attinet, mentio heic habetur de Privilegiis, *quae ab Agarenis olim cum omni ſupellectile Monaſterii igne concremata* fuere. Ante aliquot annos, hoc eſt Anno DCCCXLVI. Romam & contermina loca Saraceni afflixere. Praeter haec Nicolai I. temporibus floruit Leo Abbas Sublacenſis; ac proinde Mabillonius, cui notae fuiſſe videntur ejuſmodi tabulae, quum in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLV. de illo ſcribat: *qui ea Privilegia renovari a Nicolao Primo impetravit*. Verùm tum formulae, tum tanta bonorum copia, potius indicant, haec ad Nicolaum II. eſſe referenda. Utcumque ſit, & qualecumque ſit monumentum hoc, illud accipe.

Nicolai fortaſſe Primi Papae Bulla pro Monaſterio Sublacenſi, circiter Annum 864.

„ NIcolaus *Epiſcopus*, ſervus ſervorum Dei, *Leoni* venerabili *Abbati*...... Quia petitis a nobis, qualiter moniminas vel *Privilegia, que ab Agarenis olim cum omni ſupellectili Monaſterii igne concremata atque exuſta* dignoſcitur, quantùm ad veſtram memoriam Domino inſpirante pertinere videmini, quomodo a beato *Gregorio ſummo Pontifice*, vel ab aliorum ſummorum Pontificum, vel etiam ab aliis Chriſtianis pro eorum peccatis redimendis conceſſa ſunt, reconfirmare & ſtabilire noſtra clementia dignaremur; quia nobis valde competit veſtre petitioni annuere, que piis deſideriis conce-

„ denda congruunt; igitur concedimus sive confirmamus in venerabili *Monasterio sanctissimi patris nostri Benedicti & Sancte Scolastice, quod ponitur in Sublacum:* in primis Locum ipsum, qui vocatur Puzeja, ubi ipsum Monasterium constructum est, una cum Specu, ubi ipse beatissimus Benedictus heremiticam duxit vitam cum omnibus infra se & extra se, cum Criptis, & omnia hedificia humana, que ibi nunc sunt, vel in antea construere possunt. Verùm etiam & Lacum Minorem cum piscariis & aquimolis suis, sicuti extenditur aqua per Alaneto, deducente ipsa aqua in locum, qui vocatur Mandra, & pervenit usque in Arco, qui vocatur de Ferrata, cum piscariis & aquimolis, omnia in unum coherentem. Concedimus etiam in perpetuum & ipsi Monasterio confirmamus, ut nullus umquam hominum, magna parvaque persona audeat in ipsa aqua, que vocatur Timida, vel in aqua, que vocatur Augusta, vel in aqua, que dicitur Bullica, neque in Flumicello, neque in aqua de Tozanello, neque in aqua de Cona, neque in ulla aqua de toto territorio Sublaciano, per nullius argumentum aliquis hominum presumat piscari, aut aquemolum dedicare absque consensu Abbatis, qui ibi preesse videtur. Si quis hoc temere presumserit, & aut piscari, aut aquimolum edificare in totis supradictis aquis, precipimus esse compositurum auri cocti Libras XX. Item confirmamus in eodem Monasterio Castellum integrum detinendum, quod vocatur Sublacum, cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis, cum omni placito & datione sua, una cum glandatico & erbatico suo, atque cuncta publica functione. Confirmamus in eodem venerabili Monasterio Montem in integrum......... ad Castellum faciendum, qui vocatur Agusta, & Montem, qui vocatur Cervaria, cum omnibus eorum pertinentiis. Porro & Castellum, quod vocatur Arsule, simulque & Castellum, quod vocatur Rubiananum, simulque & Castellum, quod vocatur Maranum: unumquodque Castellum cum Ecclesiis suis, Cellis, domibus infra se & de foris, vineis & terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, aquis, fluminibus, cum aquemolis, cum castanietis, & paludibus, cum montibus & collibus, plagis & appendicibus, cultum vel incultum, vacuum & plenum, cum omnibus ad supradictum Monasterium, seu Castella generaliter, & in integrum pertinentibus, constituta territorio Tiburtino & Sublaciano, mox ut per termina designantur atque demonstrantur: incipiente a Petra Imperatoris, unde ipsum flumen redundat, deinde veniente in Monte, qui vocatur Romani, & recto tramite in Campolongo, pergente in Fossa de Petra que vocatur de Pereta, cum Ecclesia Sancti Petri; inde veniente in Staffile, quod stat in Camposacro; deinde pervenit in Arco Sancti Georgii, & veniente de Flaontino, & per ipsum Montem descendente in aqua, que Ferrata vocatur, & per ipsam aquam devenit, donec suum cursum explicit in fluvium Tiberis..... . traa-

„ smeante

„ meante ipso fluvio, ascendente in „ Monte, qui vocatur Cropho, inde „ per cacumen montium, per concam vallium, per cavernas petrarum devenit in montibus, qui vocantur Gemini: & sic descendente „ in fines Telle, & exinde descendente in rivo, qui nominatur Trave, & pro eodem rivo descendente in alio rivo de Cona, ubi Cruce vocatur; ab ipsa Cona ascendente per rivo de Baniolum, & recte veniente in locum, qui vocatur Oraru; inde iteratim ascendente in montem, qui de Aquaviva dicitur, & recte in Pontem „ Terraneum, & per ipsum flumen „ remeante in Petra Imperatoris, & „ deinde in monte Romano.

„ Verùm etiam concedo & confirmo solam Civitatem, que Carseoli nuncupatur, cum Ecclesiis, „ domibus infra se & inde foris diversis vocabulis, villis, vineis, „ fundis, & casalibus, rivis, cum „ aquemolis, & cum omnibus suis „ pertinentiis, sicut in vestris antiquioribus Privilegiis constat, ita „ nos in omnibus in suprascripto „ Monasterio confirmamus, posita infra Reatino & Ciculano & Tiburtino territorio. Denique concedimus in eodem Monasterio Castellum integrum, qui Trollana „ vocatur, una cum Colle de Ferrari & Saffa, sive quibus aliis vocabulis nuncupantur. Et Monasterellum cum villis, fundis...... & „ casalibus, vineis, & terris, campis, pratis & pascuis, & cum „ omnibus suis pertinentiis, sicuti „ extenditur usque in Piscano. Et „ Casale in integrum, qui vocatur „ Ursano, & Sambuci, cum Ecclesia Sancti Thome in desertis posita, & Monte in integrum, qui „ vocatur Gurdiano, cum fundis & „ Casalibus suis, atque medietate „ de loco, qui dicitur Ilice, & locum, qui vocatur Castaniola, cum „ vineis & terris, cum fundis & „ casalibus extra & intra. Sive etiam & Valle Majore, in qua est „ Ecclesia Sancti Eleutherii, cum „ vineis & terris, vel sua omnia pertinentia. Et in ipso confinio Montis, qui vocatur Buberanum cum „ omnibus suis pertinentiis. Concedimus etiam & confirmamus, sicuti a *beata Silvia* concessum est, „ Castellum integrum, quod dicitur „ Ampolloni, cum Ecclesiis & domibus infra se per omnia & extra se, vineis, terris, fundis & „ casalibus, vel omnibus ad idem „ Castellum pertinentibus. Et locum „ qui vocatur Pentoma, cum suis „ omnibus in integrum pertinentiis. „ Verum etiam & medietatem de „ Castello, quod vocatur de Sancto „ Pamphilo, cum medietate de suis „ omnibus pertinentiis. Verumtamen „ & Castellum de Collemalo in integrum. Et locum, qui vocatur „ Romani in integrum. Et medietatem de Villa, que appellatur „ Papi; per unumquemque locum „ cum fundis & casalibus, vineis & „ terris, campis, pratis, pascuis & „ silvis, salectis, fontibus, rivis „ cum aquemolis...... omnibus singulis locis & vocabulis, generaliter & in integrum pertinentibus, „ omnibus jam dictis locis territorio Tiburtino positis. Concedimus „ etiam & confirmamus in supra dicto Monasterio *Cellam Sancte Barbare*, que est in Civitate Tiburtina, cum domibus & Cellis intra „ se in integrum, cum aquemolis „ suis positis intra eandem Civitatem; & alium aquimolum in Ca-

" ſtrovetere, & alium foris Portam " majorem, & de foris cum omnibus ad eam pertinentibus. Simili " modo portionem in Prato majore, " ſicut dedit quondam *Calvus Episcopus*, & Maria Ancilla Dei: & " fundum, qui vocatur Macronianus, cum caſis & vineis, & cum " omnibus ad eum pertinentibus: " itemque vinee clauſuram ſupra ſe " in integrum, que ponitur in fundum...... hortum magnum cum " Eccleſia Sancte Helene, & cum " omnibus ad eum pertinentibus: " itemque portionem de vinea, que " fuit de Leone Presbitero, que ponitur in fundum Caſapetra, cum " aquimolo poſito in Trullo: verùm " etiam vinea clauſurata ſuper ſe in " integrum poſita in Caſa Gallorum, territorio Ferentinello in integrum. Omnia hec, ut ſuperius " legitur, in proprium uſum & ſalarium atque utilitatem ipſius venerabilis Monaſterii concedimus & " confirmamus ad tenendum, & miſſa preceptione per hujus precepti " Privilegii ſeriem ſupraſcripta roboramus immobilia loca, cum " omnibus eorum pertinentiis, ut " ſuperius legitur, ita ſane & integre, ut nullus umquam noſtrorum " Succeſſorum Pontificum, vel alia " quelibet magna parvaque perſona " ipſa prenominata loca a poteſtate " & ditione prefati Monaſterii auferre vel alienare preſumat, ſed " potius in proprio uſu omni tempore uſque in finem Seculi decrevimus permanere, ut cum magna " ſecuritate & quiete valeatis frucre & poſſidere ac detinere. Pro " quo ſub divini judicii obteſtatione promulgantes decrevimus, ut " nullus umquam, poteſtatis ac dignitatis qualiſcumque ſit, vel qualiſcumque perſona cujuſcumque ſexus, eadem Loca jam ſuperius ab " eodem pio Loco auferre aut alienare quelibet, vel minimam partem preſumat per quodlibet ingenium aut argumentum. Si quis " (quod non optamus) temerare auſus fuerit, ſciat ſe Domini noſtri " & Apoſtolorum Principis Petri anathematis vinculis innodatum, & " cum diabolo, & ejus atrociſſimis " pompis, & cum Juda traditore " Domini Dei & Salvatoris noſtri " Jeſu Chriſti, in eterno igne concremandum, & in voragine Tartareoque chaos demerſurum. Qui " verò pio intuitu cuſtos & obediens " atque obſervator hujus noſtre ſalutifere preceptionis extiterit, gratiam & celeſtem retributionem & " eterna gaudia a juſto Judice Domino noſtro conſequi mereatur, " & vite eterne particeps effici mereatur .... " .... (*Reliqua deſiderantur.*)

Atqui percontetur, aliquis: quodnam jus fuit Abbatibus majorum Monaſteriorum in Abbates & Monachos minorum ſibi ſubjectorum? Reſponſum ſuppeditabunt monumenta Mutinenſis Monaſterii Sancti Petri, Ordinis Sancti Benedicti, a quo olim pendebat *Candianenſe Monaſterium* in Dioeceſi Patavina ſitum. Inter Epiſcopum Patavinum, & Abbatem Sancti Petri controverſia fervebat, ejuſdem Candianenſis Monaſterii cauſsâ, atque haec coram non uno Judice agitata eſt, atque diremta. En ſententias & acta, ex Archivo praelaudati Mutinenſis Coenobii deſcripta.

Senten-

Sententia Ferrarienſis & Adrienſis Epiſcoporum a ſummo Pontifice delegatorum, qua Monaſterium Candianenſe decernitur ſubjectum Monaſterio Sancti Petri Mutinenſis, Anno 1171.

„ IN nomine Sancte & individue „ Trinitatis. Anno Chriſti Na„ tivitatis Milleſimo Centeſimo Se„ ptuageſimo Primo, Indictione IV. „ Menſe Januario, die Beati Vin„ centii. Civitate Ferrarie, in Ec„ cleſia Sancti Stephani de Ora Ca„ nalis, temporibus *Domini Pape* „ *Alexandri*, & *Federici Imperatoris*: „ in preſentia teſtium, quorum no„ mina ſubter leguntur, ſententia „ talis lata eſt.

„ In nomine Patris & Filii & „ Spiritus Sancti. Amen. Nos *Ama*„ *tus* quidem Dei gratiâ *Ferrarien*„ *ſis*, & *Gabriel* eâdem gratiâ *A*„ *drienſis*, *Epiſcopi*, ſuper controver„ ſia, que vertitur inter *Epiſcopum* „ *Paduanum*, & *Abbatem Sancti Petri* „ *Mutinenſis*, ſuper *Monaſterio de* „ *Candiana*, a Domino Papa Judices „ delegati, rationibus hinc inde au„ ditis & diligenter inſpectis: Ab„ batis confirmationem, ejus & Ec„ cleſiarum conſecrationem, Mona„ chorum promotionem, curam Po„ puli in Synodis, interdictis, & „ excommunicationibus Parochiano„ rum, obedire Domino Epiſcopo „ competere pronuntiamus. Electio„ nem verò Abbatum de perſona „ honeſta & religioſa, & illius ma„ turitatis, per quam Eccleſia ſe„ cundùm Deum poſſit reformari, ſi „ de aliena Eccleſia ſit aſſumenda, „ cum conſilio Abbatis Sancti Pe„ tri, ſine pravitate, *Conventui Ec*„ *cleſie Candianenſis* cumvinire pro„ nuntiamus. Correctionem verò Mo„ nachorum Eccleſie Sancti Michaë„ lis ſuo Abbati aſſignamus. Quod „ ſi facere neglexerit, Abbas Sancti „ Petri corrigat. Si verò Abbas San„ cti Michaëlis, quod abſit, publice „ & criminaliter peccaverit, ſi per „ Abbatem Sancti Petri non fuerit „ correctus, ab Epiſcopo Padue cor„ rigatur. Quando Abbas Sancti „ Petri Candianam venerit, ut Do„ minus recipiatur, ſi Frater, ut „ Frater. Annuum cenſum de more „ perſolvat. Infra annum electionis „ inveſtituram ab Abbate Sancti Pe„ tri recipiat, quia Eccleſiam Sancti „ Michaëlis in Candiana in alodio „ Sancti Petri ſitam eſſe cognovi„ mus.

„ Prefate Sententie fuerunt teſtes „ preſentes Wido Archipresbiter Fer„ rarienſis Eccleſie, Presbiter Johan„ nes Diſcaltius, Presbiterinus Pre„ poſitus, Paltotius Canonicus, & „ Ragaulus Canonicus, Michaël Ar„ chipresbiter Conventus, Alexius „ Archipresbiter de Cornacervina, „ Presbiter Falco, Presbiter Opizo, „ Presbiter Albertus, Ildebrandus, „ & Bonus Johannes Judices & Aſ„ ſeſſores, Albertus de Alderio Ju„ dex, Martellus Mutinenſis Judex, „ Wottus Judex, Falco Cauſidicus, „ Deodatus Cauſidicus, & aliorum „ quamplurium. Item Archipresbiter „ Sancti Fidentii de Millarino, & „ Bochus Judex, Procuratores Epi„ ſcopi Paduani.

„ Ego Dominicus, Chriſti miſeri„ cordiâ Sancte Adrienſis Eccleſie „ Notarius rogatus a prefatis Epi„ ſcopis ſcribere, ſcripture vinculis „ adnexui.

Decre-

Decretum Petri Ticinensis & Tedaldi Placentini Episcoporum Judicum a Summo Pontifice electorum, per quod decernitur, Monasterium Sancti Michaëlis Candianensis subjectum esse Monasterio Sancti Petri Mutinensis, Anno 1173.

„ ANno Dominice Incarnationis „ Millesimo Centesimo Septuagesimo Tertio, die Sabati, IV. „ Kalendas Madii, Indictione VI. „ in Civitate Papia. Inter *Domnum* „ *Girardum Paduanum Episcopum*, & „ *Domnum Geminianum Abbatem*, & „ Fratres *Sancti Petri Mutine*, super „ *Monasterio Sancti Michaëlis de Candiana*, coram *Domno Amato Ferrariensi*, & *Gabriele Adriensi Episcopis*, quibus a *Domno Papa Alexandro hec causa fuerat delegata*, „ controversia diucius agitata fuit. „ Asserebat siquidem Domnus Paduanus, quod predictum Monasterium Sancti Michaëlis ad se in „ integrum pertinere, excepto eo „ quod predictus Abbas Sancti Petri ab eodem Gandianensi Monasterio de quadraginta jugeribus terre censum quadraginta Solidorum „ Lucensium deberet recipere; & si „ ipse vel Nuncius ejus ad eundem „ locum casu aliquo pervenerit, „ Nuncius debeat recipi, & ipse „ Abbas ut Dominus. Abbas autem „ idem Monasterium Candianense tam „ in spiritualibus quàm in temporalibus ad se pertinere omnimodis „ asserebat. Super hoc igitur predicti Episcopi, receptis hinc inde „ testibus, & visis allegationibus, „ Sententiam promulgaverunt. Cum „ que ab ea predictum Paduanum „ ad Domnum Papam fuisse appellatum: idem Summus Pontifex „ predictam causam *Domno Petro Papiensi*, & *Domno Tedaldo Placentino Episcopis*, & *Domno Bernardo* „ *Electo Sancti Sepulcri de Placentia*, „ sublato appellationis remedio, audiendam commisit, & fine debito „ terminandam. Ii autem Judices „ juxta mandatum Domni Pape in „ unum convenientes, visis diligenter utriusque partis testibus & allegationibus: predictus Domnus „ Placentinus in concordia & voluntate Domni Petri & Domni Electi, hujusmodi Sententiam pronunciavit. Monasterium siquidem „ Sancti Michaëlis de Candiana ad „ jus Monasterii Sancti Petri Mutinensis pertinere judicavit. Abbatis verò confirmationem & benedictionem, Ecclesiarum consecrationem, Monachorum promocionem, & curam Populi ad Domnum Paduanum censuit pertinere, „ & ut vocatus ad Sinodum eat: „ servet quoque Interdicta & * Ecommunicationes Parochianorum. Decedente autem Abbate Sancti Michaëlis, de se ipsis idoneam personam secundùm Deum & Regulam beati Benedicti in Abbatem „ eligant. Quod si de ipsis congruam „ invenire nequiverint, de Monasterio Sancti Petri Mutinensis, vel „ de alio, cum consilio Abbatis electionem faciant. Correctionem verò Monachorum Ecclesie Sancti „ Michaëlis proprius Abbas exerceat. Quod si facere neglexerit, „ Abbas Sancti Petri corrigat. Si „ verò Abbas Sancti Michaëlis, quod „ absit, clarescentibus culpis peccaverit,

„ verit, per Abbatem Sancti Petri „ corrigatur. Quod si ipse facere „ neglexerit, Domnus Paduanus ejus „ correctionem habeat. Cum autem „ Abbas Sancti Petri Candianam ve „ nerit, ut Dominus recipiatur, & „ que corrigenda sunt, corrigat, re- „ motâ omni exactione. Si verò „ Frater Monasterii Sancti Petri „ Mutinensis illuc advenerit, ut Fra- „ ter suscipiatur. Annuum verò quo- „ que censum quadraginta Solido- „ rum Lucensium predicta Candia- „ nensis Ecclesia Ecclesie Sancti Pe- „ tri persolvat.

„ Signa ✠ ✠ manuum memorato „ rum Domni Placentini & Domni „ Electi, qui hanc Cartulam fieri „ preceperunt.

„ Interfuerunt Bernardus de Ro- „ cha, Albertus de Ser Guizolo, „ Busuardus de Gratia de Vilolano, „ qui sunt de Papia; Boso Balbus, „ Fulco Strictus, Atto de Inzistino, „ Guilielmus Siccamelica, qui sunt „ de Placentia; Albertus Tertius, „ Ezelinus Judex, qui sunt de Pa- „ dua, testes.

„ Ego Jacobus Gossonus sacri Pa- „ lacii Notarius interfui, & predi- „ ctorum Domni Placentini & Dom- „ ni Electi jussu hanc Cartulam „ scripsi.

Concordia inita inter Abbatem Sancti Petri Mutinensis & Abbatem Sancti Michaëlis Candianensis coram Gratiano Cardinale Sanctae Romanae Ecclesiae: in qua statuitur Monasterium Candianense subjectum esse Mutinensi, Anno 1187.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione Nativitatis Millesimo Centesimo Octogesimo Septimo, Indictione V. die V. intrante Mense Novembris. In presentia bonorum hominum, quorum nomina leguntur inferius. Inter* Domnum Michaëlem Sancti Petri Mutinensis, & Domnum Johannem Sancti Michaëlis Candianensis Abbates, *orta questione super quibusdam capitolis*, Dominus Gracianus *Dei gratiâ* Sanctorum Cosme & Damiani Diaconus Cardinalis *se ad componendum inter eos amicabiliter voluntate parcium interposuit. Predictus enim Abbas Sancti Petri Abbatem Sancti Michaëlis Investituram a se debere, & Fidelitatem jurare asseverabat, innitens duobus Instrumentis de pacto quondam inter predicta Monasteria inito, & prestito postmodum juramento confectis, Abbate Candianense dicente, se ad hoc non teneri, cum in sententia, que inter* Gerardum Episcopum Paduanum *& Abbatem Sancti Petri Mutinensis per delegatos Judices*, Thedaldum *videlicet* Placentinum & Petrum *bone memorie* Papiensem Episcopos, & Bernardum tunc Electum Sancti Sepulcri de Placentia *super Monasterio Candianense lata est, non continetur. Tandem verò mediante prefato Cardinale in hanc transactionem per Dei gratiam voluntate parcium convenerunt. Quod Abbas Candianensis, qui nunc est, & Successores ejus, ab Abbate Mutine qui nunc est, & Successoribus ejus, Investituram recipiant, & exinde obedienciam faciant, ita quidem quod per obedienciam Abbas aut Monachi seu Monasterium Candianense ab Abbate Mutinensi gravari non debeant supra id, quod per sententiam competit, aut fieri consuevit. Cetera*

vero

vero, que in memoratis Instrumentis continentur, vires non habeant, nisi quantum ex eis in sententia transfusum est. Abbas igitur Candianensis a memorato Abbate Mutinensi Investiturā accipiat, & obedienciam faciat. Decedente verò memorato Abbate Candianense, electus in Abbatem de cetero ad Investituram recipiendam, & obedienciam faciendam predicto Abbati Mutine & Successoribus ejus Mutinam ire debet. Promiserunt quoque supradicti Abbates unus alteri per se & Fratres suos, omnia, que superius dicta sunt, firma & illibata servare, & hec subnixa stipulatione firmare.

Actum Ferrarie in Ecclesia Sancti Stephani, in Choro ejusdem Ecclesiae.

Testes ibi ad presens Magister Wido Aretinus Canonicus, Magister Liutherius, Magister Laubertus, Johannes de Vichola Capellanus ejusdem Cardinalis, Albertus Judex Adegerii, Magister Niger Archipresbiter Plebis Sancti Johannis, Ortus Canonicus ejusdem Plebis, Zabonetus Judex de Padua, Matheus de Pegolotto, Calvus de Causelve, Homodeus, & alii multi.

Ego Petrus Notarius sacri Palacii interfui, & jussu prenominati Cardinalis & parcium scripsi.

Summi Pontificis (fortasse Coelestini III.) Bulla, qua confirmantur jura Monasterii Mutinensis Sancti Petri in Monasterium Candianense, Anno, ut videtur, 1195.

.... Episcopus, *servus servorum Dei. Dilectis filiis* Abbati & Conventui Sancti Petri Mutine *salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum, & vota, que a racionis tramite non discordant, effectu prosequente...... Eapropter dilecti..... filii, vestris justis postulacionibus gratum impercientes assensum, compositionem initam inter bone memorie* Michaëlem Predecessorem tuum, *fili Abbas, & dilectum filium* Johannem Abbatem Sancti Michaëlis de Candiana, *super investitura de manu Abbatis Sancti Petri Mutinensis recipienda; & obediencia sibi & successoribus suis ab ipso Abbate Candianensi & Successoribus ejus humiliter facienda, sicut mediante dilecto filio nostro* Gratiano Sanctorum Cosme & Damiani Diacono Cardinale *sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus observata, & in Instrumento publico plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Laterani IV. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Quincto.

A legitima quoque potestate interdum minora Monasteria Majoribus subjiciebantur, ut in iis statueretur aut refloresceret Monastica Regularis disciplina. Duobus exemplis res patebit. Sancti Apollonii Ecclesiam in Arce Canossina Regiensis Dioecesis, a progenitoribus Comitissae Mathildis constructam, ipsa Mathildis una cum Beatrice matre in Monasterium conver-

convertit. De ea videndus Donizo in Vita ejusdem Mathildis. Ipsâ autem curante, ut veri mihi videtur simile, Bernardus sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Mathildi perquam familiaris, auctor fuit, ut Canossino Monasterio alterum Lunensis Dioecesis subderetur, uti fidem faciet Charta, quam ex Tabulario Canonicorum Regiensium decripsi.

Bernardus S. R. E. Cardinalis, & Papae Vicarius Ecclesiam & Monasterium Sancti Michaëlis de Monte in Lunensi Dioecesi situm commendat Abbati Monasterii Canusini, consentientibus ejusdem Ecclesiae patronis, Anno 1105.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis.* Bernardus *Dei gratiâ sancte Romane Ecclesie humilis* Cardinalis Presbiter, atque Domni Paschalis Papae Vicarius *licèt indignus, omnibus Dei fidelibus per Lunensem Episcopatum constitutis salutem perpetuam, & benedictionem in Domino. Dum olim in Longobardie partibus vices Apostolicas haberemus, & multa de utilitatibus Ecclesiasticis ageremus, venerunt ad nos filii Bosonis, & nepotes Rodulfi de Casula, suppliciter nostram clementiam postulantes, ut quamdam* Cenobilem Ecclesiam *in predicto Episcopio sitam*, Sancti *videlicet* Michaëlis de Monte *a parentibus eorum ad* usum Monasterii *in predio suo fundatam, jam verò totius religionis Ordine penitus destitutam, ad statum Ordinis Monachorum, sicut voluntas affuit defunctorum, pro loci ejusdem possibilitate revocaremus, & alicui religioso Cenobio commendaremus. Quorum justis peticionibus annuentes, Fratrem nostrum venerabilem* Johannem Canusinum Abbatem *ad nos advocavimus, ipsamque Ecclesiam, patronis presentibus, obnixeque flagitantibus, ac unanimiter consentientibus, Guizzolo videlicet, Bosone, Girardo, Guiscardo filiis Bosonis, itemque Girardo, Guidone, Ugicione Rodulfi nepotibus, predicto venerabili fratri nostro Abbati, suisque Successoribus in perpetuum, ad regendum, ordinandumque, jure proprietario possidendum commisimus. Quapropter jussimus fieri hoc recordationis scriptum ad memoriam posterorum, nostra subscriptione munitum, vice Apostolica, quam indigni gerimus, confirmatum. Rogamus igitur & precipimus, ut nulla spiritualis aut secularis persona prefatam Cenobilem Ecclesiam ab obedientia & jure Canusini Cenobii ulterius debeat qualibet occasione subtrahere, neque oblatas sibi, aut a se emptas terre possessiones, nec illas tres Capellas Sancti Blasii de Viavo, Sanctique Prosperi de Munzone, atque Sancte Julie de Nuceto, quas per plurimos jam possidet annos, aut illa predia vel Basilicas, quas in antea conquisiverit, sciat se pro patrata nequitia Canonice sententiae subjacere, & penam Dei ultionis incurrere. Que ut verius credantur & firmius habeantur, manus nostre subscriptione firmavimus.*

Ego Bernardus *humilis* Cardinalis Presbiter *sancte Romane Ecclesie hoc scriptum confirmando subscripsi.*

Testes vero interfuerunt idem supranominati patroni illius Ecclesie & reliqui plures.

Actum Anno Dominice Incarnationis MCV. Indictione XIIII. Septimo Kalendas Novembris apud Guarstallam,

per

per manum Frugerii Archipresbiteri & Capellani.

Ego Guido Notarius sacri Palatii interfui & hanc concessionem scripsi.

Ita Cavensi Monasterio, quòd ibi Regularis disciplinae vigor olim floreret, subjuncta fuere complura Monasteria ab ipsis Romanis Pontificibus, atque Principibus. Cujus rei testis mihi sit Bulla ex ejusdem Coenobii Archivo depromta.

Gregorii VII. Papae Bulla, qua Monasterio Cavensi Sanctae Trinitatis donat & confirmat quaedam Monasteria, circiter Annum 1076.

GRegorius Episcopus, *servus servorum Dei. Omnibus Christi fidelibus Clericis ac Laicis salutem & Apostolicam benedictionem. Notum esse volumus omnibus Clericis ac Laicis, Deum piâ Catholicâque fide colentibus, nos in Apostolicae defensionis tutelam* Cavense Monasterium *suscepisse, quod apud Salernum in* Sancte ac individue Trinitatis *honore constructum esse dinoscitur; cui Monasterio nos quedam in Cilentio Monte posita Monasteria, videlicet* Monasterium Sancte Marie de Gulia, Monasterium Sancti Nicolai, Sancti Archangeli, Sancti Magni, Sancti Fabiani, Sancti Georgi, Sancti Matthei ad duo flumina, *& Ecclesiam Sancti Angeli de Monte Corase, Sancti Blasii de Butrano, Sancti Joannis de Turesino, Sancti Salvatoris de Nuce, Sancti Zacharie de Lauris, cum* Cellis eorum, *jure perpetuo possidenda atque regenda, & secundum Deum ordinanda venerabili* Petro Abbati ejusdem Monasterii, *charissimo filio nostro* Gisulfo Principe *concedente, olim donavimus, & nunc eidem Abbati, ejusque Successoribus ad regendum, corrigendum & procurandum ipsa committimus & auctoritate Apostolica confirmamus. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum Principis, cujus vice sancte Romane Ecclesie presidemus, & omnino prohibemus, ut nullus Archiepiscopus aut Episcopus, nullus Regum, Ducum, Principum, Comitum, nullus Clericorum, Laicorum, aut quelibet omnino magna vel parva persona, prefato Sancte Trinitatis Cenobio in predictis Monasteriis vel Ecclesiis, cunctisque ad ea pertinentibus, quocumque modo seu qualibet occasione aliquid minuere, vel dolos vel molestias aut aliquam violentiam inferre, aut Dei servos inquietare punienda temeritate presumat, quatenus Romane soli Ecclesie idem Monasterium cum prefatis Ecclesiis pleno jure videatur esse subjectum. Tanto enim Religiosi Monachi, ibidem Deo servientes, sinceriori mente Divinum opus exequi devotissime poterunt, quanto nos eorum quieti nostrâ, immo beati Petri Apostolorum Principis auctoritate, per omnia providere studemus. Si quis verò adversùs predictum Monasterium justam se putat habere querelam, & apud Cenobii Abbatem vel Monachos litem suam decidere ac diffinire noluerit, volumus atque edicto perpetuo statuimus, ut ante nos, vel Legatos nostros querimonia deferatur, quatenus equitate judicii, sine personarum acceptione, sua unicuique justitia, Deo auctore, servetur. Si quis autem contra hanc nostri decreti auctoritatem ire tentaverit, sciat se beati Petri Apostoli gratiam amissurum, & Apo-*

& Apostolice indignationis ultione feriendum. Obedientes verò, & hujus pagine precepta servantes, dignam a Deo retributionem accipiant, & Apostolicam benedictionem consequantur.

Sigillum plumbeum.



Et haec quidem laudanda. Sed quod non aeque laudes, Caesares interdum alterum alteri Monasterium subdebant, Monachis invitis; atque in eam rem suspicari liceat, potentiores Monachos conatus suos addidisse. Neque enim semper ab eorum coetibus ambitio aberat; immo quo latius dominari poterant, eo pluris Congregationem suam faciendam arbitrabantur. Sed praecipue insignium Coenobiorum conditores & conditrices hac ratione conabantur potentiam ac nomen augere loci sacri a se aedificati. Suum exordium (ut saepe aliàs memini) Angilbergae Augustae Ludovici II. conjugi debet insigne Monasterium Placentinum Sancti Sixti, primo sacrarum Virginum, tum Monachorum domicilium. Nihil intentatum reliquit Imperatrix illa, etiam post obitum Augusti viri sui, ut quot posset modis sui Parthenonis decus & opes amplificaret. Itaque Anno DCCCLXXXIX. Arnulphum Italiae Regem pertraxit ad subjiciendum eidem Placentino Ascecterio *in Comitatu Prissanensi Monasterium Novum; Papiae verò Monasterium Sancti Marini, atque Monasterium Sancti Thomae, necnon Monasterium Reginae, in quibus Sanctimoniales Domino famulantes commorantur; in Placentino etiam Comitatu Abbatiam, Caput Trepium nuncupatam.* Habes editum Diploma a Campio Tom. primo Hist. Ecclesiae Placentinae. Quod autem *Monasterium Novum* appellatur *in Comitatu Prissanensi*, nihil aliud fuit, nisi celeberrimum Brixianum Sanctae Juliae, a Sanctimonialibus adhuc inhabitatum. Ac proinde mirari quisquam possit audax Angilbergae Augustae consilium curantis, ut novo suo Coenobio alterum tanti nominis subderetur. Sed ausa id ea fuerat sub Ludovico II. Imperatore marito suo, ut infra intelliges ex ejusdem Imperatoris Diplomate evulgando in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium datis*. In subsequentibus tamen Privilegiis Sixtino Monasterio concessis nihil occurrit, unde constet, Brixianum ac Ticinensia illa Monasteria ad jus Placentini post sublatam e vivis Angilbergam pertinuisse. Cura nempe singulis fuit, ut ejusmodi jugum excuterent. Nonnulla ex hisce Privilegiis evulgavit Campius: ego verò

plura in hoc ipso Opere. Sed & nunc alia duo accipere Lectorem non pigebit, quorum alterum ex Archivo ejusdem Monasterii Sancti Sixti deductum est; alterius apographum vetustum vidi in Tabulario Communis Cremonensis.

Berengarius II. & Adelbertus Italiae Reges Monasterio Monialium Sancti Sixti Placentini confirmant omnia illius jura ac Privilegia, Anno 950. seu potius 951.

IN *nomine Domini Dei eterni.* Berengarius & Adelbertus *divina providente clementia Reges. Si sacris ac venerabilibus locis tempo alia atque transitoria concedimus,* * *magnam apud Dominum remunerari in futuro nequaquam diffidimus. Quocirca noverit omnium fidelium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum industria,* Giseprandum *sancte* Terdonensis Ecclesie Episcopum, *necnon* Widonem *sancte* Mutinensis Sedis Presulem, *humiliter nostram exorasse celsitudinem, quatenus amore superne remunerationis per nostri Precepti paginam quoddam* Monasterium infra Civitatem Placentinam, *a beate videlicet memorie* Angelberga Imperatrice *constructum, & in honore* Sancti Xysti *hedificatum,* Berte *gloriosissime* Abbatisse, *Amite nostre cum omnibus suis pertinentiis confirmare ac corroborare dignaremur; simul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Cortes, Wardistalla scilicet, Campum Miliatico, Curte Nova, Peguniariam, Sexto, Luciariam, Littora Paludana, Villole, cum adjacentiis eorum, & omnia quecumque memorata Imperatrix institutione sui judicati ubicumque eidem Cenobio diffinivit ad habendum. Quorum petitionibus tota devotione faventes id fieri annuimus, hoc nostrum preceptum scribi jubentes, per quod prelibate Berte Abbatisse eumdem Monasterium confirmamus ac corroboramus, quatenus in sua sit potestate & dominio, quousque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet ac permaneat donec ejus fuerit vita; per quod etiam jam prescripto venerabili loco concedimus & confirmamus omnes res & possessiones mobiles ac immobiles, tam per Cartulas quám extra Cartulas, vel cujuscumque inscriptionis titulo ad partem ipsius Monasterii legibus adquisitas & adquirendas, seu quicquid per Regum vel Imperatorum Antecessorum nostrorum precepta ad eumdem sacrum locum collatum, atque* Cellulam quandam, *que antiquitus* Monasterium *dicebatur non procul a Placentina Urbe sitam loco, qui* Caput Trebbie *vocatur, in qua Ecclesia Apostolorum Principis dicata consistit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Carlomannus *serenissimus* Rex *antiquitus eamdem Cellulam cum universis suis appenditiis & pertinentiis eidem Monasterio proprietario jure largitus est, prenominato venerabili loco per hoc nostre Regalis auctoritatis preceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus, modisque omnibus corroboramus: familias quoque utriusque sexus & conditionis cum Curtibus & Capellis, earumque appenditiis, cum omnibus Castellis, casis, vineis, campis, pascuis, pratis, sylvis, salectis, sationibus, palidibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, fluminibus, piscationibus, ripis,*

ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planiciebus, coltis & incoltis, divisis & indivisis, mercationibus, vectigalibus, districtionibus, servis & ancillis, aldis & aldianis, & cum omnibus ad eumdem Monasterium juxte & legaliter respicientibus in integrum confirmamus, ita videlicet, ut prelibata Abbatissa Berta, quousque vixerit, hac nostrâ auctoritate roborata, de prescriptis rebus eidem Monasterio pertinentibus tam per preceptorum paginam, ut diximus, quamque aliarum Instrumenta cartarum, & adquisitis & adquirendis potestative omnium faciat, magnarum, parvarumque personarum molestatione remota. Si quis verò hanc nostram auctoritatem violare temptaverit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Kamere nostre & medietatem sepe fate Berte Abbatisse. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes de anulo nostro jussimus insigniri.

Signa Domnorum   *Berengarii & Adelberti serenissimorum Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ubertus Cancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovit & subscripsit.

Data XVI. Kalendas Februarii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCL. Regni verò Domni Berengarii atque Adalberti serenissimorum Regum I. Indictione Nona.

Actum Papie Ticinum, feliciter. Amen.

Otto I. Italiae Rex Bertae Abbatissae confirmat Monasterium Placentinum Sancti Sixti, eidemque Coenobio omnia jura ac Privilegia corroborat, Anno 951.

IN nomine Domini Dei eterni. Otto *divina favente clementia* Rex. *Si petitionibus fidelium nostrorum libenter annuimus, fideliores eos nobis esse minime dubitamus. Quocirca omnium universalis Ecclesie fidelium, nostrorum videlicet presentium ac futurorum noverit industria, qualiter* Hadeleyda *dilecta* Conjunx nostra, & Conradus Dux *fidelissimus noster nostram suppliciter exoraverit magiestatem, quatinus ob amorem superne remunerationis, per nostri Precepti paginam, quoddam* Monasterium infra Civitatem Placentinam, *a beate memorie* Angelberga *videlicet* Imperatrice *constructum, & in honorem* Sancti Sixti *dedicatum*, Berte *nobilissime* Abbatisse *nobis devotissime, cum omnibus suis pertinentiis confirmare dignaremur, simul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Curtes, Wardastallam sci-*

ſcilicet, Campum Miliacio, Curtem Nova, Sexto, Luciariam, Littora Paludana, Villole, Pigoniariam, cum adjacentiis eorum, & omnia quecumque memorata Imperatrix per inſtitutionis ſue paginam ubique idem Cenobium diſſinivit habendum. Quorum petitionibus tota devotione faventes id fieri annuimus, hoc noſtrum Preceptum ſcribi jubentes, per quod prelibate Berte Abbatiſſe idem Monaſterium confirmamus, quatinus in ſua ſit poteſtate & dominio, eouſque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet, donec ei fuerit vita. Per quod etiam jam preſcripto venerabili Loco concedimus & confirmamus omnes res & poſſeſſiones mobiles & immobiles, tam per Cartulas quàm extra Cartulas, vel cuicumque inſcriptionis titulo ad partem ipſius Monaſterii legibus adquiſitas & querendas, ſeu quidquid per Regum vel Imperatorum anteceſſorum noſtrorum Precepta ad eundem ſacrum Locum collatum eſt: atque Cellulam *quandam non procul a Placentina Urbe ſitam, qui* Caput Trebie *vocatur, in qua Eccleſia Apoſtolorum Principis honore dicata conſiſtit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Carlomannus *sereniſſimus* Rex *antiquitus eandem Cellulam cum univerſis ſuis appenditiis eidem Monaſterio proprietario jure largitus eſt, prenominato venerabili Loco per hoc noſtre Regalis auctoritatis Preceptum ex integro perdonamus, largimur, & confirmamus, & modis omnibus corroboramus: famulos quoque utriuſque ſexus, & conditionis, cum Curtibus & Capellis, earumque appenditiis, cum omnibus Caſtellis, campis, caſis, vineis &c.* (*) *Si quis hujus noſtri Precepti paginam infringere voluerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre & medietatem prefate Abbatiſſe. Et ut hoc verius credatur, & attentius obſervetur, manu noſtra propria ſignavimus, & anuli noſtri ſubter juſſimus adfirmari.*

Signum Domni  *Ottonis ſereniſſimi Regis.*

Wulgfridus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovit.

Data VIII. Idus Februarii, Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCLII. Indictione Decima, Anno verò Domni Ottonis in Italia Primo, in Francia XVI.

Actum Papie, feliciter in Dei nomine. Amen.

Edita heic Diplomata duo conferenda ſunt cum iis, quae Frodoardus, Continuator Reginonis, Sigonius, Baronius, Pagius, aliique tradunt de Anno emortuali Lotharii Regis Italiae, & de exordio Regni Berengarii Secundi, Adelberti, ac Ottonis Magni. Diſſimulare tamen nolim, in Diplomate Berengarii II. vitium fortaſſe latere. Neque enim Anno DCCCCL. *Januario Menſe* decurrere potuit *Indictio Nona*, niſi ſtatuamus, ſecundum morem Florentinorum ac Venetorum novum Annum DCCCCLI. Martio

(*) uti ſupra in Diplomate Berengarii & Adalberti.

Martio tantùm Menſe ſubſequenti inchoatum. Sed mihi veri videtur ſimilius pro *Anno DCCCCL.* ſcriptum ibi fuiſſe, aut ſcribendum eſſe *Anno DCCCCLI.* quippe ſubſequens Ottonis Magni Diploma & ipſum Ticini datum, cum *Anno DCCCCLII. Februario Menſe* conjungit *Indictionem Decimam*. Infra quoque in Diſſertatione LXX. *de Cler. Immunitat.* Diploma evulgabo, *Actum Papiae X. Kalendas Octobris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLI. Regni Berengarii & Adelberti Regum Primo, Indictione X.* inchoatâ videlicet primâ die ipſius Septembris. Ad haec in Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis Chartam vidi ſcriptam *Anno Primo Berengarii & Adelberti Regum, Indictione Nonâ, XV. Kalendas Septembris*, ſcilicet Anno Chriſti DCCCCLI. ubi Conradus Epiſcopus Lucenſis quaedam permutat ſpectantia ad *Eccleſiam Sanctae Mariae, Plebem Baptiſmalem in Piſcia Majori, quae eſt ſub poteſtate Epiſcopatus Sancti Martini*, ideſt Lucenſis. Item alteram ibi nactus ſum, exaratam *Anno XIX. Lotharii Regis, Quarto Nonas Martii Indictione VIII.* hoc eſt, Anno DCCCCL. quo revera contigerit obitus Lotharii Regis, & coronatio Berengarii atque Adelberti. In Chronico Brevi Regum Italiae, quod evulgatum a me fuit Tomo II. Anecdotor. Latinor. & Tomo IV. Rer. Italicar. haec leguntur: *In Viceſimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembris, in Baſilica Sancti Michaëlis, quae dicitur Major, fuerunt electi, & coronati Berengarius & Adelbertus filius ejus in Regibus.* Notae iſtae Annum DCCCCL. deſignant quo dies XV. Decembris, Domini dies fuit. Quare videntur emendandi Annaliſta Saxo & alii, anticipantes Lotharii Regis mortem, & Berengarii II. ejuſque filii Adelberti Regnum. At inſtitutum iter repetamus. Adelais quoque ejuſdem Ottonis Magni ſumme pia conjux, quum nobile Monaſterium Sancti Salvatoris extra Ticinenſem Urbem excitaſſet, eidem ſubjiciendum curavit *Monaſterium Sancti Anaſtaſii una cum Curte Olona, & inſuper Monaſterium Sanctae Dei Genitricis Mariae in loco Pomposa dicto, conſtructum*. Id ex compluribus Diplomatis a Margarino editis Tomo II. Bullarii Caſinenſis ediſcimus. En ut antiquiſſimum & inſigne Pompoſianum Coenobium, quod tanto tempore ſui juris fuerat ſub Romanorum Pontificum, aut Auguſtorum Patrocinio, famulari coactum eſt Ticinenſi Sancti Salvatoris, quo tamen onere non diu preſſum fuit. Neque ſecus egere *Farfenſes* Monachi, ut jam animadverti Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. *669*. Curarunt enim, ut Henrici Tertius & Quartus inter Auguſtos ſibi ſubjicerent celeberrimum *Vulturnenſe* Coenobium, praeter alia, quorum mentio eſt in Chronico Farfenſi.

Sed & alterum ſubjectionis genus in Italica quaedam Monaſteria invectum eſt Saeculo X. & XI. Quum enim Anno DCCCCXVIII fundatum in Burgundia fuiſſet Cluniacenſe Monaſterium, & ſenſim per Chriſtianum Orbem percrebreſceret fama loci tum ob ſanctitatem Abbatum, tum ob exactam Regulae Benedictinae obſervantiam illic reſtitutam, immo & multis piis conſuetudinibus adauctam, coeperunt in Galliâ primum, tum in Germania, Italia, ac Hiſpania complura Monaſteria celebratiſſimo illi ſeſe ſubjicere (variis autem pactis & conditionibus) ejuſque reformationem, conſuetudines, ac mores accipere. Ita Cluniacenſi celeberrimo Monaſterio

rio latissimus factus est dominationis campus, atque illius ope restaurata est plurimis in locis Monastica Disciplina. Verùm ubi opes Monasterii illius mirum in modum auctae sunt, atque occultum ambitionis ac superbiae virus, a quo vel meliores sibi interdum cavere nesciunt, in animos Cluniacensium irrepsit: elabi quoque sensim coeperunt ex eorum manibus, qui antea se ipsis subdiderant. Monasteriis enim, ad quorum reformationem advocabantur, ut jugum imponerent, quotquot poterant artibus, studebant; & Pontius eorum Abbas (teste Petro Diacono Lib. 4. Chronici Casinensis) eo progressus est, ut se *Abbatem Abbatum* jactitaret. Sed me fortasse longius, quàm par sit, abripuit argumentum vastissimum, quod sane quamquam a doctissimo Mabillonio mirifice inlustratum fuerit in Annalibus Benedictinis, attamen, quod est ad Italiam, nondum tamen satis pro dignitate pertractatum videtur, quum viro doctissimo latuerit ingens copia Monasteriorum, simulque Monumentorum ad Historiam Monasticam Italiae spectantium. Dolendum propterea est, praelaudatum Eminentissimum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Quirinum, cui consilium Historiae hujusmodi contexendae susceptum fuerat, variis occurrentibus caussis, manum e tabula sustulisse. Duobus exemplis rem absolvam. Nulla Mabillonio facta est mentio, praeter tot alia loca, Abbatiae sive Monasterii *Sancti Laurentii in Campo*, quod in Fanestri Dioecesi situm ad ripas fluvii Cesani non longe a ruderibus antiquissimi Oppidi Suasae, nunc Eminentissimo sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Alexandro Albano commendatum est. Attamen quantus fuerit sacri Loci splendor Anno MCLIII. & quot alia Monasteria eidem supposita fuerint, e subsequentibus Literis, quamquam non satis accurate olim descriptis, disces, quas ad me misit doctissimus vir Joseph Tiraboscus Senogalliensis.

Anastasii IV. Papae Bulla, per quam jura ac Privilegia confirmat Monasterio Sancti Laurentii in Campo, ejusque Abbati Alberto, Anno 1153.

ANastasius Episcopus, *servus servorum Dei. Dilecto filio* Alberto Abbati Monasterii Sancti Laurentii in Campo, quod in Fanensi Parochia situm est, *ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum . . . . voluntatis affectu debet prosequenter amplecti, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter innotescit, & utilitas postulat, vires indubitanter assumant. Quapropter, dilecte in Domino fili Alberte Abbas, petitiones tuas clementer admittimus, etiam predecessorum nostrorum* Joannis, Alexandri, Paschalis, *&* Innocentii Romanorum Pontificum *vestigiis insistentes, Beati Laurentii Monasterium, quod in Campo dicitur, cui adjutore Domino S. R. E. permanere decernitur, statuentes, ut quecunque bona, quascunque possessiones in presentiarum juste, & canonice possidere dignoscitur, universa, que in futurum Episcopali concessione, Regali aut Principali largitione, aut oblatione Fidelium, seu aliis justis modis eidem Cenobio, auxiliante*

liante Domino offerri contigerit, firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, Monasterium Sancti Angeli de Monte *cum Ecclesiis & omnibus ad eum pertinentibus*: Monasterium Sancti Paterniani de Mampullo *cum suis pertinentiis*: Monasterium Sancti Michaëlis *filiorum Alfedi: Ecclesiam Sancti Johannis de Montecalvo: Ecclesiam Mauriane in Lucioli, cum Curte de Paleano: Sancte Cecilie cum Curte de Ferbula: Sancti Stephani cum Curte de Fenilio*: Monasterium Sancti Hyppoliti cum Cellis suis, *videlicet Sancto Savino cum Curte sua de Pratalia, Sancto Mauritio, Sancto Michaële, & Sancto Damiano*: Cellam Sancti Stephani: *Ecclesiam Sancti Gerontii: Curte de Valelonga cum pertinentiis suis*: Monasterium Sancti Adriani *cum ipso Castro de Gajo, & cum Insula Arvosiccho usque ad flumen Mecauri*: Cellam *Sancti Martini in Britholi, Sancti Joannis Majoris in Fano constituti, Sancti Gregorii, Sanctorum Philippi & Jacobi de Cavallaria: Curte, que vocatur Canna Domestica: Curte, que nominatur Gurgo fusco: Ecclesiam Sancte Marie in Crutide, Sancti Paterniani: Curtem Numero; Curtem Urciano; Massa Barthi cum pertinentiis suis; Curtem de Sancto Petro in Vettelago; Curtem Roverate cum Ecclesia Sancti Joannis; Antudinam majorem atque minorem: Curtem Sancti Petri de Bolagaria: Castrum de Cerquacupa cum pertinentiis suis: Ecclesia Sancti Severi, Sancti Donati cum Curte de Ortaria; Curtem Montis Calvi cum pertinentiis suis*: Monasterium Sancti Laurentii *situm in Urbitalia cum pertinentiis suis, Curtis & Castris. Decernitur ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut etiam possessiones auferre, vel ablatas retinere vel injuste datas suis usibus venditare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Que omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostre Constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat.*

Ego Anastasius Catholicae Ecclesiae Episcopus *subscripsi*.

Ego Gregorius Presbiter Cardinalis titulo Sancti Calisti subscripsi.

Ego Arirbertus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Anastasie subscripsi.

Ego Julius Presbiter Cardinalis titulo Sancti Marcelli subscripsi.

Ego Ubaldus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Crucis in Hierusalem subscripsi.


Datum Laterani per manum Rolandi Sancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis & Cancellarii, Quincto Kalendas Decembris, Indictione II. Incarnationis Dominice Anno MCLIII. Pontificatus verò Domini Anastasii Quarti Pape Anno Primo.

Hujus autem sacri loci antiquitatem ut habeas perspectam, Diploma Ottonis III. Augusti adjicio, quod pariter supralaudato Tirabosco acceptum refero.

Praeceptum Ottonis III. Imperatoris, confirmantis bona ac privilegia Monasterio Sancti Laurentii in Campo, ac illius Abbati Petro, Anno 1001.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Otho *Dei gratia* Romanorum Imperator Augustus. *Imperatorie felicitatis est, Ecclesiis amissa jura restituere, & de his, que ad presens possident, securitatis ac libertatis eis in futurum munus concedere, ut dum remotis jurgium litibus in summa pace quiescunt, pro Imperii statu, totiusque gentis salute sponso suo Deo vivo & vero supplicare liberius possint. Quapropter noverit omnium Sancte Ecclesie Fidelium universitas, qualiter per interventum* Domni *spiritualis Patris nostri* Silvestri Secundi Pape, *tibi* Petro *venerabili* Abbati Monasterii Sancti Laurentii in Campo, *de eadem Abbatia cum omni integritate sua per hanc nostre preceptionis paginam confirmationem concedimus, & per te, tuisque successoribus Abbatibus in perpetuum confirmamus, ea scilicet pactione, ut omnia que more . . . . . . salario ad utilitatem Monasterii & Heremi substentationem in presenti haberi videris, de hinc quiete & secure possideas, idest omnia, que in circuitu ejusdem Monasterii sita esse videntur inter fluvium Saxanum & Rivumfrigidum, usque ad Terram Sancti Apollinaris in Classe, & Ancudenam cum omnibus ad se pertinentibus:* Cella Sancti Petri *in Bulgaria cum Castello suo, & Curte, deque illius tota . . . . . .* Cella Sanctorum Philippi, & Jacobi *cum Castello suo, quod dicitur Cavallaria:* Cella Sancti Adriani *cum Castello de Cajo a strata publica usque ad fluvium Metaurum:* Cella Sancti Martini *in Bretoli cum omnibus ad se pertinentibus:* Cella Sancti Johannis majoris *in Fano constituta. Haec omnia cum omnibus ad se pertinentibus nostra Imperiali auctoritate licet tibi intromittere, & ad usum Monasterii, & tuorum Fratrum deinceps perpetuo possidere. Et non sit tibi fas, neque ullis tuis successoribus Abbatibus de omnibus supradictis quicquam aliquam partem, aut emphiteutam, seu quacumque scriptione transcribere vel ordinare, nisi more colonico ad fruges annuatim persolvendas. Cetera vero, que male sunt transcripta, & secundum Justinianam Legem non sunt ordinata, vel adventitiis emphiteuticis scriptionibus a Monasterio eodem sunt alienata, sancimus, ut potestati tue investias, & predicta preceptione intromittas, idest Corte Vetilago cum omnibus ad se pertinentibus:* Cellam Sancti Geruntii *in Guanze cum omnibus ad se pertinentibus:* Cellam Sancti Savini *in Pratalia cum Corte, & omni pertinentia sua; Cortemque sive loca, que vocantur Metivo cum omnibus ad se pertinentibus, & locum qui vocatur Aroveta cum Ecclesia in eodem loco constituta, & cum omnibus ad se pertinentibus:* Cellam Sancti Donati, & Cellam Sancti Severi *cum Cortibus & omnibus appartenentiis suis. Hec omnia, & cetera quecumque ad jus ejusdem Monasterii pertinere videntur, irritis omnibus scriptionibus eorum, eidem venerabili loco restituimus per hanc nostram inviolabilem Constitutionem. Decernimus etiam ut nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Princeps, Comes, Vicecomes de his omnibus possessionibus, quas superius diximus,*

mus, alicui mortalium aliquid donare, vel in beneficium attribuere presumat, neque alicui Archiepiscopatui aut Episcopatui id Monasterium subjiciat, sed semper sub solo jure, & dominio sancte Romane Ecclesie perpetuo consistat. Insuper pro remedio anime mee, meorumque parentum, tibi, tuisque successoribus Abbatibus in perpetuum de nostra Imperiali munificentia concedimus, ut de omnibus Castellis, Massis, Cortibus, Villis, atque cunctis possessionibus ad idem tuum Monasterium pertinentibus, nullum Fodrum alicui magne parveque persone dehinc persolvatur, sed tibi, tuisque successoribus, & fodrum colligere, & districtionem in omnibus supradictis possessionibus tenere liceat. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, manu nostra propria firmavimus, & Sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni  *Ottonis serenissimi Augusti.*

Locus ✠ Sigilli deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani recognovit.

Datum Nonis Martii Anno Incarnationis Dominice Millesimo Primo, Indictione Decimaquarta, Anno vero Tertii Othonis Regnantis XVII. Imperii . . . . . .

Actum Perusie.

Animadverte Monogramma Ottonis III. simile alteri Ottonis I. Quid hac de re dicendum, in praesentia non vacat inquirere. Porro quantae dignitatis nuper memoratum Monasterium fuerit, inde praecipue intelligas, quod alia suberant ei Monasteria, videlicet *Monasterium Sancti Angeli de Monte*, *Monasterium Sancti Paterniani*, *Monasterium Sancti Michaëlis*, *Monasterium Sancti Hyppoliti*, *Monasterium Sancti Adriani*, *Monasterium Sancti Laurentii*. Neque exilia, neque levis momenti fuisse opineris haec alia Monasteria subjecta Fanestri. Erant & iis *Cellae*, *Curtes*, *& Castella*; ita ut denique jam manu tangere possis, defuisse quidem vetustis Saeculis religiosos Ordines Fratrum Mendicantium, quorum domus tam frequentes nunc cernimus in Urbibus & Castellis, immo & in Vicis; sed propterea desideratos minime fuisse Monachos, qui Monasteriis ac Cellis quamplurimis Civitates ipsas & agros implerent. Demum ut, quod superius innui, altero confirmem exemplo, Mabillonio nimirum non pauca per Italiam latuisse Monasteria, quaeras quidem in ejus Annalibus Benedictinis originem & monumenta *Monasterii de Ferentillo*, at nulla reperies. Dignum tamen est antiquissimum & insigne Coenobium, cujus sit apud posteros aliqua mentio. Situm erat in agro, & Dioecesi Spoletana in Apenninis montibus, ejusque etiam meminere Leander Albertus & Ughellius. Teste Bernardino Comite Campelli in Histor. Spoletan. Lib. 12. Monasterii hujus fundator fuit Faroaldus Spoleti Dux circiter Annum Christi DCCXXII. Ita verò illius opes ac potentia creverunt

verunt, ut Abbas multis Villis atque Castellis olim dominaretur: quod ex Charta edisces, quam mihi suppeditavit Regestum MStum Cencii Camerarii.

Sacramentum fidelitatis praestitum Gregorio IX. Papae ab Abbate & hominibus Monasterii Sancti Petri de Ferentillo Spoletanae Dioecesis, Anno 1231.

IN Dei nomine. *Nos* Abbas & Conventus Monasterii Sancti Petri de Ferentillo, & Homines Abbatiae *juramus ad sancta Dei Euangelia Domino Papae sub hac forma, in manu Domini Stephani Capellani sui.*

Ego talis *juro, tactis sacrosanctis Euangeliis, stare, & obedire omnibus mandatis* Domini Gregorii Papae IX. *& suis Nuntiis: & quod ero fidelis ei in perpetuum, & Successoribus suis canonice intrantibus. Non ero in facto vel in consilio, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credent, nulli pandam ad eorum damnum. Terram Abbatiae de Ferentillo adjutor ero eis & Romanae Ecclesiae ad retinendum & defendendum contra omnem personam. Item studium dabo, quod omnes alii de Terra Abbatiae de Ferentillo jurent & servent idem juramentum. Sic me Deus adjuvet & haec sancta Dei Euangelia.*

Donnus Octavianus Prior juratus.
Donnus Castorius Monachus juratus.
Donnus Aegidius juratus.
Donnus Saracenus juratus.
Donnus Raynaldus juratus.

De Villa Macenani, Valerius Janni juratus. Bonajura Raini jur. Mancinus Berardi jur. Jaurus Follis jur. Valteronus Jauri jur. Henricus Follius jur. Matthaeus Accurinbonus jur. Odorinus Valteri jur. Macaramius Janni jur. Gentilis Oddonis jur. Johannes Binniturus jur. Raunaldus Rainerii jur. Rainuccius Acti jur. Johannes Rainuccii jur. Rainaldus Preane jur. Johannes Adae jur. Rainaldus Berarducii jur. Burlante jur. Rainaldus Petri jur. Beradus Petri jur. Johannes Petri jur. Scaniorinus Berardi jur. Todiscus Janni jur. Minisbare jur. Johannes Salvi jur. Porcaclia jur. Piteccus jur. Massaronus Janni jur. Rainerius Janni jur. Valterius Binicti jur. Ruballus Petri jur. Romanellus jur. Valteronus ejus filius jur. Malloccus jur. Scamius Berardi jur. Bartholomaeus Oddonis jur. Brandicia Valteri jur. Johannes ejus nepos jur. Benencasa Morunti jur. Scerive jur. Munallus Janni jur. Tizonus jur. Johannes Azari jur. Blasius Azari jur. Berardus Valteri jur. Presbiter Cras jur. Oddo Valteri jur. Johannes Valteri jur. Berardus de Militi jur. Gintilonus Raicteri jur.

Villa de Ginesta, Aegidius Bernardi jur. Munallus Adae jur. Gusmerius Adae jur. Janni Planus jur. Rainallus Thomae jur. Tomassonus Benencasae jur.

Item Villa Terriae, Johannes Surritinus jur. Matthaeus Adae jur. Abmandus jur. Benencasa Adae jur. Lorencius Stati jur. Matthaeus Gramonis jur. Andreonus Benedictae jur. Petrus Bentevege jur. Turianus jur. Matthaeus Janni Adae jur. Jannucinus Valteri jur. Adam Murus jur. Binnictus Machari jur. Berardus Machari jur. Valterus Machari jur. Binnictus Salvurinus jur. Berardus Salvurinus jur. Petrus Salvurinus jur. Bonavincta Rubei jur. Scamius Rubei jur. Valterius Binnicti jur. Berardus

dus Binnicti jur. Albertus Johannis jur. Valterus Benencasae jur. Leto Martinus jur. Johannes Benedicte jur. Lonardus Binnicti jur. Johannes Binnicti jur. Apollenaris jur. Berardus Doni jur. Villanocce jur. Petrus Berardi jur. Bonajuncta Berardi jur.

Villa Porcilis, Johannes Ranni Stacii jur. Gregorius jur. Gervasionus jur. Johannes Nicolla jur. Petrianus Nicolai jur. Rainaldus Nicolai jur. Berardonus Gergi jur. &c.

Villa Sanctae Catharinae, Actus Ofreducii jur. Balcerus Ofreducii jur. Bonavita Berardi jur. Rainallus Berardi jur. Petrus Berardi jur. Oddo Jannis Donadei jur. &c.

Montis Sancti Viti, Donnus Bennus jur. Bonensenia Petri jur. Oddo Rainerii jur. Corbus Berardi jur. Rainerius Petri jur. Acto Rainaldi jur. Paganellus Janni jur. &c.

Villa Sancti Viti, Appiladorus Rainerii jur. Andreas Mancini jur. Thomas Offredi jur. Salvatus jur. Matthaeus Presbiteri jur. Radolfus Berardi jur. Leo Donni Petri jur. &c.

Villa de Gabie, Thomas Thaddaei jur. Donnus Siniballus jur. Rainerius ejus filius jur. Aegidius Donni Siniballi jur. Jannus Gentilis jur. Octavianus Aifredi jur. &c.

Villa de Ferentillo, Bartholomaeus Odori jur. Matthaeus Fensoris jur. Ormannucius Matthaei jur. Thaddeus Odori jur. Avereltus jur. Vardianus Lorini jur. Benensenia Vardiani jur. &c.

Villa de Brisepto, Bernardus Janni jur. Aegidius Donnae Kierae jur. Stephanus Bernardi jur. Lonardus Clavelli jur. Clavellus Clavelli jur. Gintilis Jacobi jur. Angelus Parenzae jur. &c.

Villa Casalis Religiosi, Sinibaldus Forzae jur. Oddo Todini jur. Massarius ejus filius jur. Berardus Matthaei jur. Matthaeus Donnaebonae jur. Maximus Berardi jur. Thomas Berardi jur. &c.

Villa Castillonis, Donnus Moricus jur. Valterus Paganelli jur. Matthaeus Gentilis jur. Matthaeus Cotadini jur. Carolus Matthaei jur. Valterus Matthaei jur. Petrus Manzori jur. Todinus Clari jur. &c.

Villa Collis Olivae, Simeon Adae jur. Johannes Vaccari jur. Quintavalles jur. Berardus Petri jur. Rainerius Petri jur. Manettonus jur. Scanius jur. Adam Berardi jur. Simeon Vardavillae jur. Adam Franzae jur. Sinibaldus Raineri jur. Philippus Simeonis jur. Johannes Adae juratus.

Actum est hoc in Anno Domini Millesimo Ducentesimo Trigesimo Primo, tempore Domini Gregorii Papae IX. & Domini Frederici Imperatoris, Indictione Quarta, Mense Octobri.

Ego Matthaeus, auctoritate sanctae Romanae Ecclesiae Notarius, in iis omnibus supra intersui, & in publicam formam redegi Anno & Mense praedicto.

DE MONASTERIIS MONIALIUM.

DISSERTATIO SEXAGESIMASEXTA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMASEXTA.

VEl ab ipſis Religionis Chriſtianae incunabulis Virginitas Nuptiis praelata eſt, atque jam tum inventae ſunt piae Virgines, quae carnis illecebras contemnentes, ac Deo ſeſe voventes, perpetuae Virginitatis inſtitutum eligebant, Apoſtoli videlicet conſilium ſanctiſſimum amplexae. Quae firmiori mente ſe Deo dicabant, Velum quoque & conſecrationem accipiebant. Sed eo praecipue tempore invaluit ſacrarum Virginum Inſtitutio atque frequentia, quum redditâ per Conſtantinum Magnum Auguſtum pace ac libertate Eccleſiae, pietatis palam exercendae facta eſt omnibus copia. Seculo igitur Chriſtianae Aerae Quarto non ſolùm numerabantur complures aut Devotae aut Sacratae Virgines, quae in paternis ſive in propriis aedibus conſiſtebant, ſed etiam quae in Aſceteriis convivebant; nam eo ipſo Seculo inclinante, earumdem Monaſteria antea in Oriente inſtituta, in Occidente quoque eſſe coeperunt. Typis edita eſt a Bollando ad diem XII. Januarii, Regula iis praeſcripta Seculo Sexto a Sancto Caeſario Epiſcopo Arelatenſi. Sacris hiſce puellis inter ſeniores aliqua praeerat, iiſque ſua erat peculiaris forma & color veſtis, quae eas a Saecularibus feminis diſtingueret. Antequam ſacro velo donarentur, Caſtitatis votum emittebant. Novitiatus & probatio praecedebat, interdum per triennium. Neque Viduae a ſacris hiſce Aſceteriis, & a profeſſione caſtitatis erant excluſae. Id ſolùm Liutprando Langobardorum Regi viſum eſt addere, ne Mulieri, niſi tranſacto anno poſt mortem Mariti, liberum foret, *Monachicum habitum induere. Dolor enim*, ut ille ait, *dum recens eſt in qualemcumque partem voluerit, animam ejus inclinare poteſt*. Dolore autem refrigerato, facile deſideria carnis ita redeunt, *ut nec Monacha eſſe inveniatur, nec Laica eſſe poſſit*. Sed eam poſtea Legem Carolus Magnus, Langobardorum Regno ſubacto, abrogavit, fatigatus nempe multarum Viduarum precibus & querimoniis, uti ex Legibus Langobardicis liquet. Idem etiam Liutprandus Rex ſtatuit, ut quaecumque femina *velamen Religionis in ſe receperit, quamquam a Sacerdote*, (hoc eſt Epiſcopo) *conſecrata non ſit, ad Saecularem vitam vel habitum tranſire nullatenus praeſumat*. Si qua verò ex iis nuptias inierit, *perdat omnem ſubſtantiam ſuam*; perſona verò aut in Monaſterium mittatur, aut aliter de illa Rex provideat. Hujuſmodi edicto praecipue ſeriun-

feriuntur Sanctimoniales illae, quae adhuc in privatis aedibus, atque extra Monasterii claustra degebant, quae caussatae, quod ab Episcopo sacratae non fuissent, interdum conculcato Castitatis voto, ad Nuptias convolabant. *Sacerdotem* pro *Episcopo* sum interpretratus, quo etiam nomine olim Episcopi designabantur, & ad quos ex Canonum disciplina spectabat jus velandi Virgines sacras. Attamen si quisquam malit, Presbyteros quoque eâ voce significari, praefracte non adversabor; nam ex Canone 41. Concilii Parisiensis Sexti, habiti Anno Christi DCCCXXIX. constat, *quosdam Presbyteros, mensurae suae immemores, in tantam audaciam prorupisse, ut sacrarum Virginum Consecratores existerent: quod Canonicae auctoritati minime concordat*. Ex eodem etiam Concilio discimus, non consuevisse Episcopos *velare Viduas*, sed tantùm *Virgines*: Presbyterorum verò fuisse, *Viduis* velum sacrum conferre, non tamen inconsulto Episcopo. Seniores olim inter Moniales *Nonnae*, *Nonnanae*, *Nonnanes* nuncupabantur vocabulo antiquissimo, quod nos Lombardi, aliique Italiae Populi retinemus, Avum & Aviam *Nonno & Nonna* nuncupantes. Nomen a sera antiquitate ad nos venisse puto, non autem a Graeco, uti Menagius est opinatus. Sed progressu temporis ad quasvis Moniales *Nonnae* appellatio translata est. *Abbatissae* etiam vocabulum invaluit, atque illud Saeculo Christi Sexto potissimùm. Est mihi inscriptio, Capuae Anno MDCLXXXIX. effossa, atque ad me missa a Cl. V. Johanne Bernardino Tafurio Neritonensi, singulari amico meo. Posita fuit *Justinae Abbatissae*, quae etiam Asceterii illius *Fundatrix* appellatur, Anno Christi DLXIX. Decurrebat tunc Annus III. *Post Consulatum Justini II. Augusti*. Tertia autem Indictio exordium sumserat Mense Septembri. En ejus verba:

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
JVSTINA ABBATISSA FVNDATRIX
SANCTI LOCI HVJUS QVÆ VIXIT
PLVS MINVS ANNOS LXXXV. DEPOSITA
SVB DIE KALENDARVM NOVEMBRIVM
IMP. D. N. N. JUSTINO P. P. AVG.
ANN. III. P. C. EJVSDEM INDICTIONE TERTIA.

Plerumque verò in sacrarum puellarum Monasteriis ea sanctitas morum vigebat, atque inde tam bonus odor pietatis ac virtutum prodibat, ut vel ipsi Reges & Augusti in hujusmodi Coenobiis construendis certarent, atque ipsae eorum filiae Monasticam vitam ibidem profiterentur. Ticini Bertharidus Langobardorum Rex *Monasterium, quod Novum appellatur, in honorem Sanctae Agathae construxit, in quo multas Virgines aggregavit &c.* ut habet Paulus Diaconus de Gest. Langobard. Lib. V. Cap. 34. Ibique *Cuniberga Cuniberti Regis filia* Abbatissam postea egit. Ita Cunibertus ipse in eâdem Civitate excitavit nobile *Monasterium Sanctae Ma-*

Mariae Theodotis, seu *Theodotae*, aliquod adhuc vetustum splendorem servat. Et passim quidem *Ancillae Dei* appellabantur olim Deo sacratae Virgines, quasi essent *le Schiave di Dio*. In Concilio Romano Anni DCCXXI. haec leguntur: *quis Monacham*, *quam Dei Ancillam appellamus*, *in conjugium duxerit*, *anathema sit*. Ita Romoaldus Beneventanorum Dux *Basilicam in honorem beati Petri Apostoli construxit*, *quo in loco multarum Ancillarum Dei Coenobium instituit:* sunt ejusdem Pauli verba Lib. *6*. Cap. primo. Celeberrimum quoque olim fuit, & magnâ nominis celebritate nostris etiam temporibus fulget Brixianum Monasterium sub titulo Domini Salvatoris, & exinde Sanctae Juliae, a Desiderio Langobardorum Rege, & Ansa ejus conjuge constructum. Ibi Deo se dicavit *Anselberga* eorum filia, primaque Abbatissa ceteris Sanctimonialibus praefuit. Ibi & aliae filiae Regum, postea Monasticam vestem induerunt, & locum nobilitarunt. Nonnulla Diplomata Desiderii ac Adelgisi Regum ad idem Monasterium spectantia edidit Margarinus, vir alioqui non satis accuratus in Bullar. Casinens. Tom. 2. Haec olim nonnullis suspicionem falsi ingesserant, quorum argumenta nunc refellere non vacat. Potius, quando & mihi nobilissimi ejus Coenobii Chartas habere prae manibus licuit ex humanitate illarum Sanctimonialium, heic aliquid proferam, quod nondum editum vidi, ut certissima alioquin ex Regiâ munificentiâ Monasterii illius origo luculentius confirmetur. Quod antequam facio, adnotare juvat, in nuper memorato Bullario Constitutionem XV. a Desiderio Rege emissam pro Monasterio eodem praeferre has notas Chronologicas: *Actum Brixia die X. Mensis Julii*, *Anno felicissimi Regni* .... *XII. per Indictione VIII.* Membranam & ego inspexi, atque haec ibi legebam: *Acto Brixia die Mense Julii*, *Anno felicissimi Regni* .... *XV. per Indictione VIIII.* hoc est Anno Christi DCCLXXI. Itidem apud Margarinum Constitutio XVII. Desiderii & Adelchisi Regum data dicitur *Anno felicissimi Regni nostri Quartodecimo*, *&* *Duodecimo:* ego verò legi *Sextodecimo & Duodecimo*. Alia Margarini sphalmata in ejusdem Archivi Chartis referendis suo loco emendata dabo. Accipiant ergo Lectores, quid habeat Charta ibidem a me visa atque descripta. Quam etsi mire mutilam ac deformatam, ideo edere constitui, quod ante reliquas in Bullario Casinensi editas, a Desiderio Rege emissa videatur, grataque futura sit eruditis Brixianis, ac praecipue Cl. Viro Paulo Galeardo Canonico Brixiano, cujus eruditioni illa Civitas multum debet.

Desiderius Langobardorum Rex, & Ansa Regina ejus uxor, Monasterio Sancti Michaëlis & Sancti Petri in Civitate Brixiana multa donat, Anno 758.

.... *Rex*, *&* *gloriosa atque precelsa* Ansa .... *Michaëlis*, *atque Apostolorum Principis Petri*, *quod* .... *intra Civitatem nostram Brixianam*, *&* *Deo dicata* Ansilperga Abbatissa .... *Monacharum ibidem Domino servienti*. *Prophete electi*, *&* *Regis David vatici* ...... *mentum est*

est Dominus timentium eum. Et quia confidimus omne Dominus nostrum firmamentum nostrum dignatus est .... hujus seculi possessione gloria nomini ejus ipsius sanctis locis dona tribuendo decora .... ipsius Prophete testimonium dicentis: Domine dilexi decorem domus tue, & locum habitationis..... *ut a peccatorum nexibus mereamur absolvi, & eterne vite gaudium consequamur, per nostre .... preceptum offerimus in jure ipsius Monasterii ex propria facultate nostra. Primum omnium .... Monasterii cum Ecclesiis, & reliquis edificiis a nobis ibidem constructum atque area vel omnia coherentia ibidem pertinentia, qualiter jam dudum a predecessore nostro* Domno Aistulfo Rege *nobis concessa fuit, aut qua ...... ibidem post ...... aut quolibet ingenio advenit, sicut posita, & clausa, atque .... ibidem a nobis largito .... ctionem. Itaque supradicta .... largimus Curtem nostram in loco, cui vocabulum est Cerr .... in integrum ad ipsam Curtem pertinentibus, qualiter nobis ab eodem..... concessa fuit, quod postea ibidem per comparationem, donationem, aut quacunque .... decimis tocius terre, quàm earum operarum alicubi laboraverunt, ad illarum commu........ superius nominata, cum edificiis cum bovibus & .... utriusque sexus simul cum familiis, servis ...... liberos, liberis, cum omni & in omnibus mobilibus & immobilibus rebus in integrum, sicut nostre pertinuit potestati in jura jam fati Monasterii concedimus, & per presentem nostrum confirmationis preceptum ...... ab hac die ..... Comitibus, Gastaldiis, & gentibus nostris .... in aliquo audeat molestare ..... Et ut hec .... doale Notar ...... Mensis Januarii ..... nostri in Dei nomine Secundo .... ne XII.......*

Ni mei me fefellerunt oculi, quae literae in calce membranae supersunt, indicare mihi visae sunt *Januarium Mensem, & Annum II.* Desiderii Regis & *Indictione XII.* quae Indictio Annum proderet DCCLIX. Verùm quum Desiderius Regnum inierit Anno DCCLVI. veri videtur similius ibi legi *Indictionem XI.* atque adeo ad Annum DCCLVIII. mutilam hanc Chartam esse referendam. Sed quidnam, quaeso, priora verba significant, nempe *Michaëlis, atque Apostolorum Principis Petri?* Nemo non dicat, supplendum heic esse Monasterium; ei autem Coenobio eadem *Anselberga Abbatissa* praeerat, quae, ut nuper ajebam, Desiderii ipsius filia fuit, atque *Abbatissa Monasterii Domini Salvatoris*, quod postea Sanctae Juliae appellatum est. Nunquid ergo unum idemque Monasterium sub variis hisce titulis erectum fuit? An antea *Sanctorum Michaëlis & Petri* nomine dedicatum, postea jubente Rege, *Domini Salvatoris* nomen assumsit? An potius agitur heic de altero Monasterio, quod Desiderius construxerit, & celebriori Monasterio Salvatoris supposuerit? Ego in re obscura sententiam suspendere, eamque peritioribus Brixianae Urbis reservare satius duxi, atque interim proferre alias tabulas ad confirmandam originem puellaris illius Monasterii, cui paria in Italia, quod est ad antiquitatem, nobilitatem ac famam pauca ostendas. Hasce legi in eodem Archivo, nempe exemplum ex authentico coram Judicibus Brixianis Anno MCCXCIX. comprobatum.

Ansel-

Anselperta Abbatissa Monasterii Sancti Salvatoris & Sanctae Juliae Brixiensis, commutationem multorum bonorum facit cum Natalia Conjuge Alechis, & Pelagia Abbatissa Monasterii Laudensis Sancti Johannis, Anno 701.

REgnante Domno Desiderio *Viro excellentissimo* Rege, *Anno pietatis ejus in Dei nomine Quinto, & gloriosissimo filio ejus* Domno Adelchis Rege *Anno Tertio, decima die Mensis Septembris, Indictione Quintadecima. Commutatio bone fidei noscitur esse contractum, & vicem emptionis obtineat firmitatem, eodemque nexo obligat contrahentes. Placuit itaque & bona voluntate convenit inter* Anselperga sacrata Deo Abbatissa Monasterii Domini Salvatoris, *qui fundatum est in Civitate Brixia, quam* Domnus Desiderius *excellentissimus* Rex & Ansam *precellentissimam* Reginam *genitores ejus ad fundamentis edificaverunt, necnon & inter* Natalia *clarissima* Conjuge Alehis *V. M. Gastaldo Regis, ipso jugale suo consentiente, &* Pelagia dicata Deo Abbatissa Monasterii Sancti Johannis, *que sito est intra Civitatem Laudensi, quam Genitor eorum quondam Ghisulf condedit, ut in Dei nomine debeat dare, sicuti & a presenti dedit habens ipsa Anselperga predictarum Natalie & Pelagie in causa commutationis; idest in primis Curte cum Casas intra Civitate cum ortoras sex cum omni edificia insimul valentes solidos quinientos, seu & alia Casa intra ipsa Civitate Laudensi cum Curtizola vel orto, atque usum putei extimatum est Solidos numero centum. Item Curtes duas, una in Asellias, & alia in Gambate habentes insimul ipsas Curtes, terras videlicet, pratas & silvas, juges numero triginta & novem; extimata sunt Solidos quatrinientos quinquaginta. Item Casa in Vico Maconi habente terra videlicet & pradas, vel omnia ad eam pertinentem insimul numero undecim. Et est Solidos numero centum quinquaginta: seu & vitis intra clausura prope Celera Inge una valente Solidos treginta. Item Casa in Villa .... habente juge numero viginti & octo semis; extimatum est insimul Solidos trecentos. Necnon & Casella cum terra in loco Auriate, juges numero decem, cum vidis & silvas &c. Item prato prope Civitate, qui est riba Ponte de Celera cum puteo vel Curte seu sala, insimul juges duas, & pertica una, & tavolas octo, extimatum solidos octuaginta &c. Ita omnia super suprascriptas locas pertinent de Territorio Laudensi; seu & domum coltilem in alio Paterno de suprascriptis Territorio Laudensi &c. Item & de Curte in Valle Telina dedit predicta Anselperga ipsarum Natalie & Pelagie extimatum Solidos quinientos quinquaginta, idest & aldionis quattuor cum omnibus res eorum, extimatum est Solidos trecentos quatraginta, idest nomen eorum Deusdedit, Lopo, Gutefrit, atque & Bono insimul Aldionis &c. Extimatum est hec omnia suprascriptas res per Gaupert Sculdascio, Gauso, Dagipert, Warnefrit &c. Adoin Notarium, & Arioald filio quondam Gervasii aurifici, toto insimul res istas, que extimaverunt Solidos quattuor millia. Et ad invicem recepit habens ipsa Anselperga Abbatissa in causa commutationis ad suprascriptas Natalia & Pelagia germanas, idest Curte super*

F lu-

Fluvio Olio in finibus Brixiana, locus, qui dicitur Alphiano, cum medietate de omnibus rebus ab ipsam Gurtem pertinentem tam de massariis vel de peculiare, idest cum omnem edificia, curte, orto, area, campis &c. simulque & Recona in ipso loco a predicta Curte pertinere videtur. Unde aliam talem medietatem ante hos annos jam dicta Anselperga ex comparatione habere videris de Epolito Episcopo Civitati Laudensi; *& quod ipse quondam Genitor noster instituerat per manus Pontifici nostri Civitati Laudensi fieri venundatus est pro ejus anima pauperibus distribuat, tantomodo de ista medietate antepofito centum viginti juges terra & silva, quam ego Natalia ante hos annos in commudatione dedit Rodoin, Benigno, & Boni, & Augefrit germanis. Nam aliud omnia & in omnibus in integrum de quanta nobis de quondam genitore advenit in ipso suprascriptus locus. Ergo hiis commutatis rebus superius comprehensis una cum omni edificia, vel adjacentia & accessa sua, sibi jure ottimo vindicabunt, & faciant omni tempore ipsas vel successores earum de res superius comprehensas, de res, que inter se commutaverunt quicquid voluerint, excepto de familia, que per istas locas res commodaverunt in sua omnem familia ad ipsas res pertenentes unus alterius in suas reservaverunt potestate. De quibus & pena inter se posuerunt, ut si qua pars &c. Unde duas Cartulas uno tenore conscriptas inter se fieri voluerunt, atque ad invicem tradederunt.*

Quidem & ego Gompert Notarius Regis rogatus ad partibus perscripsi Ticino, die & Indictione suprascripta Quintadecima feliciter.

Signum manus .... qui hanc Cartulam fieri rogavit.

Pelagia Abbatissa huic Cartule convenientie a me facte relegi, subscripsi, & testibus obtuli rovorande.

Ego Alebis V. M. huic cartule commudationis facte ad Natalia Conjuge mea ex ipsius Natalie sibi ei consensi.

Signum manus Lazaro Gastaldio Domne Regina, filio quondam Piccioni de Cremona, testis &c.

Ego Gompertus V. M. rogatus ad Natalia & Pelagia germanas testis subscripsi, qui me presente confirmaverunt, & eorum relectum est in hac Cartula convenientie &c.

Gumpert Notarius Regis scriptor hujus Cartule, quam post tradita complevit & dedit.

Hinc habes, addendum esse Catalogo Episcoporum Laudensium *Hippolytum* in Charta ista memoratum. At quoniam de celeberrimo Coenobio Brixiano sermo fuit, religioni mihi ducerem, nisi & alterum adtexerem, non minori olim amplitudine ac splendore exstructum Placentiae, sub titulo *Dominicae Resurrectionis & Beatorum Apostolorum*, nunc autem *Sancti Sixti*, quod Casinates Monachi mulieribus olim inde pulsis, incolunt. Ejus fundatrix fuit *Angilberga Ludovici II. Imperatoris Conjux*, ut apud Campium in Histor. Ecclesf. Placentin. monumenta antiqua testantur: quod & aliis monumentis in hoc ipso Opere a me editis, ac praecipue in Differtat. XI. *de Allodiis* confirmatum vidisti. Post multos annos a morte viri Augusta mulier in supra memorato Brixiano Monasterio Sanctae Juliae, aut potius in ipso Placentino Coenobio a se aedificato finem vivendi fecit; non tamen Anno DCCCCXV. ut Arnoldus Wion censuit; sed longe citius: excedit enim fidem tandiu prorogata illius vita.

vita. Fallitur autem Bouchetus in Lib. de ver. origine Familiae Regum Francorum, quum illam *Ticini* Monasticum institutum iniisse arbitratur. Certum est, Angilbergam in Brixiano Coenobio Seculo renunciasse. An verò illius pater naturalis fuerit *Ludovicus Germaniae Rex*, quem Ludovicus Pius Augustus genuit, investigatum a me fuit in eadem Dissertatione XI. Alterum testem constructi ab ea nobilissimi Asceterii Placentini habeo Chartam nondum evulgatam, quae in Archivo ejusdem Monasterii adservatur.

Carlomanni Italiae Regis Diploma, quo Angilbergae Imperatrici Viduae ad utilitatem Monasterii Monialium, Placentiae ab ipsa fundati, concedit Cellam cum Ecclesia in loco nuncupato Caput Trebiae, Anno 877.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Karlomanus divina favente clementia Rex. Omnibus sancte Dei Ecclesie, nostrisque fidelibus, presentibus videlicet ac futuris, cognitum fieri volumus, Angilbergam *dive memorie* Hludowici *piissimi* Imperatoris *fratris nostri & consobrini nostri* Conjugem *Augustam dilectam Sororem nostram*, quoddam noviter Coenobium Ancillarum Dei ad laudem & gloriam Dominice Resurrectionis infra muros Urbis Placentinae in solo proprio pià devotione fundasse. *Ad cujus operis suplementum nos quoque ob honorem Dei, & ejusdem Fratris & Consobrini nostri amorem & nostrae mercedis aumentum*, Cellulam quamdam *haud procul ab eadem Urbe Placentina sitam* loco, *qui* Caput Trebie *vocatur, in qua & Ecclesia Apostolorum Principis honori dicata consistit, & ut fertur, Monasticis quondam habitationibus adtributa, cum omni integritate sua ad famularum Christi usus praefato Monasterio clementi liberalitate conferimus, donamus atque largimur, & per hanc nostre auctoritatis paginam in jus & potestatem praenominati loci sollemniter transfundimus, confirmamus, roboramus, stabilimus cum universis intrinsecis & extrinsecis, appendiciis, casis, & rebus mobilibus & immobilibus, ac promiscui sexus familiis ad ipsam Cellulam respicientibus, ut habeant illam famule Christi inibi militantes, & hoc nunc & deinceps, & possideant jure quieto ac pacifico absque ullius in posterum repetitione vel subtractione, altissimum Dominum jugiter exorantes tam pro nostre anime salute, quàm & pro dive memorie genitoris, fratris, ac consobrini nostri piissimorum Principum eterna requie. Si quis autem, quod non credimus, ex heredibus vel successoribus nostris hanc nostram in divino famulatu donationem atque munificentiam infringere aut violare tempcaverit, centum libras auri probatissimi componere compellatur, medietatem Palatio nostro, & medietatem supra taxato venerabili loco, & quod repetit, irritum sit. Ut autem hoc nostre auctoritatis atque largitatis preceptum pleniori robore cumuletur, manus proprie adnotatione insignitum anulo nostro sigillari precepimus.*

Signum

Signum  *Domni Karlomanni sereniſſimi Regis.*

Adeſt Sigillum cereum.

Baldo Cancellarius ad vicem Theotmari Archiepiſcopi ſummique Capellani recognovi & ſubſcripſi.

Data XIIII. Kalendas Novembris, Anno, Chriſto propitio, Primo Regni Domni Karlomanni sereniſſimi Regis in Italia.

Actum in Curte Sancti Ambroſii, que vocitatur Caſſianum juxta Attuam fluvium, Indictione XI. in nomine feliciter Dei,

Eodem quoque tempore piam Regum liberalitatem imitati ſunt Duces, Epiſcopi, & reliqui Italiae Magnates. Immo & poſtremi ordinis Cives ad Sanctimonialium Coenobia aedificanda convolabant, eâ potiſſimum de cauſsâ, ut ſi quas filias haberent virginitatem Deo ſacrare aut jam cupientes, aut aliquando cupituras, illic recluderent: quas etiam conſtituere ſacri loci Abbatiſſas conſueverunt. Egregie ritum hunc confirmabit atque inluſtrabit antiquiſſima Charta, quam olim depromſi ex Archivo Lucenſis Archiepiſcopii, ubi pervetuſtum illius apographum adſervatur.

Fundatio Monaſterii Sanctimonialium Sanctae Mariae in Civitate Lucenſi, quam Urſus Clericus facit, conſtitutâ ibi Abbatiſsâ Urſâ filiâ ſuâ. Anno 722.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Regnante* Domno *noſtro* Liutprand *viro excellentiſſimo* Rege, *Anno filiciſſimi Regni ejus in Dei nomen Undecimo per Indictione Quincta. Dum preſentis vite & tranſitus iſtius temporis &c. Hinc itaque ego* Urſus *ex tota mente devotionis pertractans, que prememorata ſunt, pro mercedem & remedium anime mee & comparationem vite eterne, edificavi Eccleſia proprio in territorio meo in honore Sancte Dei genitricis Marie, in qua* Urſa filia mea Abbatiſſa eſſe conſtituo, una cum germana ſua Anſtuda .... *religioſa ac Monaſtica vitam gerent, in qua Eccleſia mea pro facinora hodie in preſentia Civium do, dono, trado, donataque eſſe volo. In primis fundum meum ubi praedicta Eccleſia fundata eſt, cum Curte & puteo ſuo, orto, aditu, acceſſu, & .... ſuo: hoc eſt terra modio ſimis: Campo in Fuſſinulo, qui nobis in cambio advenit, medietate de vachis, & medietate de avibus in integra. Et Caſa Ruſculi in maſſa Fagani, qui mihi advenit ex dono* Domni Aripert Rege. *Candido vaccario cum armento ſuo..... mercato ſuo in loco Tuniolo: Sala in loco Ferroniano cum duas Caſas tributarias, una qui regitur per Candido, altera per Majorano, cum familia eorum, vinea, oliveto, ſilva peculiare,*

re, prato in ipso loco supra memorato. Et Casa Aroald .... Casas duas in Novale de morgincaput mulieri mee: una, qui regitur per Fridichis, & alia per Corbolo. Godoara, ancilla ...... gunda pro livera, Wilpergula pro livera, Candida pro ancilla, Tinctula pro ancilla. Ut hec omnia jam dicta Dei Ecclesia jure possideat, & quod adhuc ibidem largitus fuero, firmum permaneat, & Christianis temporibus sanctarum Ancillarum Monasterio nuncupentur. Et post decessu Urse filie mee, Anstuda germana ejus, Monasterii cura ipsa suscipiat. Et post ambarum decessum eam, que sibi Congregatio eligere voluerit, ipsa in Abbatisse ordo succedat. Et ego qui supra Ursus Clericus ab .... juxta Dei voluntate in mea volo esse potestate gubernandi; nam filius meus, vel heredis meus nullam ibidem habere párt ..... dominandi, nisi orare & benefacere. Nec nullus Sacerdos ibidem habitare presumat, nisi quem ipsas Ancillas Dei invitare voluerint, Missarum sollempnia celebrando. Si quis contra hanc decretum meum ire quandoque presumpserit, judicium incurrat Dei, & de ipsa Sancta Dei Genitricem, anathematus subjaceat. Quam vero Cartulam decretionis mee .... venerabili Presbitero scribendum rogavi, & subter pro confirmationem propriis manibus meis signum sancte Crucis feci, testibusque obtuli eam roborandam sub stipulatione & spunsione, quod interpositum.

Actum Lucà: Diem & Regnum & Indictione suprascripta feliciter.

Signum manus Ursuni Autori & Donatori, seo & Conservatori, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Ego Talesperianus *eximius* Episcopus *uic cartule donationis rogatus ad filio meo Ursone testi subscripsi.*

Rodauld indignus Presbiter rogatus ad Orsum testis subscripsi.

Rachiprandus Presbiter ipsum autenticum vidi & legi, unde hoc exemplar relevatum est, in qua manu mea subscripsi &c.

Uti in praecedenti Dissertatione vidimus, alteri Chartae, in qua virorum Monasterium in Lucensi Dioecesi constituebatur, subscripsit *Talesperianus eximius Episcopus*. Huic etiam ille subscribit, eodemque titulo utitur, pro quo legendum suspicabar *exiguus*: neutrius enim monumenti archetypa Charta superest, sed tantùm pervetustum exemplum. Episcopi certe, atque Abbates saepissime reperiuntur, *humilis & exigui* appellationem suis nominibus apposuisse. Quare utrobique subscripserit *Talesperianus*, id caussae fuit, quod sine Episcopi consensu nulla Monasteria instituere de novo licebat. Nam & iis ipsis temporibus sua Episcopis jura in virorum, sed praecipue mulierum Coenobia, intacta restabant; atque ad eos potissimum pertinebat in Sanctimonialium mores inquirere, earumque regimini sedulo vacare, simulque regularem observantiam in illarum Asceteriis aut vigentem promovere, aut deperditam restaurare ac restituere. Sunt autem & aliae novorum Coenobiorum institutiones, quibus nequaquam interfuit Dioecesanus Episcopus; ad perficiendum tamen opus, credendum est praecessisse aut successisse illius benedictionem atque consensum. Ita Radefridus quidam Civis Pistoriensis, inconsulto, ut videtur, Episcopo, fundationem iniit Monasterii Sancti Petri, quod adhuc Sanctimoniales alit, & reliqua sacrarum Virginum loca Pistoriensis Urbis nobilitate praecellit,

sub titulo *Sancti Petri Majoris*. Pendebat olim, ut conjicere fas est, praeclarum hoc Virginum Coenobium a Benedictinis Monachis, in antiquissimo Sancti Bartholomaei Monasterio degentibus, quod nunc a Canonicis Regularibus Lateranensibus incolitur. Ego Chartam fundationis in Archivo eorumdem Canonicorum legi, descripsi, atque heic edendam censui. Erat autem exemplum ante annos circiter quingentos scriptum, & membrana ex una parte succisa, quae caussam lacunis infra aspiciendis dedit.

Fundatio Monasterii Monialium, & Xenodochii Sancti Petri Pistoriensis, per Ratefridum filium Guilichisii facta, Anno 748.

IN *nomine Domini. Die octavo Mense Septembrio. Regnante* Domno Rachis *vir excellentissimus* Regem *Anno Quarto, per Indictione Secunda feliciter*. Ratefredi filius quondam Guilichisi *sperave in me divina potentia, dum complexus rejacere in infirmitate* .... *sine fine, ubi fures non effodiunt, nec furantur, ut illa voce audire merear, quia Dominus noster Jesus Christus ac Redemptor omnium in se credentibus promittere dignatus est:* Venite, benedicti Patris; percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. *Et iterum ammonuit, dicens* .... filius Masculus. *Previdimus* in proprio meo edificare Ecclesiam Monasterio beatissimorum Sancti Petri & Pauli atque Anastasii, *& inivi me vel anima mea commendare atque offerre medietatem de omnem parvitatem pecuniam vel adquisitum meum, quod nunc presenti die avere &* .... *tuero, cum Case avitacionis mee, quàm & Case massaricie, seo Casalia, vinea, terra, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationibus, cultum atque incultum, movilem vel inmovilem, seseque moventibus, omnia & in omnibus, ad ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi* .... *seu &* Astruelda, qui veste Monastica induta esse videtur. *In eum vero tenore, ut si jam dicta filia mea voluere cum Genitrice mea Muntia, atque Conjuge mea Perterada, seu Germana mea Ratperta in ipso Monasterio deservire voluere in* .... Senodochio *egenos vel pauperes recipiendum & elemosina tribuendum & guvernandum per ebdomata una pauperes vel peregrinas animas, & una cum* Dominico Abbate *Rectore, quem inivi ordinare previdi. Omnia, ut dixi, in sua habeat potestate regendum* .... *elemosinam tribuendam, de quod inivi Dominus condonare dignatus fuerit; & pro anima mea gravata ponderibus peccatis meis die nocteque omnipotentem Deum, & etiam Dei Genitrice Maria, vel Beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii inci* .... *nimis peccator de vinculis penarum eripere dignetur, & inter Sanctis & electis suis aliqua parte vel societas tribuere jubeat, quia scriptum est per eloquium & ministrationem Domini nostri Jesu Christi:* Petite & dabitur vobis: querite & invenietis .... *per ideo ego miser & nimium peccator creditur in ejus magna misericordia, quia pius Dominus & Redemptor omnium Celi & Terre de parvitatis mea terrenis tribuendum ad ipsa Sancta virtute nominis beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii celeste gau* .... *Conjuge mea Perterada*

teraaa carnali vitio fuerit consecuta, & in ipso Senodochio vel Monasterio noluerit deservire, nulla de rebus meis avere debeat, nisi vacua & inane exinde foris exire deveant, ambulando ubi voluerit, & forsitan filia .... rio deservire, si de cumpertione mea, vadat, ubi voluerit, amplius de rebus meis, vel in ipso Monasterio nulla posset avere, vel imperatione facere. Nam si inivi permanserit, omnia cum supradicto Rectore vel Genitrice, atque Conjuge, vel s .... Dominus vitam concesserit in hunc exilium Mundi avitandum, omnia mea sit potestate regendum, remeliorandum, usufructu capiendum, nam non ad secularibus pro nullo ingenio subtrahendum nisi pro Anima mea ..... demittendum ..... si .... mihi heredes esse deveant secundum Lex Gentis nostre, & ipse Senodochio in sua aveat potestate, vel quod per ipso mihi fuerit ordinatum. Et si ad secularibus voluerit permanere, portionem suam suscipiat, & in ipso Monasterio nulla imperatione .... ordinatione justa Deo fuerit ordinatum. Et quia me optandum ire, si sine filius masculo transiero, & antea de hac luce migratus fuero, quam ipsum sanctum & venerabile locum consecratum sit, volo atque decerno, ut ipso Oratorio vel Senodochio jam dictum .... ge, seu Sorore & filia mea de omnia medietate rebus meis, que inivi condonare visus sum, diebus vite sue aveat potestatem; & post ovito eorum, quod per ipsi inivi fuerit ordinatum & servi vel ancillas meas parte mea liveri demittendi .... ratum sic in ipsi livertas permaneat, sicut Princeps Domnus noster *bona memorie* Liuprandi Rex *per edictum confirmavit, & iterum confirmare previdi, ut sub nullius matriıs Ecclesia subjacentem ipsum sanctum Oratorium vel Senodochio parvitate mu .... Dominico Abbas, per me inivi positus, & ipsa Genitrice, atque Conjuge seu Germana atque Filia mea, in suam aveat potestatem diebus vite sue, aut Fratri vel Sorori, qui per ipsi inivi positi fuerint, vel postmodum unus quislibet secundùm Deum electis spiri .... peres, & pro scelera mea Dominum deprecandum; nam pro nullo titulo malum hominem alienandum, aut per corruptionem inivi alio superponendum, nisi quem ille voluerit, qui inivi fuerit ordinatus & nullus de heredibus proheredibus meis quandoque aliqua possessi .... tuis temporibus stavilitum permaneat. Et qui contra hanc Cartulam vel ipso Monasterio, aut sanctum Senodochio ire quandoque presumpserit, aut ea inrumpere voluerit, in primis in ira Dei & omnis Virtutis Celorum, & Archangelorum & Angelorum .... Scarioth, qui tradidit Dominum nostrum Jesum Christum, & in Tartaro sit conscriptum. Ecce ut mea fuerunt desideria adimplevi, & Avondus Notarius scrivere rogavi.*

Actum Pistoria, Regnum & Indictione suprascripta feliciter.

Signum manus .... fredus Medicus rogatus a Ratperto manu propria teste subscripsi.

Ego Lazarus rogatus a Ratperto testis subscripsi.

Ego Rachiperto rogatus a Ratperto testis subscripsi.

Signum manus Maurelli, qui filio quondam Statari, rog ......

Signum manus Anselmi, qui filio quondam Barusula, testis.

Signum manus Tatoni, qui filio quondam Fusoni, testis.

Ego Avondus, qui supra Scriptor hujus cartule post a testibus rovorata & tradita ipsius Abbas presente Andrea filio ....

..... Domni

. . . . *Domni Karoli, Anno Regni ejus Quarto per Indictione Prima complevi & dedi.*

Ego Gausperto Notario, sicut in autentica inveni scriptum, fideliter exemplavi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii Scriptor, autenticum illud vidi & legi, sic inibi continebatur, quomodo in hoc exemplar scriptum est, preter plus minusve, & manu mea propria scripsi.

Sed quando nobilis Monasterii Sancti Petri Pistoriensis injecta est mentio, Lectoribus non ingratum fore puto, si celebrem & perquam peregrinum ritum oblivioni & ego eripiam, qui olim ibi obtinuit; sed proximis tandem temporibus exolevit. Ubi novus Pistorii Episcopus Civitatem primùm ingrediebatur, universo Clero ac Populo stipatus, solenni pompâ deducebatur ad Templum Sanctimonialium *Sancti Petri Majoris*. Spectabatur ibi paratus dapsilis Lectus, quem sedis loco petebat Antistes. Tum Abbatissa, quae, effracto claustri muro in sacram Aedem cum universis Monialibus prodierat, ad sinistram Episcopi & ipsa super Lectum assidebat. Exinde a Praesule ejusdem Abbatissae digito anulus pretiosus inferebatur, desponsantis ad instar, & pastoralis etiam baculus dexterae illius paulisper dimittebatur. Atque his peractis, procedebat ad Cathedrale Templum Episcopus, Abbatissa regrediente cum suis virginibus ad consueta penetralia Coenobii. Testes hujusmodi antiquati ritus jam supra dedi in Dissertatione LXIII. *de Advocat.* Addere tamen in praesentia juvat, adservari in Archivo Pistoriensis Episcopatus, Librum manu exaratum cum hoc titulo: „ Liber Collationum Beneficiorum Ser Donati de Politis „ Cancellarii Episcopalis ab Anno „ MDXLIV. ad MDLXXV. „ Ibi verò pag 327. caeremoniae novo Episcopo adhibendae, his verbis describuntur: „ Giunto all' Antiporto „ della Città il Vescovo, accompagnato da tutto il Clero Regolare „ e Secolare, e da tutti i Magistrati, scavalca, e sopra un tapeto s' „ inginocchia, e adora la Croce, „ quale gli porge il Proposto della „ Cattedrale. E fatto questo il Vescovo domanda, se v' è la Famiglia de' Cellesi. E subito tutti i „ Cellesi, quali saranno ivi preparati, si fanno avanti, e posti ginocchioni, si levano in piedi; e „ quello, a cui è da loro ordinato, „ dice alcune parole, e gli baciano „ la mano. Dipoi rimonta sulla mula, e in mezzo a' Cellesi entra „ sotto il baldacchino, e li giovani „ de' Cellesi vanno alla staffa, e seguita la Processione dentro alla „ Città con li Priori, Magistrati, „ inverso San Pier Maggiore. Arrivato alle scalette della Chiesa, si „ cava i guanti di seta; e la mula „ co i guanti pigliano i giovani de' „ Cellesi deputati. Il Vescovo accompagnato da' Cellesi entra in San „ Pietro Maggiore, ove si pone a „ sedere nella sedia per lui preparata; e la Badessa, e le Monache „ vengono a baciargli la mano. Fatto questo, il Vescovo si ritira appresso il Letto quivi preparato, e „ postosi a sedere, viene la Badessa, „ quale fatta la debita riverenza, „ ancor lei siede da mano sinistra, „ e dal Vescovo riceve l' anello in „ dito, e di poi il Pastorale in mano con quelle parole, che parrà „ a sua Signoria Reverendissima &c. Interea retulerint, & non injuria, ipsi etiam

etiam severi Lectores ad hujus consuetudinis aspectum, eamque idcirco tandem sublatam intelligent, quod vulgi dicteriis nimis facile pateret. Mihi tamen in eo ritu nihil improbandum fuisse creditur, verique videtur similius, ipsum eâ solum de causâ in desuetudinem abiisse, quod novi Episcopi tam solemnem ingressum non amplius usurpent. Nam ad anulum quod attinet in digitum Abbatissae immissum, jam notum est, Virginibus etiam sacris conferri, & Benedictinis praecipue, solere ad significandum, eas nubere Christo. Atque is ritus multis olim in locis frequentabatur, immo adhuc alicubi perdurat, Episcopo tunc dicente: *anulo suo subarravit me*. Tota proinde ritus hujus deformitas in *Lecto* praeparato sita erat, super quem sedisse dicuntur Episcopus & Abbatissa. Verùm a recentioribus, qui nunquam spectaculo interfuere, hoc non satis rite traditum, affirmatumque fuit. Non *Lectum*, sed *un Palco*, idest *tabulatum* in Templo praeparatum fuisse tradunt alii Scriptores in eâdem Dissertatione LXIII. a me laudati. *Stratum paratum* in Templo fortasse legebatur in antiquis Monasterii aut Episcopi Ritualibus: quam vocem nonnulli interpretati sunt pro *Letto*, quum *Tabulatum* quoque significare potuerit. Atque in eam sententiam vehementius rapior, quod animadverterim in eâdem Dissertatione LXIII. parem ritum Florentiae olim observatum in pari solennitate atque in Templo ac Monasterio ejusdem Ordinis ac nominis. Vide praecipue, quae scripsit Petrus Ricordatus Casinensis Monachus in Histor. Monast. editâ Romae Anno MDLXXV. Is enim memorat, non *Lectum*, sed *un Palco benissimo parato*. Idem quoque Florentinorum ritus fuse descriptus legitur in Caeremoniali, manu exarato, cui titulus *il Bullettone*, in Archivo Archiepiscopatus Florentini, & in eorumdem Florentinorum Praesulum Chronologia, a Cerracchino editâ Anno MDCCXVI. Florentiae. Unde verò originem traxerit hujusmodi solennitas, quidve revera significarit, inquirere mihi non vacat, & praesertim quod antiquata jam fuerit. Ego rem innuisse contentus ad alia progredior.

Vidisti Sanctimoniales non ita Claustro olim addictas, ut iis inde pedem efferre interdum non licuerit. Heic igitur animadvertendum est, eum in finem Monasteria quidem Sanctimonialium instituta vel antiquitus fuisse, ut Virgines Deo dicatae, ibique collectae oblivíscerentur Populum suum, & Domum patris sui, atque a Saeculo remotae uni caelesti Sponso suo in sancta solitudine perpetuò inservirent. Verùm e Claustro quandoque egredi nequaquam iis nefas erat, ubi justae caussae intercederent, quippe clausurae observatio nondum severis legibus ac poenis constituta erat, uti nostris temporibus, ac potissimum post Pii Quincti Pontificis Maximi salutarem hac de re constitutionem observatur. Quod tamen ita dictum volo, ut simul affirmem, neque olim desideratas leges, quibus praescriberetur religiosa clausurae custodia sacratis Deo Virginibus. Gregorius Magnus Lib. IV. Epistol. 9. ad Januarium Episcopum non tulit, Sanctimoniales Monasterii in Sardinia siti *per Villas praediaque discurrere*, hanc obtendentes caussam, quod probato quopiam Clerico carerent, qui earum negotia procuraret. Itaque Episcopo mandat, ut quispiam ipsis deputetur, *quatenus ulterius eis pro quibu-*

quibuslibet caussis privatis vel publicis extra venerabilia loca contra Regulam vagari non liceat. Viden', ut Sanctimonialibus *Regula* interdiceret vagandi licentiam? Ita in Concilio Vernensi Anni DCCLV. statuitur, *ne Monachae extra Monasterium exire debeant*. Carolus verò Magnus in Capitulari Anni DCCCII. haec habet: *Monasteria puellarum firmiter observata sint, & nequaquam vagare sinantur*. Quod infra repetit his verbis: *Ut Abbatissae una cum Sanctimonialibus suis unanimiter ac diligenter infra Claustra se custodiant, & nullatenus foris Claustra ire praesumant*. Denique, ut alia omittam, Concilium Aquisgranense Anni DCCCXVI. de Monasteriis puellarum loquens Lib. 2. Cap. XI. satagendum esse ait, *ne Sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem*. Quod etiam animadvertendum est, Sanctimonialibus tunc erat Ecclesia interior, in qua, & non exteriori, sacrum pro illis celebrabatur, Presbytero earum Claustra ingrediente. Propterea in Synodo Cabilonensi Anni DCCCXIII. Cap. 60. constitutum fuit: *Non debere Presbyteros amplius in Monasterio puellari immorari, nisi donec Missarum solennia celebrent, aut aliquid ibi de Dei servitio, & suo ministerio expleant*. Id ab aliis Conciliis cautum reperio. Attamen, uti supra innui, si quando legitimae aderant caussae, ut Sanctimoniales, & praesertim Abbatissae, extra Claustrum versarentur, id facere crimini nequaquam vertebatur. Idque potissimum Quarto & Quincto Ecclesiae Seculo licuit. Sanctus Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, & in altera ad Eustochium, disertis verbis id prodit. Sed & Gregorius Turonensis publicas supplicationes a Gregorio Magno Papa institutas in Urbe referens Lib. X. Histor. Francor. haec habet. *Omnes Abbatissae cum Congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri cum Presbytero Regionis primae*. Concilium ipsum Vernense supra memoratum haec addit: *Sed Domnus Rex quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno, per consensum Episcopi, in cujus Parrochia est, ut tunc ad eum aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit &c.* Idem quoque statuit Concilium Turonense III. Anno DCCCXIII. Canone 30. Idem & alia Concilia decrevere. Carolus etiam Magnus in laudato Capitulari adjungit: *Sed Abbatissae, quum aliquas de Sanctimonialibus dirigere* (supple: *foris Claustra voluerint*) *hoc nequaquam absque licentia & consilio Episcopi sui faciant*. Idem quoque in Concilio Turonensi Tertio, Canon. 30. Anni DCCCXLVII. sub Rabano statutum de Abbatissa legas: *Et si quando foras pergat, comites habeat quasdam e Sanctimonialibus, quarum mores & actiones observet*.

Ergo non prorsus tunc interdictum Virginibus clausurâ obstrictis exerere pedem ex Monasterio; atque eâ de ratione Sancta Scholastica soror Sancti Benedicti, quam novimus in Coenobio Virginum Monasticam vitam ab infantia servasse, *semel per annum* ad invisendum fratrem non longe a Casinensi Coenobio se conferebat. Et in Constitutionibus Galteri Archiepiscopi Senonensis circiter Annum Christi DCCCCXV. statutum fuit: *Ut Moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna caussa. Et si Abbatissa ex causâ justâ alicui permittat, eidem injungat, quod sine mora revertatur*. Anno quoque MCXI. Donizone teste Lib.

Lib. 2. Cap. 18. de Vita Mathildis, obviam Henrico V. Regi, ad Romanam coronationem accedenti, praeter alios missae sunt

------- Monachae quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine
sumtis.

Idque ex antiquo more; nam ut Anastasius habet in Vita Leonis III. quum solemni Pompa invehendus esset idem Pontifex in Urbem, ei occurrerunt *Proceres Clericorum, Optimates, & Senatus, cunctaque Militia, & universus Populus Romanus, cum Sanctimonialibus, & Diaconissis &c.* Immo etiam coram Judicibus adstabant Sanctimoniales, si quando litibus pulsabantur. Animadverte, quid habeat pergamena mihi inspecta in Chartario Capituli Canonicorum Cremonensium, scripta *Anno Imperii Tercio Ottoni Imperatoris Quinto, Mense Genuarius, Indictione XIV.* idest Anno MI. Haec inde excerpsi: *Dum in Dei nomine Civitate Cremona in Caminata Majore domui Episcopio ipsius Civitatis, per data licentia Domni Odelrici Episcopi ipsius Episcopio, in judicio resedisset Adelelmus, qui & Azo, Missus Domni Ottonis Imperatoris &c. Ibique eorum veniens presentiá praedictus Domnus Odelricus Episcopus, & Gezo ejus & ipsius Episcopii Avocatus; necnon & ex alia parte Roza filia quondam Lanizoni, Veste velamen sancte Religionis induta; seu Adam infantulo* (hoc adnota, opus quoque fuit, ut in civili controversia, ejusque decisione, *infantulus* judicio interesset) *& Albizo tutor eorum, qui per jussione ipsius Adelelmi Missus tutor resistebad.* *Et ceperunt dicere ipse Domnus Odelricus Episcopus &c.* Quod tamen Roza ista *veste velamen sanctae Religionis induta* in judicio steterit, nil fortasse mirandum. Nam paene ab ipsis Ecclesiae incunabulis nunquam aliquot sacrae Virgines, quas *Moniales* nunc appellamus, desideratae sunt, extra claustrum, suisque in aedibus Deo famulantes, quales nunc cernimus Sorores de Poenitentia Ordinis Praedicatorum, seu Sorores Tertii Ordinis Fratrum Minorum, Ursulinas &c. Ejusmodi Virginum sacrarum in paterna domo degentium vestigia saepe occurrunt apud veteres Scriptores. Ego tamen alterum illustrius moris hujus exemplum heic editum volo. Ageltruda Adelchisi Principis Beneventani filia, Radelchisi itidem Principis soror, uti ex infra evulganda Charta, aliisque monumentis colligi potest, Guidoni Spoletino Duci nupserat. Is cadente Saeculo Nono Imperium Romanorum arripuit, cujus dignitatis consors Ageltruda divitias non paucas cumulavit. Viro e vivis sublato, viriliter illa Lamberti Augusti filii sui coronam tutata est contra conatus Arnulphi Germanorum Regis. Demum post Lamberti mortem reliquum vitae suae Deo sacravit, Religionisque vestem induens, Camerini sedem suam fixisse, domique suae vixisse videtur. Itaque ibi donationem fecit Monasterio Sancti Eutitii, ut Major Abbas inter Monachos reciperet Johannem Presbyterum. Chartam ad me misit Philippus Camerinius, doctissimus Presbyter Congregationis Oratorii Camerinensis, sive Camertis.

Agel-

Ageltrudis olim Imperatricis donatio facta Monasterio Sancti Eutitii, Anno 907.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Anni Nongentesimi Septimi, die XI. Mense Decembro per Indictione Decima. Actum in Camerino, in ipso Monasterio de Natabene. Manifesta est me Ageltruda olim Imperatrice, filia quondam Principis de Benevento, *relicta*, veste Religionis induta, quae fuit relicta quondam bone memorie Domni Guidoni Imperatori, quae modo in domo permanet, *& per qualiter edita Lex Longobardorum continet pagina*, ut Religiosa femina, que in domo permansisse, *licentia & potestate sua velle de res suas pro anima sua dare & judicare tertia parte, & pro qua* Domni Guidus & Lambertus Imperatoribus, qui fuerunt Virum adque Filium meum, *per eorum precepta mihi confirmaverunt, & consensum prebuerunt, ut de omnibus rebus meis licentia & potestate, habuisse pro anima mea dare & judicare vel disponere omnibus, quomodo & qualiter voluissem. Propterea volo, judico, adque pro anima mea, & de predicto Viro adque Filio meo, idest in* Monasterio Sancti Eutitii Confessoris, *quod situm est in loco, quod dicitur Campoli, hoc est Curtem meam in territorio Hesinata, locum qui dicitur Rubilliano, cum Oratorio beati Petri Apostoli, & cum Casis arilis & terris & vineis, & omnia ad ipsa cum dicta Curte pertinentes vel subjacentes res, secundùm qualiter mihi da Irilgarda per Cartula evenit. Ipsa suprascripta Curte do, trado, & judico, adque pro anima mea dispono in ipso antedicto Monasterio, ubi modò* Domnus Major abbas *esse dignoscitur cum aliis Fratribus, regulariter viventes. Hoc autem tenore*, ut ibi Petrus Presbiter in ipsa Ecclesia beati Petri habitum & obedientiam habeat, *sicut voluerit sicut ceteri Fratres Monachi in ejusdem Monasterium diebus vite sue; & ibidem orationes pro anima mea seu de predicto Viro adque Filio meo: & ibi faciat obedientiam ipse prefatus Presbiter, sicut aliis Fratres ejusdem Monasterii, & alia obedientia faciunt, & sive voluerit, sic suprascripta res in potestate de ipso....... Monasterio vel ad ipsos Monachos, quomodo ego pro anima mea decrevi, ibi firmum & stabile permaneat; & ego pro anima mea dedit vel judicavit, quod neque a me, neque ab heredibus meis, neque ab ullo homine numquam contradicatur, sed semper in perpetuum ibi firmum & stabile permaneat, quomodo ego pro anima mea dedit vel judicavit, sicut in edita Lex Longobardorum continet pagina, seu & quomodo per precepta dictorum Imperatorum habeo confirmata, sicut supra leguntur. Quam vero Cartula Testamenti rogatus ad suprascripta Domna Ageltruda scripsi ego Gregorius Notarius sub Die, Mense, & Indictione suprascripta feliciter.*

Signum manus suprascripta Domna olim Imperatrix, que hanc Chartula Testamenti fieri rogavit.

✠ *Ego Aifredo rogatus a Domna Ageltruda olim Imperatrix subscripsi.*

✠ *Ego Aufredo rogatus a Domna Ageltruda Imperatrix subscripsi.*

✠ *Ego Tressea rogatus a Domna Ageltruda Imperatrix subscripsi.*

✠ *Ego*

✠ *Ego qui supra Gregorius Notarius Scriptor hujus Cartula Testamenti & post tradita testibus tradidit & dedit.*

Sed & ipsis Virginibus Deo sacratis, atque in Claustro degentibus, licuit olim inde pedem aliquando efferre: quod factum ostendunt exempla jam producta. Placentiam quoque profectus est Sanctus Symeon Eremita sub initium Saeculi XI. cujus Vitam edidit Mabillonius Seculo Sexto Benedictino Part. I. pag. 157. Quum is, *antequam mediae noctis terminus incumberet*, prae foribus staret Monasterii sacrarum tunc Virginum, nunc Monachorum, Sancti Sixti, atque odas dulcisonas decantaret, hisce *laudibus una ex Ancillis Dei, Maria nomine, sacrista ejusdem Ecclesiae, vehementer exterrita ad Basilicae januas cucurrit, & quas vectibus & seris obfirmaverat, quia apertas invenit, mirata obstupuit*. Viden', ut liceret iis temporibus Sanctimonialibus in Basilicam exteriorem progredi, cujus etiam portas claudere ac reserare ad ipsas pertinebat? Immo ne hi quidem erant earum fines. Aribertus, seu Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis in postremis tabulis suis Anno MXXXIV. exaratis, Monasteriis sacrarum Virginum *Majori* videlicet, & *Widelindae*, & *Auroni*, & *Dathei &c.* annuam eleemosynam decernit. Tum imperat, *ut duae Monachae per unumquodque Monasterium Puellarum, quae superius leguntur, veniant omnes insimul in eodem die Veneris de praedicta hebdomada Quadragesimae in praedicto Presbyterio Sanctae Mediolanensis Ecclesiae ad percipiendam praedictam benedictionem omni anno*. Immo Anno etiam MCCLXXXVII. aliquibus in Urbibus nondum vigebat rigida illarum clausura. Quod ex Synodo Mediolanensi edisças, habitâ Anno eodem ab Ottone Archiepiscopo, quam edidi Tomo VIII. Rer. Italicarum. Ibi Cap. V. statutum est, *Ut Abbatissae, vel Moniales ad exequias mortuorum non vadant*. Quid plura? Vide luculentum hujus rei testem, hoc est monumentum a me prolatum in Antiquitatib. Estens. Part. I. Cap. XIV. pag. 110. Habente videlicet Placitum publicum Ticini *Ottone Comite Palatii* una cum Otberto & Anselmo Marchionibus Anno MXIV. *eorum veniens praesentia Eufrasia Abbatissa Monasterio Domni Salvatoris praesentavit ibi praeceptum unum &c.* Hujusmodi exempla non pauca ex editis Libris adferre possem, & quasdam etiam Abbatissas memorare, quae Conciliis interfuere; sed praestat, Chartis nondum editis rem illustrare. Primam accipe, ad Annum DCCCLXVII. spectantem, quam olim ad me misit Hubertus Benvoglientus Patricius Senensis. Ex ea liquet, a *Winigiso Comite Senensi* Monasterium Sanctimonialium in honorem Domni Salvatoris conditum fuisse Anno praememorato DCCCLXVII. eâ conditione, ut semper *viginti Moniales* ibi alerentur. Quod si conditio haec minime impleretur, *tunc licentiam & potestatem habeant heredibus, hac proberedibus nostris, praefata Abbatissa* (hoc est, Abbatissam praefatam) *de ipso Monasterio foras jactare, & alia Abbatissa ibidem mittere &c.* Integram pergamenam nunc Lector accipiat.

Fundatio Monasterii Sanctimonialium facta in agro Senensi a Winigiso Comite Senensis Urbis, sub titulo Domini Salvatoris, Anno 807.

„ *Privilegium, quod fecit Guinisicius Comes.*

„ IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. Antiqui Principes, & Sancti Patres statuta sanxerunt, quod nobis modo per futura tempora conservare obsequi oportet. Ut quicumque in sua propria hereditate loco sancto in onhore Sanctorum construere vel hedificare deliberat, oportet, ut idem ei in ipso sancto loco, quam hedificaverit, aliquid de rebus suis conferrere vel donare debeat, unde aput pium Dominum mercede comula accipiat; hoc per scripturarum series debet obligare, ut aliquibus in posterum non valeat infrangere, sed perhenniter maneat inconvulsu. Igitur ego in Dei nomine *Winigis Comes Senense filio quondam Reghinari, & Conjux mea Richildam*, & divina superna inspiratione, sana mente, salubrique consilio, unanimiter pertractantes, sicut dicit in Euangelio: *Vende omnia, que abes, & dat pauperibus, & abebit thesaurum in Celo*. Idcirco pro amore Dei omnipotentis, & remissione peccatorum nostrorum, ut pio Domino largiente veniam consequi mereamur, donamus adque tradimus ad Basilica nostra, quem constructa ibi, quem nos in honore Domini & Salvatoris unanimiter nostro opere hedificavimus, donatumque imperpetuo esse volumus, hoc est ipsa area, hubi ipsa Ecclesia a fundamento est hedificata in loco nuncupante Campi, hubi dicitur Fonte bona super fluvio Cogia, pago Senense, cum ipsa terra & silva, uno tenente ipsa silva nuncupante Acceptoraria & silva, & terra de Piscina sancta & Villa, que nuncupante Septiminula, ibidem prope ipsam Ecclesiam, cum casis, terris, vineis, silvis, servis, proservis, aldiis, proaldiis, liberis, proliberis, omnia & in omnibus ad ipsa Villa pertinentes: & Casas in ipso suprascripto Campi, cum servos & ancillas, cum greges procorum, greges pecorum, greges caprarum, greges jumentorum, greges armentorum. Et dedimus res nostras in Casprina, que nobis da quondam Odone & Albisinda Saligos per cartula evenerunt, cum casis & hedificiis, cum gregis ovium, & greges porcorum, & greges armentorum, cum servos & ancillas, & cum ipsos pastores, qui ipsa animalia custodiunt. Idest nomina eorum; in primis ibidem ad ipsius Monasterio in Villa, que dicitur Campi, Johannes Celerario cum Rodelinda uxore sua, & cum Adelberto filio suo: Waleprando besulcus frater eidem Johanni, cum uxore sua nomine Magna, & Ursa filia sua: Lupari besulcus cum Waleperga uxor sua, & Sperandeo, & Raintruda, & Bonula filie eorum: Johannes besulcu, cum Scamperga uxore sua: Albini besulcus cum Obisiada uxore sua: & Donatulo bisulcus cum Ranperga uxore

„ uxore ſua, & abitat in Septiminu- „ le: Berteſuſu cum uxore ſua Ildi- „ perga, & Bertiſinda filia ejus: Ju- „ mentario uno, nomine Ildeprando, „ cum Anſiperga uxore ſua: Savino „ pecorario, & Viccineperga uxore „ ſua, & Urſula filia ſupraſcripto „ ejus. Felix pecorario cum Sini- „ truda uxore ſua, & Johannes, „ Lupulo, Urſianulo, Fileperga, An- „ ſula, Urſula filiis eorum, & Jo- „ honnes Silla junior ejus. Et de „ ſupraſcripta Caſprina Paſtores, Ser- „ vos & Ancillas, nomina eorum: „ ideſt, Magiolo pecorario, cum „ Teupla uxor ſua, & filios maſcu- „ los tres, ideſt Johannes, Petrus, „ Teupala, & filie femine due Gum- „ perga & Magiperga, nuruam eidem „ Magioli, Raintruda cum Andrea „ filio ſuo, & juniores ipſius Ma- „ gioli duo Lupolo & Teupulu: „ Vaccario uno nomine Deodato „ cum Lupula uxore ſua, & Mar- „ tino filio ſuo: Porcario uno no- „ mine Amulo, cum Paitruda uxo- „ re ſua, cum Amalperga & Rain- „ truda filie ipſius, Ganripaldo ei- „ dem Amuli. Et donamus ibidem „ alios Servos noſtros manuales mi- „ niſteriales, Rudulo Coco cum „ Teuderada uxore ſua: Ildepran- „ dello piſtrinario, cum Dativa uxor „ ſua: Gottefredo lavandarius cum „ Froumberga uxore ſua: Anaſtaſius „ & Atriano filiis eorum: Tappeta- „ rios tres, id ſunt, Urſulu, cum „ Sighitruda uxore ſua, Flodard, & „ Anſipertu. Donamus atque conce- „ dimus & tradedimus in ipſo prefa- „ to Monaſterio Domini Salvatori „ Curte noſtra ad Sanctum Paulo „ cum ipſa Eccleſia, que eſt poſita „ prope Piſcina Inſi, ſuper fluvio „ Bumba. Simulque donamus ibi ipſis „ Caſis, Curtis & rebus noſtris, quas „ habemus in Caſalis Sextano, que „ nobis per Cartula advinet da Teu- „ datico filio quondam Arponi, ſeo „ caſis & rebus ipſis ibi in Sexta- „ no, qui Petro Burgundio ad ſuas „ tenet manus. Simulque & dona- „ mus ibi alia Eccleſia noſtra, quod „ eſt dedicata in honore Sanctorum „ Coſme & Damiani, que ſita eſt „ ibidem in Campi. Seo & donamus „ ibi alia Eccleſia Sancti Petri cum „ ipſa Curte noſtra Dominicale ſita „ Calatina.

„ Donamuſque & tradedimus ibi- „ dem Curte & Eccleſia noſtra, que „ hedificata eſt in honore Sancti Fab- „ biani ſuper fluvio Arbia. Simul- „ que donamus ibidem Oratorio no- „ ſtro, qui eſt conſtructus in honore „ Sancti Anſani ſito Platea Senenſe. „ Seo donamus atque tradedimus ibi- „ dem Curte noſtra illa in Gamuri- „ ſa prope Fluvio Umbrone. Et do- „ namus ad ipſo Monaſterio Servo „ noſtro illo in Clatino nomine Il- „ deprando cum Oda uxore ſua, & „ Johanne filio ejus. Ideo omnes „ iſtas ſupraſcriptas & denominatas „ Eccleſias cum Curtis donnicatis, „ cum caſis, curtificiis, caſticiis, „ manſis, mancipiis, maſſaritiis, ter- „ ris, vineis, pratis, paſcuis, ſil- „ vis, ſalectis, ripis, rivis, aquis, „ vel decurſibus aquarum, farinariis, „ quadris, campis, perviis tam don- „ nicatis, quàm & maſſaritias, al- „ diaricias, colonicas, ſervi, pro- „ ſervis, aldios, pro-aldios, liberis, „ pro-liberis, ſimul & diverſis gregi- „ bus cum paſtoribus, movilibus ad- „ que inmovilibus. Niſi anteponi- „ mus & reſervamus de predictis re- „ bus Eccleſia Sancti Pauli ipſas „ caſas & rebus in Campiano, & „ ipſo cambio, que fecimus cum Il- „ derico filio quondam Ildoni, quod

„ ipso Monasterió menime donavi- „ mus. Nam illas alias omnia predictas, & denominatas Ecclesias & „ Curtes cum rebus, pertinentiis, & „ abjacentiis earum, cum Servos & „ Ancillas, cum mansis, casticiis, „ & mancipiis &c. omnia & in omnibus rebus exquisitas, totum atque integrum donamus adque concedimus, & secundùm Legem nostram Saliga firmamus per fistucum, wantonem, & andilagine tradimus ad ipso sancto loco de jure „ nostro in jure dominationis ipsius „ prefati Monasterio Domini Salvatoris, *quod nos in Puellare ordine construximus*. In ea videlicet ratione, ut dum nos prefati Winigis „ Comes, & Richilda Jugalibus in „ hoc Seculo advivere meruerimus, „ in nostra sit potestatem & regimen „ gubernandi, struendi, & edificandi. Nam nec vindendi, nec donandi, nec alienandi, nisi de adversa parte nostra sit potestas defendendi. Post verò ambarum nostrarum decesso, sit, deveniat ipsius „ Monasterio in potestate *Ittane*, que „ est *Sorori mee* Winighis, & Genitrice Richild conjuge mea, seu „ *Richild filia nostra* in eo ordine, „ ut in ipso prefato Monasterio ipsa „ *Ittana Abbatissa sint*, si voluerit; „ & si noluerit, tunc sit *ipsa Richild* „ *filia nostra in ipso Monasterio*...... „ diebus vite sue: & ibi Deo secundum vires illorum deserviant, „ oraziones, & elemosinas, seo Officium, & Luminaria, quantum „ Deus illas concedere dignatus fuerit, pro nos, suisque nostris parentibus facere studeant, & de illas Abbatissas prefatas superius nominatas Itta & Richild, que supra alia vixerit, habeat potestatem de cispite nostro masculino, „ qui de eorum nata vel procreata „ fuerit, ipsa eligere Abbatissam. „ Dum vero de ipso cispite ulla „ fuerit, que in ipso Ordine in jam „ dicto Monasterio vivere & abitare, & omnia, ut supra legitur, „ facere studuerit, non abeat licentiam de alio cispite ibidem Abbatissam eligere aut ordinare. Et „ si hoc evenerit, quod somnu mortis jam perpesse sint, quod de ipso „ paterno cispite non sit, que Abbatissa eligere aut ordinare possit, „ vel si fuerit, & esse noluerit; „ tunc postea habeat licentiam ipsas „ Monachas, quod de eodem tempore in ipso Monasterio fuerint, una „ cum heredibus ac proheredibus „ nostris, de ipso cispite Richild, „ que de masculino genere nata fuerit, in suprascripto Monasterio Abbatissam eligere & ordinare. Nam „ & ipsa electione & ordinatione de „ ipso Monasterio sine licentia & „ consensum de eredibus ab proheredibus nostris stabilis esse non debeat.

„ In eo ordine, ut non habeat „ licentia vel potestatem eredibus, „ hac proeredibus nostris de ipsis „ rebus de predicto Monasterio nec „ vendere, nec donare, nec alienare, nec pro nullo negotio, nec „ proscriptione vel adversa parte de „ ipso Monasterio abstrahere, nisi de „ adversa parte ad jure ipsius Monasterio defendere & mundiburdire; & ipsa Abbatissa de ipso Monasterio, nec de res eidem Monasterii non abeat potestatem per „ nullum argumentum ingenio in „ adversa parte dare nec alienare; „ & ipsa verò Abbatissa, qui pro „ tempore in ipso prefato Monasterio ordinata fuerit, nulla alia laboratione, nec aliut censum, nec „ super-

„ superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicatione eidem „ Monasterii ad eredibus hac prohe„ redibus nostris ibidem ad ipso Mo„ nasterio donet denarios duodecim „ in pensione. Et si ipsa Abbatissa „ predicta pensione non dederit, & „ dare neglexerint in primo & se„ cundo, vel usque in septimo anno, „ tunc dent postea ipsa pensione in„ simul, quod reliquus est. Et si & „ tunc ipsa pensione dare neglexe„ rint, componat ipsa Abbatissa ad „ heredibus hac proheredibus nostris „ aurum Libras tres; & postea a„ beat ipso Monasterio, ut supra le„ gitur, omnia adimplendum. Si „ quis verò, quod futurum esse non „ credimus, si nosmetipsis, aut ul„ lus de heredibus hac proheredibus „ nostris, seo quislibet ulla opposita „ vel extranea persona, qui contra „ prefato fulgenti Monasterio, quem „ nos propter nomen Domini & re„ verentia Domini Salvatori nostro „ opere edificavimus, inrumpere, aut „ infrangere temptaverit, quod Deus „ non permittat, absit: in primis ira „ Dei omnipotentis incurrat offensa, „ & ad liminibus Sanctorum simul, „ & ad ipso sancto loco excommuni„ catus appareat. Et insuper una cum „ distringente socio Fisci aurum Li„ bras quinquaginta, argentum pon„ deras centum, partibus prefati Mo„ nasterii multa componat, & quod „ reppetit, evindicare non valeat; „ set has donatio, & traditio om„ nique tempore firmam, & invio„ latamque permaneat cum stipula„ tione subnixa. Et quod ne per„ mittat Deus fieri, si casus evene„ rit. quod de meo cispite aut de „ Richild conjuge mea, inventa non „ fuerit, que in ipso suprascripto „ Monasterio Abbatissa esse possit, „ vel si fuerit, & Abbatissa esse no„ luerit: tunc ipsa Monachas de „ predicto Monasterio habeat pote„ statem & licentiam una cum no„ titia de heredibus hac proheredi„ bus nostris inter se Abbatissam „ eligere & ordinare in ipso prefato „ almo loco, ut omnia statuta capi„ tula faciat & adimpleat, ut supra „ legitur. Et si ipsis eredibus hac „ proheredibus nostris vel quislibet „ personas, quod Abbatissa in ipso „ Monasterio vel in res ejus Mona„ sterii aliquas superflua fecerint: „ tunc in suprascripta multa & pe„ na subjaceat, qualiter supra legitur.

„ Facta donatio & traditio hanc „ in Septimo Decimo Anno Imperii „ Domno nostro *Ludovici Imperatori* „ *filio Lotharii quod Augusto*, Mense „ Februarii, Indictione Quintadeci„ ma feliciter. Unde & rememorati „ sumus, *ut predicta Abbatissa in ipso* „ *Monasterio habeat omni tempore Mo*„ *nachas viginti: & quando de ipsa* „ *Monachas aliqua mortua fuerint, ha*„ *beat spatium usque ad annum inte*„ *grum, ipsum numerum complendi,* „ *ut sint similiter Monachas viginti.* „ *Et si infra ipso anno ipsum nume*„ *rum recomplere neglexerint, tunc* „ *componat ipsa Abbatissa ad heredibus* „ *hac proheredibus nostris, aurum li*„ *bras tres. Et si postea ipsa Abba*„ *tissa suprascripto numerum complere* „ *neglexerint, ut ipsa Monachas vi*„ *ginti non fuerint: tunc licentiam &* „ *potestatem habeant heredibus hac pro*„ *heredibus nostris prefata Abbatissa de* „ *ipso Monasterio foras jactare, & a*„ *lia Abbatissa ibidem mittere, elige*„ *re, & hordinare;* ut omnia supra„ scripta capitula faciat & adim„ pleat, qualiter superius decrevi„ mus, nisi tantum de ipsa Congre„ gatione sit ipsam Abbatissam, que „ postea ibidem ordinaverit.

„ Ego

„ Ego *Winigis* Comes suprascri-
„ ptus.
„ Ego Adelom subscripsi.
„ Signum manus ✠ ejusdem Ri-
„ childe, ut supra legitur, scrivere
„ rogavi.
„ Ego Leonardus subscripsi.
„ Ego Dionisiga scribere rogatus
„ ad Winigiso Comes subscripsi.
„ Ego Leodoinus Levita subscripsi.
„ Ego Crisoconius subscripsi.
„ Ego Rainulfus subscripsi.
„ Ego Bernardus subscripsi.
„ Ego Willefredus subscripsi.
„ Ego Pelerino Notarius ex ro-
„ gato suprascriptorum Jugalibus hanc
„ dote, qualiter supra legitur, scri-
„ psi, & post tradita complevi &
„ dedi.

Alterum monumentum longe nuper allato posterius addo, quod ex Archivo Sanctimonialium Ferrariensium Sancti Silvestri depromsit, mihique liberaliter suppeditavit, saepe mihi laudatus in hoc Opere Joseph Antenor Scalabrinius, impiger antiquitatum medii aevi cultor.

Testes producti a Gualdrata Abbatissa Monasterii Sancti Silvestri Ferrariensis, ad confirmanda jura sua in Ecclesiam ruralem Sanctae Margaritae, Anno 1214.

Die II. intrante Octubri MCCXIV. testes Rubei Notarii, Syndici Monasterii Sancti Silvestri Ferrariae pro ipso Monasterio, contra Syndicum Popularii.

Domna Gualdrata Abbatissa Monasterii Sancti Silvestri, *jurata dicit, quod bene sunt XXX. anni, secundùm quod de tempore credit, & plus, quod ipsa testis apud Popularium cum* Domna Julitta Abbatissa ejusdem Monasterii, *ubi dicta Domna Abbatissa concessit vicinis de Populario, ubi Ecclesia Sanctae Malgaritae est aedificata, locum pro dicta Ecclesia aedificanda, & locum, ubi est Canonica, & Vineam similiter dictae Ecclesiae aedificandae concessit. Et dixit dicta Domna Abbatissa, quod volebat, quod dicta Ecclesia Sanctae Malgaritae aedificanda in dicto loco, quem ei dabat pro ipsa aedificanda, ita deberet esse sub Monasterio Sancti Silvestri, & esse de illo Monasterio, & eadem omnia servicia facere dicto Monasterio, & in omnibus ei subesse, sicut Ecclesia Sancti Cosmedis & Damiani de Foco Mortuo. Et vicini, qui ibi erant, dixerunt, quod bene eis placebat. Et dicit, quod ibi erant multi de vicinis Popularii, inter quos dicit, quod erat Dominicus de Malgarinis, Ricardinus n...... quidam de Capellis, & Galicius Stephanus, secundùm quod credit; & dicit, quod erat Bonus Martinus de Auselenda, sed de aliis non recordatur. Et dicit, quod de Monachabus Monasterii cum Domna Abbatissa erant Domna Ymelda, quae mortua est, Domna Adelasia, Domna Viviana. Sed de nomine aliarum non recordatur. Sed credit, quod plures erant. Et dicit, quod post illud factum & Ecclesia facta & aedificata in die festivitatis Sanctae Malgaritae, vidit dictam Domnam Abbatissam ire cum se teste, quae erat Monacha dicti Loci, & cum aliis Dominabus. Et dicit, quod inter ipsam Domnam Abbatissam & eas Monachas, fuerunt septem. Et duxit secum tres Sacerdotes, videlicet Sacerdotem morantem ad dictum Monasterium, Presbyte-*

sbyterum Johannem, & Presbyterum Girardum morantem ad Sanctum Thomam, & Presbyterum Philippum de Sancto Laurentio, & quosdam alios Laicos; qui inter Monachas, Presbyteros, & Laicos fuerunt illi, qui iverunt cum dicta Domna Abbatissa ad dictam Ecclesiam XVIII. aut XX. personae. Et dicit, quod fuerunt bene recepti in dicto loco, & omnia praestita ad jacendum, & victualia praestita fuerunt a Sacerdote tunc, quem audivit fore Presbyterum Lanfrancum, & a vicinis. Interrogata de tempore, quo fuit hoc, dicit, quod magnum tempus est, & dicit, quod dictam Domnam Abbatissam, donec vixit, semper vidit ire & ducere quoscumque voluit, & pro suo arbitrio, & sine alicujus contradictione. Et dicit, quod numquam ibat dicta Domna cum paucioribus quatuor Monachabus, sine alia familia. Post ejus mortem ipsa testis fuit Abbatissa dicti loci, quae dicit fore XX. annis, numquam misit minus octo personis inter Monachas, & alias personas; sed ab illo numero insuper plures misit, & numquam vidit quidem fieri. Et dicit, quod consuetudinem istam & servitia ista facere debet & facit Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani Monachabus Sancti Silvestri, quia in festivitate ipsius recipit quascumque personas & quotcumque Domna Abbatissa mittit, & praestat necessaria cum comestibilibus & lectulis & aliis necessariis. Et dicit, quod medietatem oblationum in Pascha & Nativitate Domini, & duas partes oblationum in die festi, & medietatem candelarum praestat dicto Monasterio, & in festivitate Sancti Silvestri, Presbyter, qui moratur in Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani, venire debet & deferre tortam unam. Et transacto festo Sancti Gosmedis & Damiani, desert similiter aliam tortam; & mittere Sacerdotem, & extrahere ad suum sensum, & mittere suum Nuntium ad Ecclesiam illam, & facere eum accipere de illo loco quidquid vult, pariter vinum, vaccas de curia, & alia omnia pro voluntate & arbitrio Abbatissae in dicto Monasterio. Interrogata, quomodo scit, quod talia facere debet; respondit, quod bene sunt XL. anni, a quo est pro Monacha in dicto loco. Et antequam foret Abbatissa, vidit fieri, & suo tempore fecit sine alicujus contradictione. Et dicit, quod eadem vidit fieri, & ipsa fecit suo tempore, excepto a parvo tempore, quo quaestio non faciendi sibi mota est. Et ipsa testis misit in dicto loco Sacerdotem Presbyterum Johannem, qualem servum in omnibus, sicuti voluit. Et dicit, quod hoc fecit sine consensu vicinorum. Et dicit, quod quando non erat Sacerdos, vicini venire consueverunt ad se testem, & petere Sacerdotem dicentes, quod suum erat peccatum, quod non mittebant Sacerdotem, qui ibi celebraret divina. Et dicit, quod vicini non eligunt, sed ipsa Abbatissa. Et dicit, quod numquam in suo tempore de oblationibus pertinentibus in suam partem reliquit aliquid ipsi Sacerdoti ibi moranti. Et sic ipsa testis suo tempore de una pur........ dictae dōnavit cuidam sine alicujus contradictione. Et dicit, quod vicini illius terrae, & boni homines illam construxerunt. Et dicit, quod dictae Ecclesiae dedit Altare, viaresum, pallium, toalias, & antiphonarium unum de die & alium de nocte, & unum Psalterium, & unum Matutinale.

Domna Viviana Monacha jurata dicit idem per omnia, quod Domna Gualdrata, excepto quod non est Abbatissa. Sed dictis omnibus interfuit. Et addit, quod quando Ecclesia construebatur, de oblationibus dimittebat pro illo facto;

cto; sed ab illo tempore numquam reliquit. Et dicit, quod accessio fuit facta in Monasterium Sancti Silvestri. Et dicit, quod nulla conditio fuit apposita, nisi ut supra dictum est.

Domna Tarsilla jurata dicit idem per omnia, quod Domna Viviana: excepto quod non recordatur de nominibus vicinorum, qui interfuere, quando concessio fuit facta.

Agitella Conversa Monasterii Sancti Silvestri jurata dicit idem per omnia, quod Domna Tarsilla, excepto quod non est Monacha, sed Conversa est. Et dicit, quod illo tempore erat Camareria Domnae Julittae Abbatissae, & non Conversa. Et dicit, quod non recordatur de tempore. Sed dicit, quod sunt XXX. anni, & parum plus, aut parum minus, & excepto quod nescit, quam partem solvere debet in Nativitate Domini & in Pascha. Sed vidit venire Sacerdotem & dare: sed quid daret, nescit. Et dicit, quod multocies ivit ad dictum festum cum Abbatissa Julitta; & vidit dicta fieri, & vidit ipsam ire, & istam Abbatissam praesentem mittere, quas ea volebat, & quantascumque: & venire Sacerdotes, & turtas deferre pro dicta festa; & ipsam Abbatissam mittere Sacerdotes pro suo arbitrio; & dicit, quod vidit ipsam Abbatissam, quando dabat oblationes, ad impetrationem ipsorum Sacerdotum eis dimittere. Et vidit Abbatissam Julittam vendere terram de Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani, & calicem argenteum, qui ibi erat, accipere, & alias res pro arbitrio suo: excepto, quod non recordatur de nominibus illorum, quos duxit Abbatissa ad dictam Ecclesiam Sanctae Malgaritae. Sed ipsa testis fuit, & non recordatur de numero.

Domna Miliana Monacha jurata dicit, quod in tempore Abbatissae Julittae ipsa testis erat scholaris. Et ivit cum dicta Abbatissa ad Ecclesiam Sanctae Malgaritae de Populario, & vidit ipsam Abbatissam habere ibi multas secum ad dictum festum, & fore receptas honorifice in comedere & bibere ad suum arbitrium & voluntatem Abbatissae. Et dicit, quod postquam fuit in dicto Monasterio, quod dicit fore XIII. annos, vidit istam Abbatissam mittere ad dictam Ecclesiam se testem, & alias de Monachabus, & sine illa alias personas, & non minus de octo personis ad festum Sanctae Malgaritae ad Popularium, & honorifice fore ibi receptas a Sacerdote, & vicinis dicti loci in comedere & bibere, & in jacere & stare. Et postquam ibi erat, invitabat, quos volebat, ad comedere & bibere. Et in ipso die post festum, vel alio die, vidit Sacerdotem dictae Ecclesiae venire, & deferre tortam ad Monasterium vel mittere; & hoc id in festo Sancti Silvestri vidit facere, & in festivitate Sanctae Malgaritae de oblationibus dabat duas partes dicto Monasterio in Nativitate Domini & in Pascha........ am partem si firmiter de illa non recordatur. Et vidit ipsam Abbatissam, quae modo est, mittere Sacerdotem in dicta Ecclesia pro suo arbitrio, & extrahere pro suo arbitrio. Et haec omnia vidit fieri a dicto tempore infra in dicta Ecclesia. Et audivit semper dici, quod eadem omnia facere debebat dicta Ecclesia Sanctae Malgaritae Monasterio Sancti Silvestri, secundum quod faciebat Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani. Et haec omnia vidit similiter fieri per dictam Abbatissam in dicta Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani, & Sacerdotem facere dicto Monasterio.

Die X. exeunte Octobri MCCXIV. Indictione III. testes Syndici Monasterii Sancti Silvestri contra Syndicum Popularii.

Pre-

Presbyter Ugo de Ecclesia Foci Mortui juratus dicit, quod a quatuor annis infra transactis ipse de praecepto Dominae Abbatissae de Sancto Silvestro, cum quibusdam Monachabus dicti Monasterii, & aliis personis, ita quod cum illis & aliis, quas misit ad festum Sanctae Malgaritae, fuerunt octo personae & plus. Et dicit, quod Presbyter illius Ecclesiae, & vicini bene receperunt se testem, & dictas personas; & in duabus comestionibus fuerunt bene recepti a dicto Sacerdote & vicinis, & ad Canonicam. Et dicit, quod ipse testis ex sua parte, quos voluit, & dictas Monachas, quas voluit, vidit invitare ibi ad comedendum. Et tunc ibi fuit dictum, & in duabus ex dictis vicibus collegit oblationes pro Domina Abbatissa, & dividit cum Sacerdote eas, & medietatem candelarum habuit, & duas partes denariorum pro Domina Abbatissa. Et Sacerdos reliquit. Et sic de aliis vicibus vidit fieri. Et vidit illum Sacerdotem venire ad festum Sancti Silvestri, & deferre turtam unam. Et dictam Dominam Abbatissam audivit protestantem, dicentemque, quod potestatem habebat mittendi ad dictum festum quantascumque personas vellet ad festum Sanctae Malgaritae, & Sacerdos tenebatur illos recipere, & servire in duabus comestionibus, & debebat habere medietatem candelarum, & duas partes denariorum & turtas in ipso festo. Et in festo Sancti Silvestri deferre, & alia omnia facere, & in omnibus obedire, secundùm quod Ecclesia de Foco Mortuo, in qua moratur. Quae omnia ipse fecit & facit a tempore illo infra, quod fuit hoc, quod dicit fore quinque annos. Et dat medietatem denariorum de Nativitate & de Pascha. Et in isto anno audivit Sacerdotem, qui moratur ad Sanctam Malgaritam dicentem, quod dederat. Aliud dicit, se non recordari.

Blancolinus juratus dicit, quod bene:..... per octo anno cum Capellano Ecclesiae Sancti Silvestri, & duabus de Monachabus, & cum dictis in tanta quantitate, quod erant octo personae, ire ad Ecclesiam de Populario in Vigilia Sanctae Malgaritae; & bene recipiebantur a Sacerdote dictae Ecclesiae; & ad panem & vinum, & omnia necessaria, & in die festi ad prandium. Et videbat Monachas invitare, quos volebant, & tenere secum ad prandium sine alicujus contradictione. Et dicit, quod est unus annus, quod non ivit. Et dicit, quod vidit Presbyterum Martinum deferre unam turtam ad dictum Monasterium in die festi. Et quando ibat, dicebat Jacobinus Capellanus, quod male faciebant, quod auferebant turtam a Sacerdote dictae Ecclesiae in die festi. Et dicit quod interfuit, quando dicta Abbatissa Sancti Silvestri investivit Presbyterum, qui modo est de Ecclesia Sanctae Malgaritae, & dixit illi, quod deferret turtam unam in festivitate Sancti Silvestri, & festivitate Sanctae Malgaritae: & ipse promisit dare; & promisit medietatem dare denariorum de Nativitate & de Pascha, & de festivitate Sanctae Malgaritae duas partes denariorum, & medietatem de candelis, & sic vidit fieri in dictis temporibus, quibus ivit, & ipse testis divisit cum Presbytero Martino.

Sigizius juratus dicit se scire, quod Abbatissa Sancti Silvestri consuevit mittere ad dictum locum Sanctae Malgaritae, quas vult de suis Monachabus. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia ipse testis multoties interfuit, ubi Domina Abbatissa misit quantascumque voluit. Et jam sunt decem Anni, quo haec vidit fieri. Et quando vidit duas de

de Monachabus ire, & mittere, & quando quatuor; & semper vidit mittere inter Monachas & alias personas ab octo personis insuper, & mittere Sacerdotem suum & Capellanum, & bene recipi ibi a dicta Ecclesia. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia ipse testis interfuit & facere vidit. Et dicit, quod vidit Dominam Abbatissam donare vinum de dicta Ecclesia pro suo arbitrio, nullo contradicente. Et vidit dictas Dominas invitare ad festum quoscumque vellent. Et dicit, quod quando Canonica Sanctae Malgaritae fuit combusta, multocies Jacobinus Caparelli venit, & alii de vicinis ad se testem dicentes, quod dammum erat Monacharum Sancti Silvestri; & quod ipse face..... se caput; & petiit ab illis, qui dicebantur fecisse. De facto turtae dicit idem, quod Blancolinus. Et dicit, quod semper audivit, quod eamdem jurisdictionem in omnibus & per omnia debet habere in Ecclesia Sanctae Malgaritae, sicut in Ecclesia de Foco Mortuo.

Et ego Nicholettus sacri Palatii Notarius dictos supradictos testes recepi & scripsi sub Domino Zaneto Valentini, delegato a Domino Rolando Episcopo Ferrariae, *ut ab eis audivi, sub Millesimo Ducentesimo Quarto Decimo, Indictione Secunda.*

Tertium exemplum Ticinensis Urbs nobis suppeditabit, desumtum ex Monasterio Salvatoris, nunc Sancti Felicis, ubi autographum vidi.

Placitum Ticini habitum coram Adalgerio Cancellario, aliisque Episcopis & Proceribus, Missis Henrici Regis, in quo Helena Abbatissa Monasterii Sancti Felicis protectionem Regiam obtinet pro rebus ejusdem Monasterii, Anno 1043.

„ DUm in Dei nomine, in Monasterio Sancti Petri, quod dicitur Cellum aureum, in Sala murata ipsius Monasterio, que est da Aquilone, justa muro ipsius Monasterio, per data licentia, *Domnus Balduinus Abba ipsius Monasterii*, in judicio residebat *Domnus Adalgerius Cancellarius, & Missus Domni Heinrici Regis* justiciam faciendam hac deliberandam, residentibus cum eo *Domnus Aribertus Archiepiscopus Mediolanensis, & Domnus Raynaldus Episcopus Papiensis, & Domnus Riuprandus Episcopus Novariensis, & Domnus Litigerius Episcopus Comensis, & Adelbertus Comes*, & item Adelbertus Judex & Missus Domni Regis, & Antonio filio ipsius Adelberti, similique „ Missus, & Lanfrancus Advocato Domni Regis, & item Lanfrancus, qui & Otto, Richardus Vicecomes, Ingezo, Walandus, Petrus, Johannes, item Johannes, qui & item Lanfrancus, Adam, Sigefredus, item Sigefredus, Teuzo, qui & Otto, Giselbertus, Stephanus, qui & Ribaldus, Teudaldus, Arialdus, & Lanfrancus Judices sacri Palatii, & reliqui plures. Ibique orum veniens presencia *Donna Elena Abbatissa Monesterio Sancti Felicis, & Domini Salvatoris, qui dicitur Regine*, una cum &c. & ibi loci mixit predictus Domnus Adalgerius Cancellarius & Missus Domni Regis bannum Domni Regis super eandem Donna Elena Abbatissa, & super omnes res ipsius

„ sius Monasterii, ut nullus quislibet
„ omo eandem Donna Elena Abba-
„ tissa, ejusque successature, vel
„ partem ipsius Monasterii disvestire
„ vel molestare audeat de predictis
„ omnibus rebus juris suprascripto
„ Monesterii, centum Libras auri.
„ Qui vero fecerit, predictas centum
„ Libras auri se compositurus agno-
„ scat, medietatem Camere Domni
„ Regis & medietatem predicte Don-
„ ne Elene Abbatissa, ejusque suc-
„ cessature, vel partem ipsius Mone-
„ sterii. Et hanc noticia qualiter
„ acta est causa pro securitatem,
„ quidem & Ego Bonizo Notario
„ sacri Palacii ex jussione suprascri-
„ pto Donno Adalgerius Cancellario
„ & Misso Domni Regis, & Judi-
„ cum amunicione scripsi, Hanno ab
„ Incarnacione Domini nostri Jesu
„ Christi Millesimo Quadragesimo
„ Tercio, Regni vero suprascripto
„ Domni Heinrici Regis Deo propi-
„ cio hic in Italia Anno V. Tercio-
„ decimo Calendas Madias, Indi-
„ ctione XI.

„ Adalgerus Cancellarius interfui
„ & subscripsi feliciter. Amen.

„ ADALBERTUS COMES IN-
„ TERFUI.

„ Adelbertus Judex & Missus Dom-
„ ni Regis interfui.

„ Antonius Missus Domni Regis
„ interfuit.

„ Walandus Judex sacri Palacii
„ interfui.

„ Petrus Judex sacri Palatii in-
„ terfui.

„ Sigefredus Judex sacri Palatii
„ interfui. ϹΥΓΗΦΡΗΔΟϹ.

„ Richardus Vicecomes & Judex
„ sacri Palacii interfui.

„ Ego Johannes Judex sacri Pa-
„ lacii interfui.

„ Ego Teuzo Dei adminiculo Ju-
„ dex sacri Palacii interfui.

„ Lanfrancus Judex sacri Palacii
„ interfui.

Habemus illustre nomen *Reginae* Asceterio huic Ticinensi tributum. Scriptores Ticinenses id factum putant, sive quod sancta *Adelais* Ottonis Magni Augusti conjux illud restauravit, aut ditavit, sive quod *Felicitas* eorum filia, ibi Monasticâ veste assumtâ, insigni virtutum professione floruerit. Sed falluntur. Longe antiquius est nobile istud Monasterium, ejusque mentionem habes in Diplomate Arnulphi Italiae Regis Anno Christi DCCCLXXXIX. apud Campium Tom. I. Histor. Placent. Eccles. ubi appellatur *Monasterium Reginae*. Neque ullum vestigium Adelaidis Augustae, aut cujuspiam ejus filiae, occurrit in Diplomate Ottonis III. Augusti, quod archetypum vidi apud easdem Sanctimoniales Ticini, dignumque est, quod e tenebris educatur in lucem.

Confirmatio trium Castrorum facta ab Ottone III. Imperatore Parthenoni Sancti Felicis Ticinensis, Anno 1001.

IN nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Otto Tercius *servus Apostolorum. Omnium Fidelium nostrorum tam presentium quàm & futurorum noverit universitas, quod nos ob Dei omnipotentis amorem, & animae nostrae remedium, aut ut a peccatorum nexibus absoluti veniam mereamur aeternam*, Monasterio, in quo habetur pretiosum Lignum Sanctae Crucis,

quod tempore gloriosi atque victoriosi Imperatoris Secundi Ottonis a bonae memoriae Benedicto Episcopo aeternae Urbis, Hierosolymis invectum est, *dedimus & confirmamus Cortes sive Castella, quae* Berengerus & Adalbertus Reges *tenuerunt: Maringum scilicet & Corvetula, & Gamundum, cum omnibus pertinentiis, & adiacentiis earum. Quae omnia in omnibus ad utilitatem, ad victum scilicet & usum Monacharum Deo militantium in loco ubi ipsius Crucis Domini patrocinia haberi videntur, in quo* Abbatissa Domna Geppa, *vel sibi successurae preesse dinoscuntur. Si quis igitur hoc preceptum violare aut corrumpere sine legali judicio temptaverit, componat centum Libras auri cocti, medietatem Camerae nostre, & medietatem predictae Abbatissae Domnae Geppae, suisque successuris; ipseque violator, & hujus precepti contemptor anathemathe perenni sit constrictus, & cum omni maledictione, quae in novo aut in veteri Testamento habetur, perenniter interemptus. Et ut traditio firmiter permaneat, hanc paginam manu propria roborantes insigniri precepimus.*

Signum Domni Ottonis  *Cesaris invicti.*

Heribertus Cancellarius vice Willigis Archiepiscopi recognovit.

Data X. Kalendas Decembris, Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Primo, Indictione XV. Anno Tercii Ottonis, Regni XVII. Imperii VI. feliciter.

Actum Ravennae.

Locus Sigilli ✠ plumbei pendentis olim & nunc deperditi.

Heic vides memoratum Benedictum VII. Papam sub nomine *Episcopi aeternae Urbis*. Sed quod potissimum animadvertas velim, Otto III. se inscribit *Servum Apostolorum*. Mirum est (idque repetere nunc mihi liceat, quod antea monui in Dissertatione XLVII.) quo impetu declamarit Illustrissimus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus, in Defensione Secundâ jurium Apostolicae Sedis in Comaclum pag. 327. ut falsi argueret ejusdem Ottonis III. Diploma, Anno eodem datum, (immo ipso die, atque in ipsa Urbe Ravenna) editum a Margarino in Bullario Casinensi Tom. 2. Constitution. 70. Prae ceteris insectatus est ille titulum, quem sibi tribuit Augustus ille. Ego authenticum alterum Diploma cum eodem titulo ipsis Sanctimonialibus, eodemque tempore concessum, publici juris feci in nuper memorata Dissertatione XLVII. Rursus ergo habent Lectores in proxime evulgato Diplomate, unde agnoscant, quàm illegitimis interdum armis Critici nonnulli in antiquitatis monumenta insurgant. Authographum est Diploma Ticinense, ibique Otto III. diserte inscribitur *Servus Apostolorum*, ita ut certum jam & exploratum agno-

gnoscas, quod Praesul Ancyranus suâ tantùm fretus confidentiâ negare atque irridere antea est ausus.

In praecedenti Charta *Guinisi Comitis* a me producta vidimus, *Abbatissam tantùm de ipsa Congregatione* fuisse eligendam, hoc est ex ejusdem Monasterii Sanctimonialibus. Atque id familiare erat in ipsis etiam Monachorum Coenobiis, dum idonea ibidem exsisteret persona. Neque enim nefas fuit aliunde optimam aut idoneam quandoque adsciscere, si postularet necessitas aut utilitas loci. Eligebantur autem Abbatissae a Monialibus pluralitate votorum, ut nunc etiam fit, nisi jus eligendi penes Monasterii fundatorem ac patronum fuisset antea reservatum. Eaque electio in publicas tabulas referebatur tum ad confirmationem actus, tum ad lites ac dubitationes in posterum tollendas. Idem quoque praestitum fuisse novimus in electione Abbatum. Egregia mihi visa est in hanc rem Charta, quam olim legebam in Archivo Lucensis Archiepiscopii; quum inde elucescat, quales ritus in ejusmodi electionibus servarentur. Hanc igitur libenter profero. Animadvertas autem velim ea verba: *Regulam, & Ferulam de manibus nostris in manum tuam dedimus*. Jam notum est, Abbatibus *Ferulam*, sive baculum pastoralem, ante complura Secula in usu fuisse. Hinc discis (idque perquam rare occurrit) eamdem Ferulam Abbatissis quoque fuisse traditam, & quidem ante annos octingentos. Ita in Charta Anni MXXVIII. apud Ughellium in Episcopis Taurinensibus Tom. IV. Ital. Sacr. quae Sanctimonialibus eligenda erat Abbatissa Monasterii Garamaniae, *accipiat Baculum super Altare ejusdem Monasterii, & fiat Abbatissa*. Interfuerunt etiam, ut vidisti in Charta nuper editâ, Abbatissae electioni tum ex Clero, tum ex Populo non pauci, ut sub eorum oculis legitime factum scrutinium appareret. Propterea illi tantummodo testes fuere. Legimus tamen, ad electionem quorumdam Abbatum accessisse olim ejusdem Cleri & Populi consensum. Heic etiam Chartae subscribentes invenimus *Cardinales* quosdam Lucensis Ecclesiae: qua de re vide supra, si lubet, Dissertationem LXI. *de Cardinalibus*. Denique diligenter observa, *Atruildam* eligi Abbatissam, eidem verò Chartae subscribere *Adalsindam Abbatissam*. Num ergo, uti olim duo Abbates interdum uni praefuere Coenobio, sic duae Abbatissae heic uni Asceterio datae? An potius viventi adhuc Adalsindae seniori Abbatissae concessa est, ut ita loquar, Coadjutrix, quae ipsi demum morienti in regimine succederet? Postremum potius amplector, quamquam nihil horum ex Charta exculpi possit, quae mihi authentica sive archetypa visa est. Intuere infra non absimilem Chartam. Liberum heic erit Lectori sentire, quod propius ad veritatem accedat.

Charta electionis Atruildae Abbatissae in Lucensi Monasterio Sancti Michaëlis, Anno 915.

IN Christi omnipotentis nomine. Manifesta causa est, qualiter quondam Aliprando in proprio territurio suo hic infra Civitate ista Lucense construxit Eccle-

Ecclesiam in onore Dei, & beati Sancti Michaëli Arcangeli, ubi de rebus suis nominative contullit, & constituit ibidem de suis esse Abbatissa, Rectrix, & Gubernatrix, vivenda juxta Regula ordine: & constituit pro ipsa dotalis paginam, ut si in ipso Monasterio beati Sancti Michaëlis Arcangeli post suum obitum eidem aliquit parentibus suis nominative, quos in ipsa dotalis pagina continebat, sit, ibi congregatio Ancillarum Dei fuisset, ut qualem inter se Abbatissam inibi constituissent duas partes ex ipsis congregatio Ancillarum Dei, talem ibi Abbatissa, Rectrix & Gubernatrix esset; etiam verò tertia pars ex ipsa congregatio eorum consentiens esse debuisset, & ceteras, sicut in ipsa dotalis paginam continebat. Modò autem juxta testum ipsius dotalis pagina, nos omnes Congregatio Ancillarum Dei ex ipso Monasterio pari consensu & bona voluntas ordinum adque elegimus nobis, & preesse Abbatissa Atruilda, Religionis velamen induta filia Benedicti Scabini, ut ibi diebus vite tue Abbatissa esse debeas, Rectrix, & Gubernatrix, *abendi, imperandi, regendi, gubernandi, adque frubendi juxta ipsam dotem.* Itaque Regulam & Ferulam de manibus nostris in manum tuam, quae supra Atruilda dedimus atque tradimus, ut omni tempore diebus vite tue in eadem stabilitate, qualiter te elegimus, persistas. Et ita te nobis Abbatissa elegimus, *& confirmavimus presentiâ Sacerdotum Marini Archipresbiteri, Suntripaldi, Stefani Sichardi, Natali, Ghisalprandi, & Chimundi, Andrea, Imberti, Dameli, Teuperti, Dominichi, Gundalfini, Chimundi, Bordi, Tressimani, alio Dominicho, Willeradi, alio Andrea, Lei Presbiteri, Daiprandi Archidiaconi, Andrea, Teupaldo, Rachisusi, Filippo, Ghisolsi Diaconi: De Laicos, idest Adalpertus, & suprascripto Benedicto, & Cosperto, & Petrus Scabini, Teudilescio, Teudimundo &c.*

Hoc factum est Anno Domini nostri Berengarii, *divina ordinante clementia* Rex, *Vigessimo Septimo, III. Idus Januarii, Indictione III.*

✠ *Signum de manus* Adalfinda Abbatisse, *quia omnia suprascripta per consensum Monache ipsius Monasterio elegi & consensi.*

Signum ✠ de manus Amaldrude Monache, que consensi & elegit.

Signum ✠ de manus Angalperghe Menacha, que consensi & elegit.

Signum ✠ de manus Inghile Monacha, que consensi & elegit.

Ego Martinus Archipresbiter ibi fui.

Ego Ramberto Presbiter ibi fui.

Ego Stephanus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Sichardus Presbiter Cardinalis, & Primicerius ibi fui.

Ego Suntripaldus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Richimundo Presbitero &c.

Ego Daiprandus Archidiaconus ibi fuit.

Ego Andreas Diaconus & Cardinalis ibi fuit &c.

Ceterum ad constituendas Abbatissas Episcopi consensus & confirmatio secundùm Canones exigebatur, nisi Privilegia obstarent. Vide Chartam apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sacr. in Episcop. Florentin. Saeculo Nono scriptam, in qua Berta neptis Hucpaldi Comitis Palatii, *per sonum de ipsa campana, & thuribulum,* creatur Abbatissa Monasterii Sancti Andreae, siti intra Civitatem Florentiam, & *de ipso Monasterio investitur cum consensu Domni Andreae Episcopi.* Dixi; nisi privilegia obstarent: Neque enim defuere

defuere prifcis temporibus Virginum facrarum Collegia, quae aut in ipfa origine ac fundatione fua, aut progreffu temporis, ab Epifcoporum auctoritate avulfa fuere, fubjecta duntaxat aut Abbati alicujus Coenobii, aut Metropolitae, aut Apoftolicae Sedi. Quare a difciplinae Ecclefiafticae legibus abhorrere videatur, quod in inftitutione Monafterii puellaris de Caramania Dioecefis Taurinenfis Anno MXXVIII. facta a Maginfredo Marchione, & ab ejus Conjuge Bertâ Comitiffâ legimus Tom. 4. Ital. Sacrae. Quippe ftatuunt fundatores, *ut nullo modo permaneat ipfum Monafterium in regimine illius Epifcopi, in cujus Epifcopio eft fitum, nec alterius perfonae, nifi in Dei omnipotentis, quem ejufdem facimus heredem, & fequente eo fit ordinatum*. Ad haec praecipiunt, ut nova Abbatiffa *a quocumque voluerit Epifcopo, fe confecrandi, & eamdem ordinandi Monacham*, facultatem habeat. Saltem dixiffent, facrum locum fub jure aut ordinatione Apoftolicae Sedis deinceps futurum. Verùm tanta licentia atque libertas eo denique recidit, ut multiplicatis in Afceterio illo vitiis & fcandalis, Anno MCCCCXLIV. expulfae inde fuerint facrae mulieres, & in locum illum Monachi invecti. Uti in praecedenti Differtatione monui, ad Sancti Benedicti Regulam fenfim fere omnes Occidentis Monachi fefe receperunt, eamque amplexi, veluti fuam effecerunt. Paria Sanctimoniales quoque praeftitere, atque ad ipfam inftitutum fuum accommodarunt, retentis iis, quae cum muliebris fexus conditione conformari poterant. Itaque par vitae inftitutum, & validae protectionis defiderium, paullatim in cauffa fuere, cur Moniales non paucae ad fe accerfe-rent Monachos, ex quarum facris concionibus proficerent, ac in via pietatis erudirentur. Eorum praeterea defenfioni aut ipfae fe commendarunt, aut a fundatoribus funt commendatae. Quare antiquis etiam Seculis facrarum Virginum Coenobia erant, quae ab alicujus Monafterii Abbate pendebant, & non folis Clericis, fed etiam Monachis miniftris utebantur: quae confuetudo adhuc in nonnullis Urbibus perdurat. Plerumque tamen hi ipfi Monachi Abbatiffae fuberant, ejufque nutibus parebant. Chronicon Vulturnenfis Monafterii exempla fuppeditat. Leo verò Oftienfis Lib. I. Cap. 9. Chronic. Cafinenf. inter alia memorat celebre Monafterium Sanctae Sophiae Beneventi conditum ab Arichifo Principe Beneventano Anno Chrifti DCCLXXIV. quod *fub jure Beati Benedicti in Monte Cafino tradidit in perpetuum permanfurum*. Porro ignotum mihi eft, an apud Italos fpectata unquam fuerint *Monafteria duplicia*, hoc eft, conjuncta Monachorum & Monialium domicilia, feorfum tamen habitante utroque fexu, & in alterius fepta ingredi vetito: quam confuetudinem jamdudum, & longe antequam nafceretur Sanctus Benedictus, Orientis Monachi invexerant. Verùm tam viri, quam feminae illorum temporum, eâdem conftabant carnis compagine, atque humorum temperie ac noftri temporis: quare in Synodo Nicaena Secundâ hujufmodi Coenobia deinceps aedificare interdictum fuit. Longe verò antea Sanctus Gregorius Magnus Papa Lib. XI. Epiftol. 25. Januarium Epifcopum Calaritanum laudarat, quod in domo Epiphanii *Monachorum Monafterium conftrui vetuiffet, ne pro eo quod domus ipfa Ancillarum Dei Monafterio cohae-*

cohaerebat, deceptio exinde contingeret animarum. Idem quoque interdixerat Justinianus L. *sanctissimarum* C. *de Episcop. & Cleric.* ut aliis exemplis parcam. Sed hoc minime obstitit, quin extra Italiam Saeculis etiam posterioribus conjuncta cernerentur Monasteria virorum atque mulierum, Claustris tamen semper separatis. Id mihi tantummodo certum, plurima sacrarum Virginum Coenobia fuisse, quae vel antiquis Seculis a Monachis regebantur. Bene huic loco sedebit Charta Veronensis, cujus vetustissimum antigraphum servant in Archivo suo Monachi Olivetani Veronenses in pariter antiquissimo Coenobio Sanctae Mariae ad Organum. Ut ex ea constat, Autconda & Natalia Anno DCCXLIV. novum Monialium Monasterium exstruunt; quo facto addunt: *Defensionem verò vel admonitionem sancti Monasterii volumus habere a Monasterio Sanctae Mariae foris Porta Organi*. Quod si Abbas contra Regulam, aut contra Canones aliquam Sanctimonialibus *dominationem aut fortiam imponere quaesierit: tunc eligat sibi Abbatissa cum Sororibus defensionem vel admonitionem Sancti Zenonis & nutritoris nostri* (heic innuitur, ut suspicor, insigne prae ceteris Benedictinorum Caenobium Veronae, cujus adhuc amplissima Basilica, & illustre Archivum mihi visum, perdurat) *vel Praesulis, qui pro tempore fuerit*. Quibus ex verbis intelligis, Asceterium hoc primo commendari Monachis Sanctae Mariae ad Organum. Istis suo munere abutentibus *Sanctus Zeno, vel Praesul, qui pro tempore fuerit*, substituitur. Quibus verbis obscurum esse dixi, num Monasterium Sancti Zenonis, ejusque Abbas, an Episcopus Veronensis heic designetur. Quippe *Praesulis* etiam appellatione donatos interdum reperio Abbates, & nominatim in Privilegio Ludovici Pii Anno Christi DCCCXVI. apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. pag. 601. memoratum cernas *Praesulem Monasterii Sancti Zenonis*, ita ut heic agi videatur de uno Monasterio ac Abbate Sancti Zenonis. Contra quum in aliis monumentis Veronensibus apud eumdem Ughellium occurrat *domus Sancti Zenonis, ubi Hildericus Episcopus Cathedram Episcopalem regere videtur*, & in Ottonis I. Diplomate *Episcopium Sancti Zenonis* commemoretur, ut alia praeteream: veri videtur similius, *Sancti Zenonis*, & *Praesulis* nomine heic intelligendum esse Episcopium ipsum, & Episcopum Veronensis Civitatis. Has nebulas depellendas Eruditis Veronensibus relinquens, ego Chartam ipsam tandem depromo.

Autconda & Natalia sorores Monasterium Monialium in Civitate Veronensi fundant, atque illud sub regimine Abbatis Sanctae Mariae ad Organum constituunt, Anno 744.

„ IN nomine Domini nostri Jesu „ Christi. Regnante excellentis„ simo viro adque piissimo *Domno* „ *Ratechis Rege*, Anno Regni ejus „ Primo per Indictione XII. felici„ ter. Oratorio semper Virginis & „ Dei Genetricis Marie, que intra „ domum Cella nostra Veronense si„ to in Civitate construere visi su„ mus simul cum Nazario Connato „ & Jo-

„ & Jogali nostro *Autconda* & *Natalia germanas* pro utilis Christi „ Ancillas, presens presentibus dixi: „ Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus & admonentibus nos „ ad gremium Sanctae Marie Ecclesie redire ortatus est, & dulci uberum, qua primus admiserat parens, ubertim fluentia saciare commonisset dicens: Venite, saciamini: & qui non habetis precium, „ venite; bibite in letitia, sub tali verò tenore aut condicione; „ *convertimini ad me, & convertar ad vobis*; & si conveneris, quesieritis me, *ero vobis in patrem*, & „ *vos eritis mihi in filios* & filios, „ dicit Dominus. Et persemetipsa clamat veritas, & redencio nostra „ Jesus bonus: *Petite, & accipietis. Querite, & invenietis. Pulsate, & aperietur vobis*. Et quia ob nostra „ neglegentia usque undecima hora clausa est janua vel sero venientibus, petimus remissa de noxis. „ Hanc igitur racionem conpunctas „ nos, que supra, Autconda, & „ Natalia germanas, cum consensu „ etiam Nazario Connato, & jogali „ nostro non de nostra merita, sed „ de Jesu Christi misericordia fidentes, qui & profitico exoratus eloquio dicens, *nolo morte peccatoris, sed convertatur & vivat*: Previdimus in auctoritatem domine nostre sanctissime Virginis Marie *intra domo Cella nostra Monasterium construere, in * co & regulariter secundùm Domini fuerit voluntas convivere disponimus*. Item omnem „ nostram substantiam quicquid habere videmur, ibidem offerimus: „ idest in primis Casa, ubi ipse Oratorius est fundatus, & alias Casas, Curte, Orto intrinsecus, foris terris, vineis, colonicas, pradis, pascuis, nubalibus, montibus, „ servis, ancillis, peculia omnia, „ seseque moventibus, cultu & incultum, ere, ferro, utensilia, quicquid nunc possidere videmur, aut „ in antea aquirere & laborare potuerimus. Eo scilicet ordine ut si „ nobis Dominus alias Sorores dederit, & Congregatio Monacharum „ istis facta fuerit post obitum nostrum exinde ipsas sibi elegant „ Matrem spiritalem, que eas secundùm Domino, & Sanctam Regulam foveat adque gubernat, & „ cunctam nostram substantiam regulariter disponendi in ipsius Abbatisse vel Sororum per omnia permaneat potestatem. Et si Congregatio hic facta non fuerit, post „ obitum nostrorum *omnis pecunie nostra sit in potestatem Ecclesie Sancte Marie sita foris Portam Organi, & Abba qui pro tempore fuerit, ipse disponat de oficio vel Luminaria sancti Oratorii, & de pecunia nostra, quid a Fratribus, vel quid ad Pauperibus, seu Famulis, qui cum ipsam pecuniam laboraverint, debeat pertinere. Defensionem vero vel admonicionem sancti Monasterii volumus abere ad Monasterium Sancte Marie foris Porta jam superius memoratum, seu Andrea venerabilis Presbitero, & Abbati*; ea condictione, ut si aliquid discordia inter Sorores fuerit exorta, quam „ non possimus per nos evellere, „ tunc Abba per semetipsum, aut „ Deo timentem personam ipsum mali debeat monendum & corrigendum amputare, nam nulla nobis „ aut Sororibus contra Regulam violentia imponere audeat, neque per „ se, neque per successores ejus, sed „ Abbatissa, que pro tempore fuerit, semetipsam & Monachas suas „ di-

„ disponat. Et quod absit post di-
„ scesso Andreae Abbati, qui in
„ tempore fuerit Abba, aliqua con-
„ tra Regula vel sanctis Canonibus
„ dominacionem aut forciam impo-
„ nere quesierit, qua ipsas non pos
„ sit, *tunc elegat sibi Abbatissa cum*
„ *Sororibus defensionem vel admonicio-*
„ *nem Sancti Zenonis nutritoris nostri,*
„ *seu Presulis qui in tempore fuerit*:
„ sub eo namque ordine, sicut supe-
„ rius est scriptum, ut nulla eis vio-
„ lentia aut dominacio contra Regu
„ lam imponatur. Nam nos predi-
„ cti Andrei Abbati, dum ipse ad-
„ vixerit & defensionem & admoni-
„ cionem sive inter Sorores, seu de
„ alias causas, si nobis emerserint,
„ elegimus, ut ipse nobis pater at-
„ que defensor existat. De filia ve
„ ro & Nepte nostra Nazirimda sta-
„ tuimus, ut sit Monacha, & cum
„ alias Sororibus sic adunate fuerint,
„ regulariter vivant; quod si in hoc
„ factum non fuerint, & ipsa post
„ nostrum remanserit obitum, Abba,
„ qui pro tempore fuerit, aut succes-
„ sores sui provideat secundùm Deo,
„ qualiter ipsa in Dei servicio per-
„ maneat. Et ex pecunia nostra in
„ quantum illis sufficiat victus ad-
„ que vestitus procurrat, quatinus
„ sine necessitate vivant. De Servos
„ vel Ancillas nostras ita decernimus.
„ Omnes liberi & liberi sint: & a-
„ beant per caput mundio tremissis
„ singulas; in ea vero racionem, ut
„ dum nos advixerimus, nobis de-
„ serviant: post nostrum verò dices-
„ sum, si Sororis, que nobis succes
„ serint, aut fortè Abba, si ipse de
„ fuerint, aliqua eis violentia infer-
„ re voluerint, que ipsi portare non
„ possint, dent mundio per capud
„ tremisse unum in ipsum sanctum
„ Locum, & vadant soluti ab omni
„ jus patronati, ubi voluerint. Hec
„ omnia superius comprehensa jam,
„ ut premisimus, inconvulsa statui-
„ mus permanere. Quam vero ordi-
„ nacionis nostre paginam Bonoso
„ Archidiaconus sancte Veronensis
„ Ecclesie scribere rogavimus, & per
„ nosmetipsos, seu testibus robora-
„ vimus.

„ Acto in Civitate Verona, die
„ XV. Mensis Magii, Regnum, &
„ Indicio suprascripta feliciter.

„ Signa eorum, qui in otentico
„ manus posuerunt: in primis Au-
„ teonda, & Natalia, que ipsa car-
„ tola fecerunt,
„ *Sigipert Episcopus*.
„ *Giselpert Dux*.
„ Curerat Presbyter.
„ Auderat filius conda Wibiloni.
„ Sigelais filius Sigerat.
„ Azo filius conda Raziloni.
„ Radoin filius conda Totoni scri-
„ psit.

Jam vidimus commendatum hoc Sanctimonialium Coenobium Monachis Sanctae Mariae ad Organum, sive ejus Abbati, *ad defensionem vel admonitionem*. Importabat *defensio* protectionem contra quoslibet usurpatores. Quoddam verò jus superioritatis & auctoritatis acquirebat Defensor in loca suae tutelae tradita. *Admonitionis* autem vocabulo significatum videtur, quidquid praesidii praestare possent Monachi infirmo sexui, tum salutaribus pietatis documentis, tum oeconomicis consiliis. Jus autem plenae dominationis per ista non tribuebatur Abbati, nisi quoties revera Monialium Monasteria Monachorum subjiciebantur Coenobio, atque ab ejus ditione pendebant, quale, ut supra significavi, fuit Beneventanum *Sanctae Sophiae*. Ex Chro-

Chronico ejusdem Parthenonis edito per Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. constat, eidem praefuisse Abbatissam, sed simul fuisse Monachum *Praepositum* eidem *Monasterio Sanctae Sophiae*. Ita Casinatibus subiectum erat *Monasterium* Monialium *Sanctae Mariae in Plumbariola*, & *Sanctae Mariae de Cingla*, ut alia praeteream. Hoc autem a fundatoribus praecipue factum, ut essent qui exemplo, & auctoritate in officio continerent infirmos mulierum animos, eosque ad virtutem erudirent. Quid plura? Christiani Principes soliciti & ipsi, ne, quod facile est, in religiosos coetus, irreperent vitia, & abusus, & ne Regulae observantia sensim excideret ac deperiret: *Missos Dominicos*, hoc est Regios, identidem delegabant, qui in eorum vitam ac disciplinam inquirerent. Carolus Magnus in Capitulari anni DCCCVI. constituit, *Ut Missi Dominici per singulas Civitates & Monasteria virorum & puellarum praevideant, quomodo aut qualiter in domibus Ecclesiarum, & ornamentis Ecclesiarum emendatae vel restauratae esse videntur; & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod jussimus de eorum lectione & cantu, ceterisque disciplinis, & Ecclesiasticae Regulae pertinentibus*. Iisdem fere diebus Pippinus quoque Italiae Rex paria statuit, *Monachis* praecipue ad haec investiganda selectis, ut ex ejus Lege XXI. constat, quae inter Langobardicas habetur. *Stetit nobis* (inquit), *ut Missos nostros, unum Monachum & unum Capellanum, direxissemus infra Regnum nostrum, pro videndo & inquirendo per Monasteria Virorum, & Puellarum, quae sub sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, vel qualis est vita aut conversatio eorum, & quantum unumquodque Monasterium de rebus habere videtur, unde vivere possit*. Sed praeter haec Lotharius Augustus Ludovici Pii filius stabiles in quibusdam Italiae locis constituit sanctimonialium Correctores, eosque *Inspectores* appellavit, quorum studium fuit invigilare, ut ab eisdem sacris Puellis Regula rite servaretur. Hanc in rem, quippe parum vulgatam, lubenter adfero Diploma ejusdem Imperatoris, quod olim descripsi ex saepe laudato Archivo nobilis Monasterii Ticinensis, nunc *de Posterla* nuncupati, relictâ tamen mihi dubitatione non levi, num archetypum foret, uti ejus facies praeferebat, an exemplum ad archetypi imitationem conscriptum.

Lotharii I. Imperatoris Privilegium concessum Monasterio Sanctimonialium Ticinensium Dodosi, Anno 883.

IN *nomine Domini Nostri Jesu Christi Dei aeterni*. Hlotarius Augustus *invictissimi* Domni Imperatoris Hludowici *filius*. *Cum petitionibus servorum & ancillarum Dei justis & rationalibus divini cultus amore savemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum sit omnium Sanctae Dei Ecclesiae praesentium & futurorum sollertiae, qualiter* Asia *venerabilis* Abbatissa ex Monasterii Dodosi, *quod est situm intra muros* Civitatis Papiae, *nostram petiit clemen iam obnixe, ut eumdem Monasterium una cum omnia sibi pertinentia sub nostra emunitatis tuitione ac defensione*

sione ob amorem Dei & reverentiam sancti loci illius preciperemus. Cujus petitionem libenter adquievimus, & ita ut petiit concessimus, atque per hoc nostrum Imperiale preceptum confirmavimus. Quapropter praecipimus, ut nullus &c. Sed liceat memoratae Abbatissae, Successoribusve suis res praedicti Monasterii sub immunitatis defensionis nostrae quiete & ordine possidere, & quicquid exinde Fiscus noster sperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praefato Monasterio concedimus, ut in alimonia Ancillarum Dei ibidem sub Regula Sancti Benedicti Deo famulantium &c. Meramnum quoque venerabilem Abbatem in eodem loco constituimus Inspectorem, quatenus diebus vitae suae studio in omnibus Regula ibi exequatur Sancti Benedicti &c.

Signum  *Hlotarii gloriosissimi Augusti.*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

Luithcasus ad vicem Ermenfredi recognovi.

Data XV. Kalendas Majas, Anno Christi propitio, XXI. Imperii Domni Hludowici serenissimi Imperatoris, Regnique Hlotharii gloriosissimi Augusti in Italia XI. Indictione XI.

Actum Papia Civitate, Palatio publico.

Accipe nunc detestandam consuetudinem temporibus barbaricis in Italia vigentem. Si qua mulier Religiosâ veste induta votum pudicitiae Deo factum aut adulterio aut fornicatione fregisse deprehendebatur, *inter pensiles Ancillas Regis*, fortassis etiam & privatorum, ad nendum ac telas & pannos elaborandum trahebatur; hoc est illi eadem poena imminebat, qua Liberae mulieres cum Servo sese impudice miscentes plectebantur. *Gynaeceum* locus ille appellabatur. Earum corruptoribus poena tantùm pecuniaria secundùm Langobardicas Leges infligebatur, quum contra in Galliis e Clotharii Secundi Regis edicto huic facinori capitalis sententia indicta fuerit. Quis pravum hunc usum tradendi *Gynaeceo* Sanctimoniales adulteras invexerit, incompertum mihi est. De ipsis Regibus Langobardis dubitari potest. Liutprandi Legem primam Lib. V. habemus de Sanctimonialibus agentem, ubi haec sunt verba: *De persona verò ejusdem feminae, quae tale malum commiserit, judicet Rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in Monasterium mittendo, aut qualiter secundùm Deum melius providerit.* Et sane Hadrianus I. Papa in Epistol. *94.* Codicis Carolini eodem Saeculo conquestus est, quod in Langobardico Regno familiares jam evasissent illicitae Sanctimonialium nuptiae. Quare ut huic morbo mederetur, Lotharius I. Augustus & ipse

ipse Legem promulgavit, quae est Sexta inter Langobardicas, ubi curam castigandi ejusmodi mulieres dimittit Episcopo. *De Sanctimoniali femina*, inquit, *statuimus, ut si adulterium fecerit, & inventum fuerit, res, quas habet, in Fisco nostro socientur. Persona vero ejus sit in potestate Episcopi, in cujus Parochia est, ut in Monasterio mittatur.* Scilicet tunc minime deerant, & Virgines & Viduae Deo sacrae, *velamen aut vestem Sanctae Dei Genitricis* gestantes (ita enim Monastica earum vestis appellabatur) quae extra Monasterium hoc est, in aedibus propriis degebant. Sed ne sic quidem sublata est abominanda consuetudo deducendi in *Gynaeceum* hujusmodi foedifragas mulieres. Abominanda, inquam: loca enim illa, etsi unis destinata feminis, virorum tamen ac praecipue custodum insidiis paullatim ita patuere, ut parum inter Gynaecea ac Lupanaria interesset. Immo Lupanaria reperimus *Gynaecei* nomine donata. Turpem sane locum, in quem truderentur feminae Castitatis voto etiam post crimen obstrictae. Poenae deformitatem agnovit Lotharius Imperator supra laudatus quare alteram Legem, quae est 88. promulgavit his verbis: *Statuimus, ut si femina vestem habens mutatam* (hoc est, quae Secularem vestem in Monasticam mutarit) *moecha deprehensa fuerit, non tradatur Geniceo, sicut Usque Modo, ne fortè quae prius cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat moechandi; sed ejus possessio* (idest facultates) *Fisco redigatur; & Episcopi ipsa subjaceat judicio.* Propterea Ludovicus II. Augustus Lotharii ipsius filius ut habet Diploma editum in Chronico Casauriensi Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. Monasterio Casauriensi donat *res, quae fuerunt Gundi uxoris Justoni, que post velamen Religionis in adulterio copulatae, in placitum ante Judices Sacri Palatii nostri legaliter devicta est.* Ita in donatione Arichisi Principis Beneventani facta Monasterio Sanctae Sophiae, Tom. 8. Ital. sacr. legimus, *substantiam Alipergae Domini Ancillae, quae, derelicto Religionis habitu, Tauro filio Ranifoni, illicito se tradidit Matrimonio; unde secundùm Edictum* (idest secundùm Legem Langobardorum) *& ejus tenorem, omnis substantia ad nostram devenit potestatem.*

Temporibus autem iis hercle ingens copia erat sacrarum Virginum, atque Viduarum, Deo fideliter famulantium, ac probos mores sanctissime consectantium. Nihilo tamen secius, ut sunt mores hominum in pejora proni, nullumque institutum indicare possumus quamvis sanctissimum, a quo vitium omne, & semper, absit: barbaricis Saeculis facilius, quàm nunc, in sacratas Deo mulieres, atque in ipsas earum Congregationes, morum corruptela penetravit. Potissimum vero in illas, quae velo Religionis suscepto in aedibus propriis habitare pergebant. Cujus rei non privatum testem, sed publicum habemus Capitulare a nuper memorato Arichiso Principe Beneventano sub finem Saeculi Octavi promulgatum, atque editum Tomo II. Rer. Italicarum pag. 337. Describit ille mulierculas, quae *defunctis viris, habitum Sanctimonialis in secreto domi suscipiunt, ne vim nuptialem perpetiantur. Tum verò delictis effluunt, comessationibus student, potibus vineis ingurgitantur, lavacra frequentant &c.* Addit infra: *Si quando in plateas processurae sunt, facies poliunt, manus candidant, incendunt libidinem,* ut

ut visentibus incendia misceant. Saepe etiam formosos videre, atque videri impudentius appetunt. Et ut breviter dicam, ad omnem lasciviam, voluptatemque animi frena relaxant &c. adeo ut non solùm unius, sed, quod dictu nefas est, plurimorum prostitutionibus clanculo substernantur; & nisi uterus intumuerit, non facile comprobatur. Quapropter statuit Princeps, ut si qua innupta aut vidua *velamen sanctae Religionis* susceperit, neque *intra anni circulum in Monasterium* trusa fuerit, & stupri crimen incurrerit, componat *Guidrigild suum in Palatium*, atque a Principe in Monasterium trudatur. Notissimum quoque est, temporibus iis Abbatissas non secus atque Abbates, usquedum in vivis agerent, neque indignas illustri eo munere sese efficerent, Monasterio sibi commisso praefuisse. Quod e subsequenti Charta ediscas, cujus antiquum apographum in Archivo Lucensis Archiepiscopii vidi. Ea autem rationem eligendi & constituendi Abbatissam tibi rursus indicabit.

Electio Grimae in Abbatissam Monasterii Lucensis Salvatoris, nunc Sanctae Justinae, loco Theuderadae Abbatissae senescentis: ejusque confirmatio per Conradum Lucensem Episcopum, Anno 960.

IN *Christi nomine. Notitia ordinationis, qualiter* Domnus Chonradus *gratiâ Dei hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus *cum Sacerdotibus & Diaconibus seu Clericis multis venisset ad Ecclesiam Monasterii Domini & Salvatoris, qui dicitur Brisianum, situm infra hanc Urbem Lucam, & invenerunt eum destructum. Congregaverunt ibidem simul congregationes Monacharum ipsius Monasterii Domini & Salvatoris parti cum ipsa* Teuderada, que erat ibi Abbatissa de ipso Monasterio. *Et interrogavit eas Presul, pro quod ipsum Monasterium esset destructum. Cui ipsa Abbatissa Teuderada dixit:* Dum potui, gubernavi hoc Monasterium. Veni in tempore senectutis & caliginis oculorum, & nimium infirmitatis: ideo non possum eum gubernare nec regere. Tantùm rogo mercedem vestram, ut in locum meum mittetis Abbatissam, que eum regere & gubernare valeat, quia ego hunc locum nullo modo tenere valeo. Volo etiam una cum omnibus istis Monachabus istius Monasterii, ut istam Sororem nostram Nepotem meam, nomine Grima, que ab infantia in hoc Monasterio nutrita fuit, in hoc venerabili loco Abbatissa & Gubernatrix dignemini ordinare ac benedicere. Eo tenore ego, quae supra Teuderada, trado tibi, cui supra, Domno Chonrado Episcopo hoc sanctum Monasterium ad ordinandum. *Cum ipsa Teuderada taliter diceret, tunc ipse Domnus Chonradus Episcopus interrogavit & inquisivit ipsas Monachas predicti Monasterii Domini & Salvatoris, que ibi aderant, si ipsam Grimam voluissent Abbatissam in ipso Monasterio eligere & habere. Tunc omnes unâ voce misericordiam clamare ceperunt.* Si jubet Paternitas vestra, volumus ac petimus, ut nobis hanc nostram electam Dei Ancillam, nomine Grima in hoc sancto regimine absolute ordinare ac benedicere dignemini, eo quod juste & rationabiliter hunc venerabilem locum secundùm Deum regere bene scit, simul & gu-

gubernare poteſt: & nos Abbatiſſam eam elegimus. *Statim predictus Domnus Chonradus Epiſcopus adquievit petitioni voluntatis earum, &* per Regulam, & Ferulam, *quas in ſuis manibus detinebat, per voluntatem & conſenſum predicte Abbatiſſe Teuderade, ceſſit, tradidit, &* ordinavit predictam Grimam in ſupradicto Monaſterio Domini & Salvatoris, & eam inde inveſtivit, & Abbatiſſam ordinavit & benedixit: *& deinces in antea, dum vita ipſius Grime Abbatiſſe fuerit, in ejus poteſtate conſtituit predictum Monaſterium cum omnibus caſis & rebus &c. habendum, tenendum, regendum, gubernandum, laborare faciendum, & uſumfructum, dum & in ipſa Domini Eccleſia Monaſterii per ipſius Grime Abbatiſſe diſpoſitionem, officium Dei, & luminaria, ſeu incenſus, atque Miſſae fierent. Unde ſtatuit predictus Preſul atque conſtituit, ut neque a ſe ipſo Pontifice, neque a ſucceſſoribus ſuis hec notitia ordinationis aliquo tempore diſrumpi poſſit nec frangi, ſed cunctis temporibus, dum vita ipſius Grimae fuerit, haec ordinationis pagina in ſua permaneat firmitate & robore. Quam Leo Notarius Domnorum Regum pro ſecuritate & futura oſtenſione eidem Grimae Abbatiſſae ſcripſit.*

Actum Luca tempore Domnorum Berengarii & Adelberti *filii ejus gratiâ Dei Regum, Anno Regni eorum Deo propitio Decimo, Tertio Idus Januarii, Indictione III.*

Ego Choonradus *gratiâ Dei humilis* Epiſcopus *in hac ordinatione a me facta ſubſcripſi.*

Ego Johannes Archidiaconus ibi fui.

Ego Martinus Archipresbiter ibi fui.

Ego Petrus Presbiter & Primicerius ibi fui.

Ego Daiprandus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Stefanus Presbiter & Cardinalis ibi fui &c.

Ego Diaconus Johannes & Cardinalis & Cantor ibi fui.

Ego Ildeprandus Diaconus ibi fui &c.

Ego Maria Monacha conſenſi & legi.

Ego Dominica Monacha conſenſi & legi &c.

Signum manus Albiſinde Monache conſenſi & legi &c.

Leo Judex Domnorum Regum ibi fui &c.

Vidimus inventum fuiſſe ab Epiſcopo *deſtructum Monaſterium* illud Lucenſe, hoc eſt, ut puto, peſſime gubernatum, ejuſque reditus & bonos mores peſſum ire deprehenſos. Et ſane non pauca olim fuere Virginum Aſceteria, quae ſive ob diſſipatos raptoſve fundos, ſive ob morum corruptelam, eſſe earum habitacula deſierunt; ac propterea prorſus abolita, aut Monachis meliorem diſciplinam pollicentibus tradita. Id quamquam alibi innuerim, heic tamen altero exemplo confirmatum volo, quod acceptum refero benefico in me animo Clariſſimi olim Viri Huberti Benvoglienti, e Senenſibus membranis monumentum hoc mutuati. Eccleſiam Sancti Salvatoris in agro Senenſi aedificatam ejuſdem Seculares Patroni Anno MIII. Monachis incolendam ac regendam commiſere, qui & indicant, antea *ibidem fuiſſe Monaſterium Puellarum*, a majoribus ſuis conſtructum. Cur verò inde pulſae fuerint Sanctimoniales, reticetur. Sed vix alia fuiſſe cauſſa videtur, quàm ab eis male adimpleta conditio eadem, quae in ipſa Charta Monachis ſucceſſoribus praeſcribitur, videlicet: *Sed volumus, ut ipſi Monachi regulariter vivant; & ſi ipſi Monachi regulariter vivere noluerint, tunc habeamus licen-*

licentiam nos supraſcripti, & noſtri heredes, illos foras ejicere, & alteros introducere meliores, qui ipſum Ordinem melius cuſtodiant. Sed prodeat Charta ipſa.

Monaſterii Senenſis Sancti Salvatoris conlatio facta Monachis ab ejus loci Patronis, Sanctimonialibus inde amotis anno 1003.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Manifeſti ſumus nos* Rodulfus & Bernardus *germani Saligi, filii bone memorie item Berardi, qui fui Saligo ex gente Francorum, &* Jeta Conjuge *ejuſdem* Rodulphi, *filia bone memorie Ferolfi*, & Gisla Conjux *ejuſdem* Berardi, *filia bone memorie Rodulphi, qui preſentem diximus: Vita & mors in manu Dei eſt. Sed melius eſt homini metum mortis vivere, quàm in ſpe vivendi & morte ſubitanea provenire. Etiam recordantes nos, quia larga eſt miſericordia Domini, propterea quicquid in ſanctis & venerabilibus Locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem, in hoc Seculo centuplum accipiet: inſuper quod melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Ideo qui ſupraſcripti Germani, Jugalibus, manifeſti ſumus*, quia volumus reconciliare, & ordinare in Ordine Monachorum Eccleſia noſtra, cui vocabulo eſt Sancti Salvatoris, & Sancti Alexandri, quod ibidem fuit Monaſterio Puellarum, qui Parentibus noſtris edificaverunt eum, quod eſt poſito in vocabulo & loco Campi, ubi dicitur Fontebona, ſuper Fluvio Cojo, infra Comitato Senenſe. *Idcirco pro amore Dei omnipotentis & remiſſionem peccatorum meorum, & remiſſionem Berardi & Ermingarde genitoris & genitrice noſtra, ut pio Domino largiente veniam conſequi mereamur, donamus adque tradimus a ſupraſcripto Monaſterio ipſa terra, ubi ipſo Monaſterio eſt edificatum, cum integro donicato & integra Silva, que dicitur Ceteraja, & alia Silva, ſicut ab omni circuito eſt, quia de una parte decurrit eis foſſato, qui dicitur Lavanderia, & de alio latere foſſato Marmorajo, & de ſubto fluvio Coja, tam de iſta parte Coja, quàm de illa, que ad ſupraſcripta eſt pertinentes, & deſuper finitis ſere & termine, & infra ipſo circuito eſt Eccleſia Sancti Martini cum donnicato, & cum ſuis pertinentiis, & cum caſis & rebus maſſariciis, qui ibi ſunt, prout in ſupradicto Campo Manſa cum Caſa ſuper ſe habentes, qui regitur per Salamone. Alia manſa abſa, qui regitur per Alberto Presbitero. Tertia, qui regitur per Petrus. Quarta Caſa & Sorte, qui regitur per Dominico. Quinta, qui regitur per Johanni. Sexta per Bezo. Septima per Boninzo. Octava abſa, qui detinet Teuzo Presbitero. Nona, qui detinet Urſo in Scopitulo. Decima, qui detinet Dominico. Undecima Stephano Presbitero. Duodecima predicto Presbitero. Tertiadecima, qui detinet Lamberto. Quartadecima, qui detinet Azo Presbitero. Quintadecima, qui detinet Dominico Barello. Sextadecima in Gellino Putido abſa. Septimodecimo in Colle Genculi, qui detinet Petrus. Octavadecima in Ceſtina, qui detinet Urſo. Nonadecima in Monte Tulli, qui detinet Martino. Viceſima in Sextano, qui detinet Dominico. Viceſima prima in Piſcinule, qui detinet Ado. Viceſima ſecunda in Ferrale abſa. Viceſima tertia ſuper Peritule*

ritulo absa, seo in loco & vocabulo Casprino. Ecclesia Sancti Angeli cum donicato & cum molendino & suis pertinentiis, & aqueductum predicti Molendini, quocumque loco in futurum necesse fuerit, concedimus. Nam alia omnia suprascripta Ecclesia, & Donicata, & Molendino cum casis & rebus massariciis quatuor: una, qui regitur per Bonizo; alia qui regitur per Guido; tertia qui regitur per Dominico Turdello; quarta, qui regitur per Prando Massario, una cum integra Decimatione nostra donicata de omnibus rebus Curtis nostris; seo & Servis quatuor, ad predicto Monasterio donamus & tradimus, ac predictis Ecclesiis cum donicatis, & cum rebus massaritiis, & cum silvis & rebus, sicut jam dicti & nominati & circumdati & aterminati, cum omnibus eorum pertinentiis, & nostri arvis qua cultis, oum Curtis, Ortis, terris, vineis, silvis, pratis & pascuis, cum olivetis & castanietis, cum fontibus & puteis & piscariis atque molendinis, cum predictis Servis: nomina eorum, Petrus, & Ugo cum omnia & in omnibus sicut superius legitur; totum adque integrum donamus atque concedimus, & secundùm Lege nostra Saliga confirmamus per fistucum nodatum, & cultellum plecatum, vvantone, seo ramis arboribus, adque vvasioni, & adigilaginem tradimus ad ipsum sanctum loco de jure nostro in jure donationis ipsius prefati Monasterii Domini Salvatoris, qui nos in Monachorum Ordinem reconciliamus, *in ea videlicet rationem, ut dum nos prefati germani Rodulfi, Bernardi, & Ilta, Gisla jugalibus in oc Seculo advivere meruerimus, in nostra sit potestate & regimine gubernandi, struendi, & meliorandi, nam non vendendi nec donandi nec alienandi, nisi de aversa parte nostra sit potestas defendendi. Et post nostrum decessum devenia ipso Monasterio in potestate & regimen de eredibus, & anc proeredibus nostris.*

Sed volumus adque concedimus, ut ipsi Monachi, qui ad ipso Monasterio sunt ordinati, regulariter vivant. Et si ipsi Monachi regulariter vivere noluerint, tunc habeamus licentiam nos supraſcriptorum & nostris heredibus ac proheredibs, illis foris ejicere, & alteris introducere meliores, qui ipsum ordinem melius custodiant. *Ipso Monachos in alias potestas non se mittere debea, nec commendare, nisi in nos germanis & nostris filiis, heredibus, & anc proheredibus, si nos vel nostri heredibus licentiam non dederimus. Sed qualiter de nos germanis & jugalibus, vel nostris filiis heredibus, & anc proheredibus, vel omnia, sicut superius legitur, conservare noluerit de ipso Monasterio & de suis pertinentiis, inanis & vacuus permanet, & reveneat in potestatem ad illum Conservatore ipsum Monasterio & ipsi Monachi, qui conservaverit omnia, sicut superius legitur. Nam & ipsam electionem & ordinationem sine licentia & consensu nostru, & de heredibus & anc proheredibus nostris stabiliter esse non debet. In eo ordine, ut non habeat licentiam vel potestatem nos nec nostris heredibus & anc proheredibus de ipsis rebus de predicto Monasterio nec vendere nec donare nec alienare, nec per ullo ingenio, nec per scriptionem in aversa parte de ipso Monasterio abstraere, nisi de aversa parte jure ipsius Monasterii defendere, & manburdire. Et ipse Abbas de ipso Monasterio nec debeat Monasterii habea potestatem per ullum argumentum ingenii in aversa parte dare nec alienare ad dannietate ipsius Monasterii; set omnique tempore*

per nos vel pro nostris parentibus orationes, nulla alia laborationem, nec alium censum, nec superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicationem ejusdem Monasterii ad nos suprascriptorum germanis jugalibus, vel ad nostris heredibus ac proheredibus ibidem ad ipsum Monasterio done in pensionem denarios duodecim. Et si ipse Abbas, aut suis posteris successoris predictam pensionem non dederit, & dare neglexerit in primo & secundo, vel usque in septimo anno: tunc dent postea ipsam pensionem insimul. Quod dictum est, si tunc ipsam pensionem dare neglexerit, compona ipse Abbas nos germanis & Jugalibus, & nostri heredibus ac proheredibus aurum Libras tres, & postea absa ipsum Monasterio, ut superius legitur, omnia adimpleta. Et si quis vero, quod futuro esse non credimus, & si nos suprascriptorum germanis & jugalibus, aut ullus heredibus ac proheredibus, seo qualibet alia aposita, vel extranea persona, qui contra prefato fulgenti Monasterio, qui nos propter nomen Domini & reverentiam Domini Salvatoris reconciliavimus, inrumpere aut infrangere tentaverit, aut in ordine Monachorum non conservaverit, quod Deus non permittat absi: tunc primis omnium ira Dei, & ipsius sancti Loci exitatus eccurra, & a limina Sanctorum excommunicatus appareat, & illa sententia recipiat, quem Juda Scariot, qui Dominum tradidit, & cum Datan & Abiron, qui terra vivo decrutivit, & sit consortio cum Antichristo, excommunicatus sit ad trecento & octo Patri Sancti, qui Canones constituunt; non in ea in dextera, set in sinistra parte cum peccatore & impii puniatur. Et insuper componere promittimus nos suprascripti germanis & jugalibus cum filiis, heredibus, & anc proheredibus a pars predicto Monasterio, si omnia, que superius legitur, & decrevi facere, non permiserimus habere & detinere & ordinare, sicut superius legitur, multa quod penam de auro optimo Libras centum, argenti ponderas duocenti. Ecce qualem fuit nostro desiderio & oc voluntas Deo opitulante adimplere festinavimus. Et ec traditio omnique tempore firma & inviolata permanea cum omni firmitatem, & stipulatione subnixa, & pargamena cum agramentario de terra levavimus; tibi Johanni Notario Domni Imperatoris ad scribendum tradidimus & scrivere rogavimus, in quod subtus confirmans, testibus obtulit roboranda.

Actum Comitato Senense facto uns scriptum dotis in Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Tertio, Mense Genuario, Indictione XV. feliciter.

Signum manum suprascriptorum germanis & jugalibus, qui unc scriptum dotis, sicut superius legitur, scrivere rogaverunt.

Signum manum Petroni Saligo filio bone memorie Berardi, qui Benizo vocatus est, testes.

Signum manum Ardimanni filio Cilaldi, rogatus testes.

Signum Uberti filio Mariovu, Lege vivente Longobardorum, testes.

Signum manum Wilelmi Saligo filio Rodulfi, rogatus testes.

Signum manum Petroni filio bone memorie . . . . . . rogatus testes.

Signum Ugi Saligo filio de suprascripto Rodulfo, rogatus testes.

Signum manum Petroni filio bone memorie Rolandi, qui Roizo vocatus fuit, rogatus testes.

Ego Arduinus Notarius, rogatus testes.

Johanni Notarius Domni Imperatoris, qui ex roito ejusdem suprascriptorum germanis & jugalibus scripsi unum scri-

scriptum dotis, & post tradita complevi & dedi.

Quamobrem Saeculis barbaricis etsi in plurimis Virginum Coenobiis pietas & compositi mores efflorerent, in aliis tamen non defuere calamitates illae, quibus humanum genus obnoxium est, ita ut cum iis comparatis temporibus nostris, non in Italia solùm, sed & in reliquis Catholicorum Regnis habeamus unde gloriemur, ac Deo gratias agamus. Nolo huc adferre, quae de Monachabus antiquis veteres Scriptores memoriae prodiderunt. Praestat alio oculos convertere, & susceptum cursum tenere. Neque omittendum est, ad postrema Secula referendam minime esse institutionem Sanctimonialium earum, quae *Canonicae* olim appellatae sunt, nunc verò *Canonichesse* Italice dicuntur, ac frequentes habentur in Belgio, & in Urbibus quibusdam Germaniae orthodoxis. Jonas Episcopus Aeduensis Anno Christi DCCCLVIII. uti adnotavit Clarifs. Mabillonius in Annalib. Benedictinis, memorat *Monasterium sacrarum Monialium sub Canonico habitu* degentium, *quas praedecessor meus sanctae recordationis Motboinus Episcopus in Regularem & Monasticum transferre studuit ordinem*. Differebant ergo *Canonichissae* illae a *Monachabus*. Tomo etiam Septimo Concilior. Labbei, decreta quaedam Eugenii II. Papae referuntur Anno circiter DCCCXXV. efformata, nisi tamen potius ad Eugenium III. (ut verisimilius videtur) eadem sint referenda, in quibus commemorantur *Sanctimoniales, & Mulieres, quae Canonicae nominantur, & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Augustini Regulam, vitam suam in melius corrigant & emendent, superfluitatemque vestium, & inhonestatem deserant*. Itaque Regula diversa erat Monialibus, & mulieribus Canonicis. Sed de his vide, quae congessit doctissimus Thomassinus Part. I. Lib. 3. Cap. 43. de Beneficiis. Unum tantummodo addam, scilicet ejusmodi *Canonichissis* Regulam praescriptam fuisse in Concilio Aquisgranensi Anno DCCCXVII. Illarum vero institutionem (quum ceterae sacrae Virgines antiquis Seculis post Coenobiticam Disciplinam Sancti Benedicti in Occidente propagatam, ejusdem Sancti viri Regulam profiterentur) minime probavit Concilium Romanum Anno MLVIII. sub Nicolao II. Papa celebratum. Attamen ejusmodi Canonicarum Monasteria ne nunc quidem in Italia desiderantur, quae Regulam sub Sancti Augustini nomine evulgatam amplexae, atque ab aliis ejusdem instituti puellis veste tantùm ferme distinctae, Sedis Apostolicae auctoritate & consensu comprobantur.

Olim verò uti Monachorum, ita sacratarum Virginum Coenobia ab Episcopis pendebant. Sed neque desiderata sunt Regalia, quae sub potestate ac defensione Palatii posita erant. Fuerunt & alia, quae majori alicui Monasterio itidem Virginum subjecta libertatem pristinam amisere. In Civitate Fori Julii (nunc *Cividale*) effloruit olim, & adhuc floret *Monasterium Puellarum Sanctae Mariae in Valle*. Ignotum mihi est, num ante Annum DCCCXXX. Asceterium illud a Patriarchae Aquilejensis regimine avulsum fuerit, an potius juri ejusdem Patriarchae in spiritualia, additum quoque jus fuerit in temporalia. Clarissimus Mabillonius edidit in Appendice ad Tom. II. Annalium Benedictinor. Diploma, in quo traditum fuit hujusmodi Mona-

ſterium juri & poteſtati Aquilejenſis Eccleſiae & Rectorum ejus. Datum fuit Diploma illud Anno Chriſti DCCCXXX. a Ludovico & Lothario Auguſtis Maxentio Aquilejenſi Patriarchae. Quare inde colligas, emendandam eſſe apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. Chronologiam Patriarcharum Aquilejenſium. Ibi Andreas Maxentio ſucceſſiſſe traditur, citius tamen, quàm par erat. Forojulienſis illius Aſceterii tabulas etiam ſubjungere decrevi, ad ipſum ſpectantes, quas ex autographo eductas ad me miſit Illuſtriſſimus olim Adrienſis Eccleſiae Epiſcopus Philippus de Turre.

Donatio quatuor praediorum facta Monaſterio Forojulienſi ſacrarum Virginum Sanctae Mariae in Valle a Goteboldo Patriarcha Aquilejenſi, circiter Annum 1015.

N*Otum ſit omnibus praeſentibus & futuris, qualiter ego* Goteboldus *Dei gratia* Patriarcha *quatuor Maſſaricias in Carnia poſitas, ſcilicet in Villa quae vocatur Ampez*, Sanctae *& venerabili* Eccleſiae de Sancta Maria de Valle, quae eſt in Civitate Forijulii poſita, ad ſervitium illarum Monacharum, quae ibi ſerviunt, *cum omni jure in perpetuum tradidimus. Eo tenore, ut illarum quatuor Maſſariciarum impenſio non admiſceatur reliquo ſtipendio Monacharum, ſed ſemotim & ſingulariter in quattuor feſtivitatibus Sanctae Mariae inter illas dividatur. Manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione confirmari juſſimus.*

✠ EGO GOTEBOLDVS *Patriarcha ſubſcripſi.*

✠ *Ora pro famulo, Sancta Maria, tuo.* ✠

Patriarcham iſtum *Godeboldum* Ughellius nuper memoratus perperam appellat *Goſobaldum*. Olim ergo quum pleraque Virginum Coenobia virtutum odore fragrarent, certabant pii cum in condendis novis Monachorum habitaculis, & aedificandis etiam novis Sanctimonialium Coenobiis, tum iis locupletandis. Ac praecipue ſacri Antiſtites ejuſmodi ſtudio ardebant, inter quos mihi nunc laudandi ſunt Regienſes; eorum quippe Chartas nonnullas ſuppeditavit mihi Tabularium Aſceterii Regienſis Sancti Thomae. En quid egerit Teuzo ejuſdem Urbis Epiſcopus.

Fundatio Monaſterii Sanctimonialium Sanctorum Viti & Modeſti prope Scantianum, facta a Teuzone Epiſcopo Regienſi, Anno 1015.

I*Nomine Sanctae & individuae Trinitatis.* Teuzo *ſanctae* Regienſis Eccleſiae Praeſul. *Cum in omnibus cauſis & terrenis negotiis remotioribus humano generi id maxime occurrit ad profectum & bonum exemplum, quod mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, ſicut bonus paſtor animam ſuam pro ſuis ovibus poſuit: digniſſimum conſtat, nos quoque quamvis indignos, quos tamen Eccleſiae ſuae praefecit paſtores, ut omnium ſtudiorum noſtrorum curas erga Clerum & Populum nobis commiſſum ſollicite agamus, ac paterno affectu eum*

regere

regere & confovere debeamus; sic quoque ad procurandas animas pastorales excubias imponamus, ut corporum etiam necessitates pro aliquibus indigentiis inhiantes, benefitiis, quibus possumus, suppleamus. Habet enim ratum & firmum Deo servientium mentes tanto liberius in laudes Dei continuas promoveri, quãtum a duabus curis victus & vestitus eas contigerit alienius semoveri. Et quoniam res Ecclesiae sicut a Sanctis Patribus traditur, fidelium sunt vota & peccatorum pretia, oblata enim sunt ab Ecclesiae Sanctae fidelibus, ut inde Christi pauperes nutrirentur, Ecclesiae honorarentur, captivi etiam pro temporum opportunitatibus redimerentur: proinde nos Teuzo, Christo largiente Regiensium Episcopus in Basilicam Sanctorum Martirum Viti & Modesti, quae sita est prope Scantianum, Monasterium Puellarum esse constituimus *pro temporis quantitate & rebus, nunc incipientes, & in futurum amplificare volentes. Super illas res, quae praedictae Ecclesiae pertinent ex rebus Ecclesiae nostrae Sanctae Mariae & Sancti Prosperi, viginti Mansos inviolabili voto, Deo volente, nos daturos promittimus: de quibus nos quatuor * designare praedictae Ecclesiae damus, videlicet totam terram, ubicumque rejacet per loca, quae pertinere dicitur ad eamdem Ecclesiam, & totam terram de Geraldo, & precariam illam, quam tenent Dominicus & Angelus fratres de parte nostra, & modios illos septem de terra, quam de nostra parte tenet Presbiter Boniprandus*, ad alendas Sanctas Moniales, *quas nunc inibi ordinavimus, sub ea, quae nobiscum hoc devovet opus* Liuza Abbatissa, *ac eas, quae pro futuris temporibus Deo concedente ibidem ordinabantur; & per hanc nostri Decreti paginam oblatos Mansos, in praesentiarum & in futurum promissos, & imposterum semper dandos confimamus, quatenus remota indigenciae murmuracione, & nostrâ, nostrorumque Successorum molestiâ & contradictione sanctae Moniales inibi regulariter Deo servientes sanctae conversacionis exemplo clarescant, & sic in sancta Religione crescentes, de bono ad melius semper procedendo, liberius vivant; & quia benefacti sicut nimium quisquam nequit habere, itaque quae nemini valuit impertire; orare & postulare, vos Successores meos de futuro non desistam, ut in Deo, & propter Deum hoc decretum a nobis novâ deliberatione corroboratum conservare, reformare, & augmentare nullatenus neglegatis quotannis in secula, ut nobiscum sitis participes sanctae retributionis, quorum fuerit una exercitacio sancta laboris. Si quis verò, quod futurum minime credimus, hanc nostri decreti Constitutionem perfringere aut immutare quaesierit, anathematis vinculo innodatus & vivens mortuus pereat in aeternum. Quod ut firmiter credatur & certius habeatur, diligentiusque ab omnibus observetur manu propria confirmantes nostrae Ecclesiae Populo cognoscendum, & Clero obtulimus roborandum.*

Ego Teuzo *gratiâ Dei* Praesul *sanctae* Regiensis Ecclesiae *in hoc decreto a me facto subscripsi.*

Ingo Dei gratiâ Archidiaconus subscripsi.

Ego Adalbertus, qui & Michaël, Archipresbiter subscripsi.

Ego Rodgarius Presbiter & Praepositus subscripsi.

Ego Ildebertus Diaconus & Praepositus subscripsi.

Ego Petrus Presbiter subscripsi.

Ego Alum Presbiter subscripsi.

Ego Albertus Diaconus subscripsi.

Ego Arduinus Diaconus subscripsi.

Ego Adel-

Ego Adelbertus Diaconus subscripsi.
Ego Giselbertus Subdiaconus subscripsi.
Ego Wibertus Subdiaconus subscripsi.
Ego Sigifredus Subdiaconus subscripsi.
Ego Walbertus Subdiaconus subscripsi.
Petrus Subdiaconus, & hujus decreti Scriptor, a Domno Teuzone Regiensis Ecclesiae Episcopo rogatus, subscripsi.
Actum VIII. Idus Junii, Anno Dominicae Incarnationis MXV. Regni verò Divi Henrici Undecimo, Imperii verò ejus Secundo, per Indictionem Duodecimam.

Novis muneribus erga easdem sacras puellas munificum se rursus exhibuit idem *Teuzo Episcopus*, eis traditâ Ecclesiâ Sancti Thomae, unde nunc nomen nobili illi Monasterio. Animadvertendum tamen est Regiense Monasterium Sancti Thomae antiquitus etiam exstitisse. Mabillonius nuper laudatus in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCXXXV. Chartam produxit eo Anno exaratam, in qua *Cumicunda relicta quondam Bernardi incliti Regis* Italiae, Monasterium Parmense puellarum Sancti Alexandri a se aedificatum magnifice ditat. Inter alia eidem subdit Monasteria duo, unum in Civitate Parmensi situm; *alium namque Monasterium foris muros Civitate Regio non longe ab ipsa Civitate, qui est ad honorem Sancti Thomei Apostoli.* Quare non aedificatum, sed *reaedificatum* videtur Monasterium illud a Teuzone Episcopo; idque etiam intelliges ex Sigefredi Episcopi Charta, quam infra sum producturus. Cur verò Mabillonius, vir cetera diligentissimus scripserit, hocce Monasterium Sancti Thomae situm fuisse *non longe ab eâdem Civitate Parmensi*, nil aliud in caussâ fuisse puto, nisi quia magnificis molibus exstruendis intentos minuta quaedam fugere facile possunt, quae tantis viris non objicienda, sed condonanda sunt.

Traditio Basilicae Sancti Thomae facta a Teuzone Episcopo Regiensi Liuzae Abbatissae Sanctorum Viti & Modesti, Anno 1027.

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Teuzo *divino respectu sanctae* Regiensis Ecclesiae *humilis Episcopus. Nos, quibus cura & Ecclesiasticum regimen condonatum esse dignoscitur, sollicite ac sedule tractare oportet, quo nobis subditas Ecclesias taliter ordinamus, ut in futuro boni Pastoris praemia capere valeamus. Quo circa omnibus sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque fidelibus notum fore volumus, nostrae Ecclesiae Primates nostram adiisse Paternitatem*, quo Basilicam in honore Sancti Thomae Apostoli ceptam, Liuzae Abbatissae concedimus. *Quorum peticionibus annuentes, tam praefatae Abbatissae, quàm* ceteris omnibus in Sancti Viti Martiris Cenobio..,... *ordinandis temporibus* Abbatissis, *nostrae institutionis pagina praelibatam Basilicam cum aliquantula Terra circa ipsam sita Basilicam, cui septem sestariorum est numerus, finis verò ab orientali plaga terra....... Sancti Prosperi, a meridie Petri Judicis, ab occidente Sanctae Mariae, & Sancti Michaëlis, & Sancti Prosperi, a sera Sancti Prosperi, & heredum Landulfi concessimus & largiti sumus, eo videlicet ordine, ut sui.,..... post hac una sit in perpetuum Ecclesia, & alteri respondeat alter...... Quod ut verius*

verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur, manu propria subter conscripsimus. Si quis verò hanc nostrae institutionis paginam quandoque infringere....... quod absit: sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum Juda Domini nostri Jesu Christi proditore...... damnatione dampnatum, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit perpetuis........ Quid plura? habeat maledictionem illorum, qui dixerunt Domino Deo: Rede a nobis...... nolumus.

Data Anno Dominicae Incarnationis MXXVII. Pontificante verò Domno Teuzone Praesule Anno XLVIIII. Indictione XI.

Teuzo Episcopus *in hac Constitutione a me facta subscripsi.*

Ego Adelbertus Presbiter subscripsi.

Ego Adam Presbiter subscripsi.

Ego Gregorius Presbiter & Custos subscripsi.

A

Ego Gualbertus Diaconus subscripsi.

Ego Gotfredus Diaconus subscripsi.

Ego Wibertus Diaconus subscripsi.

Ego Gandulfus Subdiaconus subscripsi.

...... sanctae Regiensis Ecclesiae Clericus subscripsi.

Ego Giselbertus Subdiaconus hujus concessionis scriptor subscripsi.

B

Neque minor fuit erga Monasterium idem pietas *Sigefredi Regiensis Episcopi*, qui sedato tandem *turbine saecularium procellarum*, & ipse cupiens *Monacharum Coenobium noviter a praedecessore suo bonae memoriae Teuzone Episcopo ad omnipotentis Dei & Sancti Thomae Apostoli servitium reaedificatum, olim ab Infidelibus*, (hoc est, ut opinor, ab Hungaris sub initium Saeculi Decimi) *funditus destructum, datis temporalibus rebus, augere*, subsequentem Bullam promulgavit,

C

Confirmatio bonorum & jurium cum additamento Monialibus Sancti Thomae Regiensis facta a Sigifredo Episcopo Regiense, Anno 1038.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Sigifredus *divinae respectu clementiae* Regiensis Ecclesiae Episcopus, *ac provisor indignus. Nos, quibus divina ordinante providentia Ecclesiasticae dispositionis cura & regimen condonatum dignoscitur, studiose ac solicite considerare debemus, quatenus cum Dei adjutorio Ecclesiasticus status de die in diem in augmentum crescendo perficiat, ut mentes fidelium hoc prospicientes in dilatandis Ecclesiasticis rebus devotiores & promptiores cotidie reddantur. His & aliis ammonitionibus afflati, ac diuturna meditacione in nostri cordis penetralibus perplurima volventes, perspicaci curâ rimari cepimus,*

D

quid agere possemus, unde summo Patroni propensius servire vel placere valeremus. Inter haec divinâ clementia freti pertractavimus id melius omnibus negociis fore, si Monacharum Coenobium, *noviter a praedecessore nostro bonae memoriae* Teuzone Episcopo, ad omnipotentis Dei, & Sancti Thomae Apostoli servitium reaedificatum, olim ab Infidelibus funditus destructum, datis temporalibus rebus augeremus, *celitem nobis vitam inde mereremur, in tantum ut nos, nostrique Successores, ceterique Dominum timentes, vel eidem loco faventes sedulâ precum sublentacione apud Deum sublevaremur. Sed quia hactenus turbine secularium*

E

cularium procellarum quassati, & ultra modum lacessiti & fatigati, nec incohoare, nec ad limam perducere haec qui vimus. Nunc vero oppitulante Deo, & ipsarum suffragantibus meritis, depulsâ impiorum sevitiâ, quasi sub portum tranquillissimâ quiete fruentes, ad calcem procul dubio perducere credimus. Unde salubri consilio nostrorum fidelium, Clericorum videlicet & Laicorum vitali exortacione animati, pro nostrae, nostrorumque Successorum animae remedio, eidem Ecclesiae in honorem praedicti Sancti Thomae Apostoli constructae, & aedificatae, ubi Liuza *venerabilis* Abbatissa *una cum Monacabus inhibi secundùm beati Benedicti Patris instituta normaliter servientibus praeesse videtur, per decretalem paginam confirmamus fundum, in quo praefata Ecclesia sita est cum aliquanta terra in circuitu; seu terram illam juxta ipsam Ecclesiam ad meridiei plagam positam, quae est mensura sestariorum II. & tabularum VI. ubi claustra ejusdem Abbatiae esse videntur, & famulos jam fatae Ecclesiae cum suis possessionibus; atque Capellam Sancti Viti, cum suis omnibus pertinentiis, seu Massariciam una de Giraldo; & prechariam; atque aliam terram; a Dominico & Angelo germanis elaborata fuerunt, sicut a praedecessore nostro oblata sunt. Insuper addimus ex nostri parte praefatam terram, ubi claustra esse videntur, & sortem quae recta & laborata est per Joannem Leoperti, atque libellariam, quae fuit Isemprandi, atque prechariam Ibaldi de Livitiano, seu precariam Petri Judicis, verùm etiam prechariam de filiis Ugonis; nec non & duas petiolas terrae prope ipsam Ecclesiam, quae olim laboratae fuerunt una per Giselbertum & Johannem germanos, altera per Garivertum & Petrum; atque ceteras petiolas, quae juxta Regii Urbem adesse videntur, quarum numero sunt viginti sex. Seu libellariam Ildeberti Archidiaconi, & terram cum aedificiis infra eamdem Civitatem, quam filii Heriberti Judicis, acque Wido atque Fredulfus detinent, atque vineam unam in bragida Bulgari cum sedimine, quae regitur per Berningum, & Marrinum germanos; seu Massaritiam unam prope ipsum Monasterium, quae olim recta & laborata fuit per Martinum Mauroni atque Garivertum germanos. Nec non & vineam unam cum aliquanta terra; petias duas in Rivalta prope ipsam Plebem; quae laborata fiunt per Johannem Massarium, qui dicitur Fussario, atque Sorticellam illam in Rodano, quae recta fuit per Widonem Diaconum, una cum sedimine in Vinzolo; & vineam unam, quae laborata est per Frogerium cum sedimine in Opladello. Haec igitur praetitulata loca in integrum praedicto Monasterio Sancti Thomae Apostoli & praefatae Liuzae venerabili Abbatissae, suisque successoribus, & Sororibus nunc inhibi, & in futuris temporibus Deo servientibus concedimus, largimur, & modis omnibus per hanc presentem Decretalem paginam confirmamus ad communem utilitatem Monacharum, quatenus Domina Abbatissa, suaeque successores, cum suis Sororibus in perpetuum secure & quiete sub nostro, nostrorumque Successorum regimine & potestate atque ordinacione teneant, possideant, & fruantur sine omni nostra, nostrorumque Successorum interdictione, ut pro nobis atque omnibus sibi bona facientibus, devotius Dominum interpellare possint. Et ut haec veriùs credantur, firmiusque a nobis, & a nostris Successoribus observentur, manu propria roborantes, Canonicos nostros Ecclesiae inferius jussimus annotare. Si quis igitur hanc Decretalem constitutionem infringere temptaverit, male-*

maledictionem Dei Patris Omnipotentis, & Sanctae Dei genitricis Mariae, seu beati Thomae Apostoli, ceterorumque Sanctorum omnium incurrat, & cum omnibus maledictis maledictionis sententiam percipiat.

Actum est hoc Anno Dominicae Incarnacionis MXXXVIII. Pontificatus verò Domini Sigifredi junioris Episcopi *VII...... Tertiodecimo Kalendas Septembris, indictione Sexta. Nec non concedimus & largimur per hanc paginam eidem Monasterio Capellam sitam infra Castrum de Villanova, in honorem Sanctae Mariae & Sancti Prosperi dedicatam, cum omnibus suis pertinentiis, atque Capellam Sancti Domnini in Fazano, similiter cum suis pertinentiis.*

Sigifredus *Dei nutu* Episcopus, *huic decreto a me facto subscripsit.*

Bernardus Archidiaconus huic decreto subscripsit.

Rolandus Dei misericordiâ Archipresbiter subscripsit.

Dominicus Presbiter Magister Scolarum subscripsit.

Gregorius Presbiter & Custos subscripsit.

Adelbertus Presbiter subscripsit.

Adam Presbiter subscripsit.

Teuzo Presbiter subscripsit.

Gotefredus Diaconus subscripsit.

Sigifredus Diaconus subscripsit.

Walperdus Subdiaconus subscripsit.

Sigifredus Subdiaconus subscripsit.

Romanus Subdiaconus subscripsit.

Tethalmus Subdiaconus subscripsit.

Teuzo Subdiaconus subscripsit.

Heisardus Subdiaconus hujus decreti Scriptor subscripsit.

Ego Aimericus Notarius sacri Palatii hoc exemplum, ut credo, a Domino Sigifredo Regiensi Episcopo factum, vidi, legi, & scripsi; & sic in eo continebatur, ut in hoc legitur, neque junxi, neque minui, me sciente, sed exemplavi.

Sigefredus iste Regiensis Episcopus appellatur *junior*, ut ab altero *Sigefredo* distinguatur, qui Anno DCCCLVI. Cathedram Regiensem tenuit. Antecessoribus suis liberalitate minime concessit *Conon*, hoc est, Conradus Sigefredi Successor, & *Gandulphus*, ambo Episcopi, quorum ecce tabulas ex ejusdem Monasterii pergamenis descriptas.

Donatio facta Monialibus Sancti Thomae Regiensis a Conone Episcopo ejusdem Civitatis, Anno 1050.

„ IN nomine Sanctae & individuae „ Trinitatis. *Conon* Christi ordi- „ nante clementia sanctae *Regiensis* „ *Ecclesiae Episcopus*, omnibus san- „ ctae Dei Ecclesiae fidelibus prae- „ sentibus scilicet & futuris, notum „ esse volumus, *Liuzam Monasterii* „ *Sancti Thomae Apostoli* venerabilem „ Abbatissam una cum suis Mona- „ cabus nostram supplices petendo „ adiisse paternitatem, quatenus il- „ larum necessitatibus subvenientes „ aliquantulum subsidii eis imperti- „ remur. Quarum precibus faven- „ tes, cum consensu fratrum nostro- „ rum nobis adquiescentium, omnem „ terram, quam Sigifredus de Bu- „ drione ex parte nostri Episcopii „ nunc detinet, praeter illam, quam „ *Sigifredus* bonae memoriae *Episco-* „ *pus* nostris Ecclesiae Canonicis de- „ dit, eis cum fictu & censu con-

„ cedimus

„ cedimus & largimur. Eâ videlicet „ racione, ut habeant & teneant ad „ usum & utilitatem praedicti Mo- „ nasterii in perpetuum pro animae „ nostrae mercede absque nostra suc- „ cessorumque nostrorum contradi- „ ctione vel diminoratione, cum fi- „ nibus & terminibus suis. Si quis „ autem hanc nostrae institucionis „ seu concessionis paginam in aliquo „ infrangere temptaverit, cum om- „ nibus maledictis maledictionis sen- „ tenciam percipiat, & insuper quin- „ quaginta libras argenti optimi se „ compositurum agnoscat, medieta- „ tem Regiae Camerae, & medieta- „ tem injuriam sustinentibus. Quod „ ut verius habeatur, & firmius ab „ omnibus credatur, & nos manu „ nostra firmavimus, & nostro Cle- „ ro optulimus roborandum.

„ Actum est hoc Anno Domini- „ cae Incarnationis ML. Pontifica- „ tus verò Domini Cononis Episco- „ pi Anno Primo, V. Idus Septem- „ bris, Indictione III.

„ *Conon* Dei gratiâ *Episcopus* sub- „ scripsi.

„ Bernardus Archidiaconus sub- scripsi.

„ Heicardus Archipresbiter sub- „ scripsi.

„ O. Praepositus subscripsi.

Donatio facta Monialibus Sancti Thomae Regiensis a Gandulfo Episcopo ejusdem Civitatis, Anno 1075.

„ IN nomine Sanctae & individuae „ Trinitatis. *Gandulfus* divinae „ respectu clementiae Regiensis Epi- „ scopus. Pastoralem curam susci- „ pientem ita in subjectos vigilare „ oportet, ut in reddendis commis- „ sis ei incuriae culpa non obtenda- „ tur. Qua in re nos accusabiles „ cognoscentes, & Sancti Thomae „ Apostoli precibus & totius Congre- „ gationis illi servientium excusari „ cupientes, aliquantam nostri Epi- „ scopatus terram *Sancti Thomae Mo-* „ *nasterio & Congregacioni* ibi ser- „ vientium disposuimus dare, qua- „ tenus delictorum nostrorum pon- „ dere eorum intercessionibus suble- „ vemur, undè noscat posteritas, ac „ viventium universitas, quod nos „ dicto Monasterio & Congregacioni „ duos Mansos, manus investiturâ „ nostrae concedimus, utrumque ses „ jugerum, unum in Campolungo, „ alterum in Sancto Martino que „ reguntur & laborantur in Campo- „ lungo per...... alter in Sancto „ Martino per..... cum redditibus, „ & porcis & operibus, & omnibus „ suis dacionibus, & piscationibus. „ Et molendinum unum in Rodano, „ quod tenetur a Johanne, qui dici- „ tur Aurum, cum via & aquaedu- „ ctu, & omnibus accessionibus suis; „ & undecim tabulas terrae cum ca- „ sa & terra vacua juxta idem Mo- „ nasterium, cujus fines sunt a Ma- „ ne & Septentrione ejusdem Mona- „ sterii, a Meridie Strada, ab Oc- „ cidente famuli Sancti Prosperi & „ ejusdem Monasterii: eâ videlicet „ racione, ut jam dicta Congregacio „ aeternaliter teneat & fruatur, & „ quidquid inde regulariter ei facere „ conceditur, faciat, remotâ nostrâ, „ nostrorumque Successorum mole- „ stiâ. Si quis autem hujus nostrae „ concessionis statum aliquatenus vio- „ lare tentaverit, inde maledictio- „ nem

„ nem accipiat, & Herodi & Pilato „ societur. Et insuper statuimus, ut „ centum Libras denariorum dictae „ Congregacioni persolvat. Hoc ut „ verius credatur, & firmius habea- „ tur, manu propria firmavimus, & „ nostris fratribus dedimus roboran- „ dum.

„ Actum est Anno Dominicae In- „ carnacionis MLXXV. Undecimo „ Kalendas Aprilis, Indictione De- „ cima Tercia.

„ Ego *Gandulfus Episcopus* subscripsi.

„ Ad honorem Sancti Thomae A- „ postoli, Manfredus Diaconus sub- „ scripsi.

Aequo animo Lectores quaeso accipiant hujusmodi Chartas, quippe quae ad seriem & Chronologiam Episcoporum Regiensium non parum lucis sunt allaturae. Heic certe, si usquam, majorem in Ughellio diligentiam desiderassem. Errat ille non unum errorem, quum eorum Praesulum gesta pertexit; neque ab hisce vitiis immunis abit ipse Fulvius Azzarius, qui Ughellio praeivit in Histor. Ecclesiastica Regiensi, quam manu exaratam servat Bibliotheca Estensis. Apud Ughellium *Conon* corrupte appellatur *Condelardus*, & ab Azzario *Condelandus*. Is deturbatus a Sede dicitur Anno MXLIII. Illum nos nuper vidimus pacifice sedentem Anno ML. qui etiam *Annus Primus* dicitur Pontificatus illius. *Gandulfus* Regiensis Episcopus iniisse Episcopatum dicitur Anno MLXXXII. Ejus tabulas nuper protulimus datas Anno MLXXV. Alias quoque legi datas Anno MLXVI. Sunt alia non pauca apud eumdem Ughellium in Regiensibus Episcopis emendationem poscentia, vel post ejus additamenta & correctiones in Appendice Tomo Quincto. Neque omissum volo, me in Archivo Canonicorum Cathedralis Regiensis Chartam vidisse scriptam: *Berengarius graciâ Dei Imperator Augustus, Anni Imperii ejus Quinto, X. Kalendas Decembris, Indictione IX.* idest Anno Christi DCCCCXX. Ibi Severus filius quondam Adelperti de Montiglo res juris sui vendit *vobis Fredulfi sancte Regiensis Ecclesie Episcopus, ad jura & potestate Sancti Prosperi &c.* Attamen Ughellius *Fredulfum* Episcopum Regiensem fato functum Anno Christi DCCCXCVIII. nobis exhibet. Chorum impleat Charta Alberti, cujus piam liberalitatem sensere eaedem Sanctimoniales.

Alberti Regiensis Episcopi Charta, per quam terras donat Monasterio Regiensi Sancti Thomae, Anno 1147.

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Albertus *Dei largiente gratia sanctae* Regiensis Ecclesiae Episcopus *ac provisor indignus. Erumpnosae vitae discrimina considerare oportet, dum sumus in via, quatenus amissis temporalibus comodis vita commite non privemur aeternis. Sepissime enim dum is utimur, ab improvisa morte rapimur, & tamen hactenus vagantes, sero cupimus querere, quod obstantibus culpis non meremur accipere. Ac per hoc acceptâ Ecclesiastici regiminis curâ, decet Episcopalem diligenciam sic erga subditas Ecclesias & Clericos vigilanti animo gerere, ut de bono in melius juvante Deo proficiant, & Clerici diviuis officiis per melius intenti* Eccle-

Ecclesiae nostrae, nobisque fideliores existant. Unde congruum, satisque conveniencius nobis apparuit, ut interventu Donnae Angelicae *Karissimae sororis nostrae, Dei gratiâ* Monasterii Sancti Thomae de Regio Abbatissae, *ejusdem Monasterii Sororum necessitati subvenientes, aliquantulum, quod habere videbamur, ad augmentum nostrae, nostrorumque Successorum animae illi impertiremus: quatenus secundùm Apostolum nostra inopia illarum habundanciâ, Christi largiente gratia suppleretur. Quapropter divinitus animati, petiam unam de terra laborativam, que obvenit nobis per cartulam refutacionis ab Oliverio & Saraceno fratribus, filiis Burgundionis, ad comunem utilitatem Monacharum sororum nostrarum presencium & futurarum Monasterii Sancti Thomae famulantium, per hanc nostrae institucionis vel concessionis paginam jure perpetuo concedimus & largimur. Hec autem terra jacet infra clausuras Regii prope Ecclesiam Sancti Gervasii, que est per mensuram justam ad perticam legitimam de pedibus duodecim mensuratam tabulae........ cujus fines sunt ex omni latere juris ejusdem Monasterii. Tamen a mane possidet Petrus de Xina cum fratre: a meridie praedicti fratres Oliverius & Saracenus: a sero Cimiterium praenominatae Ecclesiae Sancti Gervasii: de subto terra ejusdem Monasterii, si ibi que sunt aliae coherentes, in integrum. Eâ racione, ut praedictae Sorores ad comunem earum mensam semper ammodo praefatam terram retineant, sine omni nostra seu etiam Successorum nostrorum contradictione vel diminucione. Nec liceat unquam alicui Sororum eam vendere vel donare aut infeudare, aut aliquo modo commutare, seu a proposito officio alienare. Sed sicut superius dictum est, ad mensam Sororum servetur & teneatur. Quod si quis divinum post tergum deiciens timorem, hanc nostrae institucionis & concessionis paginam frangere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti habeat, & cum Juda traditore damnatus aeternis ignibus maneat cruciandus. Quod ut verius credatur, firmiusque a nobis, nostrisque Successoribus observetur, & nos propria manu firmavimus, & testibus roborandum attulimus.*

Actum Regii in majori Ecclesia Sanctae Mariae, Anno Dominicae Incarnacionis Millesimo Centesimo Quadragesimo Septimo, de Mense Augusti, Indictione X. feliciter.

Rogati testes interfuerunt, Gerardus Judex de Panciano, Raynaldus de Alemanno, Berocius de Taculis, Petrus de Donella.

Ego Aymericus Notarius sacri Palatii rogatus interfui, & ex jussione ejusdem Episcopi scripsi, complevi ac dedi.

Quantis verò opibus ac fortunis olim abundarent Sanctimonialum quoque Collegia, ex veterum monumentis intelligimus, ejusque rei complura in hoc etiam Opere exempla ego attuli. Quippe fuere Monasteria, quae ingentem sacrarum Virginum copiam alebant, quod non sine multo redituum praesidio praestari poterat. Fidem tamen apud me excedit, quod Sugerius Abbas in Epistolâ ad Eugenium III. Papam scriptâ, atque a Sirmondo editâ narrat, nempe Monasterium Virginum Fontis Ebraldi, Anno MC. in Pictaviensi Dioecesi coeptum, post paucos annos *fere usque ad Quatuor aut Quinque Millia Sanctimonialium jam excrevisse*. Non Monasterium, sed Urbem heic haberes: adjungenda quippe huic numero foret famulorum, ancillarum, immo & Monachorum, quibus non longe domi-

domicilium erat, non mediocris coetus. Verùm hoc alii viderint. Neque verò tantùm fundos immani copiâ possidebant feminae Deo sacrae, sed & Curtes & Castella, eorumque interdum jurisdictione fruebantur. Nam quae *Curtes* in antiquis Chartis appellantur, integrae Villae erant, quibus saepe suum Castellum inerat. Quod etsi non semel monui, liceat tamen mihi luculentius heic ostendere, quum ad intelligenda veterum monumenta notionis hujus multus sit usus. In Vercellensi agro *Bugellae* Oppidum, Civitatis etiam nomine a Ducibus Sabaudiensibus ornatum, a multis Seculis illustre est. *Biella* nunc appellatur; antiquum verò ac germanum ejus nomen *Bugella* est, non *Bujella*, uti amicus meus doctissimus in Dissertatione Chorograph. praeposita Tomo X Rer. Italicar. est opinatus. Occurrit & in monumentis veterum *Pagus Bugellensis*, quo nomine ingens terrarum tractus designabatur. Verùm *Bugella* ipsa vocabulo *Curtis* donata reperitur in antiquis Chartis. *Curtis* etiam *magna* quandoque appellata fuit. Praesto mihi in hanc rem est Diploma, ex Archivo Monachorum Casinensium Placentinorum Sancti Sixti, quod etsi lacunis multis scateat, neque satis appareat, integra-ne Curtis an Mansus tantùm in eo tradatur, attamen disertis verbis exhibet nobis *Bugellam Curtis* duntaxat appellatione distinctam.

Curtis Bugellae, sive Mansi in ea siti, in Comitatu Vercellensi concessio facta Bosoni Comiti a Ludovico & Lothario Imperatoribus, Anno 826.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus & Hlotarius *divina ordinante providentia* Imperatores Augusti .... *notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam & futurorum industriae* .... *proprietatis nostrae, quae sunt in Lungobardia, in Pago videlicet* .... *quod pertinet ad Comitatum Vercellensem, idest* in Villa, quae dicitur Bugella, *Mansum Dominicatum cum Casa domnicata, & aliis edificiis, & cum mancipiis desuper commanentibus, vel quantumcumque ad praedictam* Curtem Bugellam *praesenti tempore pertinere dignoscitur, cum omnibus edificiis, mancipiis utriusque sexus, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, exitibus & regressibus, vel quantumcumque, sicut superius dictum est, ad praedictam Curtem pertinere videtur, tam Curtes quam loca vel alpes & silvas, vel omnia quicquid, sicut jam supradictum est, ad praedictam* Curtem Bugellam *aspicit, & nostri juris atque possessionis jure proprietario est, totum & ad integrum, exquisitum & inexquisitum, praedicto fideli nostro* Bosoni *ad proprium per hanc nostrae auctoritatis confirmationem concessimus. Ob hoc scilicet, quia ille nobis tradidit de suis propriis rebus per cartulam traditionis in Villa, quae dicitur Bechi, Mansos octo cum Cappella juxta Fiscum nostrum. Numagna, cum omnibus aedificiis, mancipiis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, exitibus, & regressibus, quantumcumque in praedicta Villa est, vel quae ad eum in quibuscumque locis aspicit.*

cit. Et ideo res superius praescriptas, quas ei preasentialiter per hanc nostrae auctoritatis praeceptionem jure proprietatis ad habendum concedimus, decernimus, atque jubemus, ut quicquid ab hinc in futurum jure proprietatis facere vel judicare voluerit, libero in om- A *nibus potiatur arbitrio faciendi quicquid elegerit. Et ut haec auctoritas confirmationis nostrae firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manibus propriis subter confirmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.*

Signum  *Hludowici gloriosissimi Imperatoris.*

Signum  *Hlotharii gloriosissimi Augusti*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

.... *Clericus ad vicem Fridugiti recognovi.*

Data VI. Kalendas Julii, Anno Christo propitio XIIII. Imperii Domni Hludovvici, & Hlotharii IIII. serenissimi Augusti, Indictione IIII.

Actum Engilinheim Palacio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Verùm ubi in autographo Notae Chronologicae revera conjungant *Annum Regni Ludovici Quartumdecimum*, decurrente *Junio Mense* cum *Indictione Quarta*, de autographi ipsius fide dubitatio justa suboriri posset. Certum quippe est Anno Christi DCCCXXVI. qui ab *Indictione IV.* indicatur, Junio Mense in cursu fuisse *Annum XIII.* Ludovici Pii, deductum a morte Caroli Magni ejus patris, & *Annum IV.* Lotharii ejus filii. Et B hae quidem Epochae frequentiores quàm reliquae, sunt; Idque confirmatum videas e monumento evulgato jamdudum inter Marmora Felsinea a Carolo Malvasia. Nempe Bononiae superest frustum columnae striatae cum Inscriptione iis ferme temporibus insculptâ, dignum sane, quod uti rarum barbaricae antiquitatis vestigium heic denuo C oculis omnium subjiciatur. Haec ita leguntur:

✠ IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
TEMPORE (*) DOMNI NOSTRI HLVDOVVICUS
ET HLOTHERIUS EJUS FILIO ANNO
IMPERII EORUM CHRISTO JUVANTE
QUARTO DECIMO ET SEXTO DIE OCTAVO
MENSE NOVEMBRI PER INDICTIONE SEXTA
PETRUS PRESBITER FIERI ROGAVIT.

Anno

(*) vel potius *Domnorum Nostrorum.*

Anno Christi DCCCXXVII. Novembri Mense decurrisse *Annum XIV.* Ludovici Pii, heic habemus. Ergo decurrere non potuit idem *Annus XIV.* die XXVI. Junii, Anni DCCCXXVI. ut habet Placentinum Diploma. Quare aut sphalma refundendum est in exemplum ad me transmissum, aut aliquo vitio Placentina membrana laborat, nisi haec omnia purgentur ab aliqua parum usitata Epocha Ludovici Pii. Quod autem in lapide Bononiae scripto nulla Romani Pontificis mentio fiat, sed Imperatorum duntaxat, id accidisse potuit, quòd Eugenius II. Papa, aut etiam Valentino paucorum dierum Pontifice e vivis sublato, Romana Sedes Novembri Mense Anni DCCCXXVII. vacaret. Si verò tunc vivebat Pontifex Romanus, quid dominationis Bononiensi in Urbe tunc foret Augustis, hinc etiam elucere posset. Haec obiter. Dixi, Curtes plerasque post Saeculum Octavum suo Castello fuisse ornatas. Quod quamquam multis exemplis confirmare possim, multaque jam dederim in hoc ipso Opere, paucis tamen majori in lumine confirmatum nunc volo. Otto Magnus Imperator in Diplomate Anni DCCCCLXIX. apud Ughellium Tom. II. Ital. Sacr. in Episcop. Parmens. Ingoni nobili viro confirmat *Curtem Villanovae cum Castro super se habente: Curtem de Gravalina cum Castro Casiollo & Trebaldo: Curtem de Beneuto cum Castro Vicoboin: Curtem Deveratelim cum Castro super se habente; Curtem de Staderiano cum Castro &c.* Accedat & vetus alterum monumentum hactenus luce carens, hoc est Diploma, quod ex pergamenis Capituli Canonicorum Parmensium descriptum nostris offert oculis Oppidum Sancti Secundi *Curtis* nomine donatum, cum *Castello* ibidem constructo.

Concessio Curtis Palacioni, quae dicitur Sancti Secundi, facta Canonicis Ecclesiae Parmensis ab Ottone III. Imperatore, Anno *999.*

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Otto *superna favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Si locis divine Sanctitati mancipatis proprietates augendo roboraverimus, in tempore praesenti & in futuro nobis remunerari procul dubio credimus. Quocirca omnium fidelium nostrorum tam praesentium quàm & futurorum noverit industria, qualiter nos interventu* Sigefredi *sanctae* Parmensis Ecclesiae *venerabilis* Episcopi, *maxime verò ob Dei omnipotentis onorem, suae sacrosanctae Sedi in honore gloriosissimae Virginis, Deique Genitricis Mariae constructae ad jure & proprietatem Canonicae ibidem Deo modò inservientium, & in futuro succedentium concedimus, & per hanc nostram praeceptalem paginam confirmamus* Curtem de Palacioni, quae dicitur Sancti Secundi, *cum omni sua integritate, sicut hactenus* Atto Comes *obtinuit, cum servis & ancillis, aedificiis,* Castello, *& Villis, agris, pratis, campis, pascuis & silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, ceterisque omnibus pertinentiis tam quesitis quàm inquirendis. Inde praecipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque Imperii nostri magna parvaque persona, praedictae Ecclesiae Canonicos de jam habita proprietate disvestire aut molestare, sive censeri jure prae-*

praesumat. Si quis igitur hoc nostrum Imperiale praeceptum violare temptaverit, sciat se compositurum auri obtimi Libras centum, medietatem Camerae nostrae, ac medietatem praedictis Canonicis. Quod ut verius credatur, diligentiusque observetur, hanc paginam manu propria corroborantes sigillari praecepimus.

Signum Domni Ottonis  *Caesaris invicti.*

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi recognovit.

Data Kalendis Januarii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXCVIIII. Indictione XIII. Anno tertii Ottonis Regni XVI. Imperii IIII.

Actum Veronae feliciter. Amen.

Sigillum plumbeum pendens, in cujus anticâ Caput Imperatoris laureatum visitur, & in epigraphe legitur OTTO ..... AVGVST .... In postica verò caput velut Mulieris cum scuto & lancea, & .... OVATIO IMPER. ROMANO ....

Neque plura addo, in re videlicet jam nulli dubitationi obnoxiâ. Occurrunt etiam in veterum Italicorum monumentis *Corticellae*, hoc est minores Curtes: quo nomine non praedium tantummodo, sive *un Podere*, ut nunc dicimus, significatum reor, sed aliquam praediorum unionem, quae multas aleret rusticorum familias, & portio alicujus Curtis majoris foret. In Mutinensi agro sub Oppido Spinalamberti (nunc *Spilamberto*) recensetur adhuc Villa quaedam *Corticella* vulgariter appellata, cui suus est Parochus, suusque Populus a finitimis Villis distinctus. Supersunt & aliae Villae in Parmensi, Bononiensi, aliisque Comitatibus, quae idem *Corticellae* nomen retinent. Atque haec lucem praebebunt Diplomati Lotharii II. Regis Italiae, quod ex Archivo praelaudati Capituli Canonicorum Parmensium descriptum exhibeo, de cujus Indictione infra erit mentio.

Donatio Curticellarum aliquot, in agro Parmensi sitarum, facta cuidam Luidono a Lothario Rege Italiae, Anno 947.

In nomine Domini Dei aeterni. Lotharius *divina providente clementia* Rex. *Omnium sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque praesentium scilicet* .... Domnus Deodatus *venerabilis* Praesul, *nosterque per omnia dilectus fidelis, nostram supplex Regalem adiit celsitudinem, qua* .... Curticellam suam

ſuam in loco & fundo Burano, jure Comitatus Parmenſis, cum aliquantis aliis Curticellis, *unam videlicet in Provinciano, & aliam in Viniale, & terciam in Montiglo Majore; verùm etiam de terra laborata peciam unam in loco Miliario ipſius Comitatus jure, quae eſt per menſuram jugis una de perticas jugiales quatuor .... continuam fidelitatem omnimodis conſiderantes, noſtrae pietatis aures ipſius accommodavimus precibus, & per hujus noſtri praecepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus praefato Liudono fideli noſtro eandem praetaxatam* Curticellam cum jam dictis Corticellis, *unaque cum praedicto Campo, atque cum omnibus pertinentiis ſive adjacentiis ipſius Curticellae ...... finibus, terminationibus & acceſſionibus ſuis, omnia in integrum concedimus, donamus atque largimur, ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat, habeatque poteſtatem donandi, vendendi, commutandi, alienandi, & quicquid ejus decreverit animus faciendi ipſe, ſuique heredes, omni mea, meorumque Succeſſorum, ſive omnium hominum contradictione funditus remota. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, hujus noſtrae donacionis Praeceptum infringere tentaverit, cognoſcat ſe compoſiturum auri Libras centum, medietatem Kamerae noſtrae, & medietatem praefato Liudoni, ejuſque heredibus. Quod ut verius credatur, diligenciuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, anuli noſtri impreſſione ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni [monogram] *Lotharii piiſſimi Regis.*

Locus ✠ Sigilli deperditi.

Oldericus Kancellarius ad vicem Bruningi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data quartodecimo Kalendarum Februariarum, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXLVII. Anno verò Lotharii Regis XVII. Indictione VI.

Actum Papiae feliciter.

Redeo ad *Curtes* ſive *Cortes*, quae inter Allodia, ut alibi dixi, olim numerabantur, atque ex iis innumerabiles a ſacris locis poſſidebantur ex donatione Regum, ac largitione reliquorum Fidelium. Et quoniam Lotharii Regis facta eſt mentio, praeterire nolo donum trium ex hiſce Cortibus ab eo factum nuper memoratis Canonicis Parmenſibus, producendo ejuſdem Praeceptum, ex eorum Tabulario deſcriptum.

Lotharius Italiae Rex Epiſcopo & Canonicis Parmenſibus donat tres Curtes, ſcilicet Nironi, Guilzacarae, & Runcariae, Anno 948.

I*N nomine Domini Dei aeterni.* Lotharius *divina miſericordia* Rex. *Cum nihil boni operis apud omnipotentem Dominum pereat, decet noſtram*

regalem clementiam omni tempore agere ea, quae digna sunt tanto remuneratore. Quod si ex nostris propriis facultatibus, & transitoriis rebus Subsidium omnipotentis Dei Ecclesiis & suis servis necessaria impendimus, sempiterna, ac sine fine mansura premia ab eo veraciter suscipere non dubitamus. Idcirco noverit omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae futurorum solercia, qualiter Adeodatus *sanctae* Parmensis Ecclesiae *venerabilis Episcopus, dilectus fidelis noster, nostram per* Attonem Vercellensis Ecclesiae Episcopum, *nostrumque fidelem, deprecatus est clementiam, ut pauperculae Parmensi suae Ecclesiae pro amore Dei, animaeque nostrae, parentumque nostrorum mercede subvenire dignaremur. Cujus petitionibus pietatis nostrae aures misericorditer accommodantes, & ejus erga nostrum obsequium curiosissimam fidelitatem adtendentes, concedimus atque donamus praedictae suae Ecclesiae & Canonicis & servis Dei, ibidem cotidie ministrantibus,* Cortes nostras tres, *idest* Nironi, *quae in Parmensi Comitatu sita est juxta Alpes, ubi decurrit fluvius Incia, &* Guilzacara *in finibus Mutinensibus, est sub strata Regia non longe a fluvio Scultenna, & illa de Monti, quae dicitur* Runcaria *supra jam dictum fluvium Inciam, quam etiam* Domina & Mater nostra Alda *ex proprio comparavit pretio, & postea moriens, testamentum fecit de ea, & nos precata est, ut pro ejus anima praedictis servis Dei pro ea in sempiternum orantibus concederemus, quod Deo annuente devotissime adimplevi, & cum istas alias jam dictas duas praedicto Adeodato Episcopo Ecclesiaeque suae, ac Domini servis, ibique pro animarum nostrorum parentum orantibus concessimus & donamus cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, servis & ancillis, aldionibus & aldianis jure perpetuo, & de nostro jure in praedictae Ecclesiae, vel supramemoratorum servorum Dei jus & dominium transfundimus, ut habeant, teneant, possideant, ac fruantur perhenniter tam ipse Adeodatus Episcopus fidelis noster, quamque & Successores ejus ad partem supranominatae Ecclesiae, servorumque Dei ibidem ministrantium jure perpetuo in aeternum, omni nostra, nostrorumque heredum ac proheredum & posterorum repetitione remota atque extincta. Si quis verò, quod minime credimus, nostris vel futuris temporibus contra hoc nostrae confirmationis praeceptum contraire, tollere, aut causari temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Kamerae nostrae & medietatem supradicto Adeodato & successoribus ejus ad partem jam dictae Ecclesiae, ejusque ministrantium quibus violentia illata fuerit. Et ut hoc firmius habeatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria firmavimus, & anuli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domni Lotharii  *piissimi Regis.*

Odelricus Cancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovi. Data Octavo decimo Kalendas Julii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXLVIII. Regni autem Domni Lotharii piissimi Regis XVIII. Indictione VII.

Actum Parmae feliciter.

Adeo-

Adeodatum Parmensem Episcopum vix agnovit Ughellius. En illustre ipsius monumentum, in quo etiam commemoratum videas *Attonem Vercellensem Episcopum*, virum inter Scriptores Ecclesiasticos celebrem. *Curtis Guilzacara* nihil aliud est, quàm *Castrum Sancti Caesarii*, adhuc *in finibus Mutinensibus*, idest in Comitatu Mutinensi, situm. In apographo Diplomatis hujus ad me misso legitur *Indictio VII.* conjuncta cum *die XIV. Junii Anni DCCCCXLVIII.* Ita in altero nuper edito *Indictio VI.* procedit cum die *XIX. Januarii Anni DCCCCXLVII.* quum tamen *Indictio V.* procederet Anno DCCCCXLVII. & *Indictio VI.* Anno DCCCCXLVIII. Quandoquidem nulla mihi ratio succurrit sustinendi hujusmodi Indictiones, Librarii potius culpae tribuo earum vitia, illasque emendandas puto, nisi ex diversâ exordiendi Anni ratione subsidium petamus. Hujusmodi autem Cortibus, earumque Castellis abundarunt olim, ut dixi sacrarum quoque Virginum Monasteria. Quot ex iis essent Coenobio Sanctimonialium Placentinarum Sancti Sixti, & Brixiano Sanctae Juliae, & Ticinensi Sancti Felicis, aliisque ejusmodi sacris Asceteriis, monumenta in hoc ipso Opere a me evulgata sat produnt. Nunc unum tantummodo exemplum proferam, quo palam fiet, *Curtem Sermetam*, nunc *Sermido*, Oppidum agri Mantuani, inter alia spectasse ad nuper laudatum Coenobium Sanctae Juliae. Chartam vidi in Tabulario Monachorum Benedictinorum Regiensium Sancti Petri, exaratam eo ipso Anno, quo *Bonifacius Marchio*, celebris Comitissae Mathildis pater, violentâ morte periit.

Charta concordiae inter Bonifacium Marchionem, sive Ducem Tusciae, & Ottam Abbatissam Sancti Salvatoris, sive Sanctae Juliae Brixianae pro Curte Miliarina & Sermeta, Anno 1052.

A*Nno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Quinquagesimo Secundo.* Enricus *gratia Dei* Imperator Augustus, *Anno Imperii ejus Sesto, IV. Kalendas Aprilis, Indictione Quincta Tibi* Domna Ottane Abbatipsa de Monasterio Domini Salvatoris, & Sanctae Juliae, quae dicitur Novo, & est fundatum infra Civitatem Brisia. *Ego in Dei nomine* Bonefacio Marchio, *qui professo sum ex natione mea Lege vivere Langobardorum, presens presentibus dixi: Promitto & spondeo me ego, qui supra Dominus Bonefacio, una cum meis filiis, filiabus, vel heredibus, ut amoda* * *nullanquam in tempore non abeamus licentiam nec potestatem per nullumvis ingenium, nullamque occasione, quod fieri potest, agere nec caussare adversus te, quae supra, Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, sen pars praedicto Monasterio: nominative de* Curte, que dicitur Miliarina, & Sermetha, *cum casis cunctis, aris, campis, vineis, pratis, pascuis, silvis, stalareis, ripis, rupinis, ac palutibus, molendinis, & piscationibus &c. in integrum. Dicendumque mihi, qui supra Domnus Bonefacio Marchio aliquit perteneat, nec pertenere debead, set omni tempore ego, & meis filiis, filiabus, vel heredibus exinde taciti sint, & permanere debead. Quot si amodo aliquando*

quando tempore ego, qui supra Domnus Bonefacio Marchio aut meos heredes tibi, cui supra, Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, seu pars predicto Monasterio, aut cui pars predicto Monasterio dederit, de predicta Curte, que superius, agere vel caussare, aut removere presumserimus, & tacitis exinde omni tempore non permanserimus, vel si aparuerit &c. tunc componere promitto me ego, qui supra, Domnus Bonefasio Marchio una cum meos heredes tibi, cui supra Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, seu a pars predicto Monasterio dubla querimonia, unde agerint, aut causaverint, & insuper pena argenti denariis bonis Papiensis Libra centum. Quidem & ad anc infirmandam promissionis Cartulam accepi ego, qui supra, Domnus Bonefacio Marchio ad te jam dicta Domna Otta Abbatipsa exinde Launebil Capelo uno, ut ec mea promissione omni tempore firma & stabilis permaneat, atque persistad.

Actum in Civitate Mantue in Palacio eidem Marchionis Bonefacii feliciter.

Signum manibus ✠ ✠ ✠ ✠ Tedaldi, & Ugoni de Tucingo, seu Landulfi, atque Giselberti rogatis testes.

Ego Ardingus Judex & Notarius sacri Palatii scripsi, postradita complevi & dedit.

Hanc eandem refutacionem confermavit Domna Matildis Comitissa, *suâ Curiâ plenâ in loco Carpe, presente Opizone Advocato.*

Ecclesias quoque complures sibi subjectas, easque interdum Parochiales, Monasteria Virginum possidebant. Et quot a suo jure pendentes recenseret olim *Monasterium Majus* Mediolanense, ubi adhuc sacratae Deo puellae habitant, e subsequenti Bulla intelliges, quam ex collectaneis MStis Clariss. Puricellii excerpsi.

Eugenius Papa III. Abbatissae Monasterii Majoris Mediolanensis ejusque Coenobio, omnia illius jura & bona confirmat, Anno 1148.

EUgenius Episcopus *servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus* Margaritae Abbatissae Sancti Mauritii Monasterii Majoris, *ejusque Sororibus tam praesentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuam memoriam. Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilectae in Domino filiae, vestris justis postulationibus clementer annuimus, ut praefatum Monasterium, in quo divino mancipatae estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quaecunque bona idem Monasterium in praesentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis & his, quae post vos successerint, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis:* Ecclesiam Sanctae Mariae ad Circulum; Ecclesiam Sancti Petri in Vinea; Ecclesiam Sancti Quirici; Ecclesiam Sanctae Valeriae *cum pertinentiis suis: Curtem de Aroxio* cum Ecclesia Sancti Nazarii, & Ecclesia Sancti Petri: *Curtem de Circlate: Curtem de Purletia: Castrum de Robiate, cum pertinentiis suis:*

ſuis: Poſſeſſiones, quas idem Monaſterium habet in Varedeo, in Magnicago, in Septimo, in Baradaglo, in Legniano, in Arconate, in Piſtirago, & in Fazione: Braidam de Monte Vulpe: Braidam, quae dicitur Ticinello, & alia, quae idem Monaſterium poſſidet in Gardeſana, in Valle de Bubleidira, & in Ulmeto, & in Valle Sarriana, cum ſuis honoribus, & aliis omnibus ſupradictorum pertinentiis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur earum, pro quarum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ Sedis Apoſtolicae auctoritate, & Mediolanenſis Archiepiſcopi canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum &c.



Ego Eugenius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi.



✠ Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Praxedis ſubſcripſi.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Johannis & Pauli ſubſcripſi.

Ego Aribertus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Anaſtaſiae ſubſcripſi.

Ego Jordanus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Suſannae ſubſcripſi.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ſubſcripſi.

Ego Johannes Papirio Diaconus Cardinalis Sancti Adriani ſubſcripſi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli ſubſcripſi.

Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Porticu ſubſcripſi.

Ego Jacintus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Coſmedin ſubſcripſi.

Datum Brixiae per manum Guidonis Diaconi Cardinalis & Cancellarii, IV. Kalendas Auguſti, Indictione XI. Incarnationis Dominicae Anno Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Octavo, Pontificatus verò Domni Eugenii Papae Tertii Anno Tertio.

Et

Et quoniam facta heic mentio est *Ecclesiae Sanctae Mariae ad Circulum*, quae inter Parochiales Mediolani adhuc numeratur, praeterire nolo controversiam, quae inter Abbatissam ejusdem Monasterii Majoris, & Vicinos ipsius Ecclesiae, agitata, eo ipso Mense Julio Anni MCXLVIII. quo A data est Eugenii Papae Bulla, diremta est per Galdinum Cancellarium Oberti Mediolanensis Archiepiscopi, eum nempe, qui Sedem postea Mediolanensem tenuit, & Sanctorum catalogo adscriptus fuit. Ex eisdem Collectaneis MStis Puricellianis Chartam hanc depromsi.

Sententia Oberti Mediolanensis Archiepiscopi in controversia de electione Parochi Ecclesiae Sanctae Mariae ad Circulum, agitatâ inter Abbatissam Monasterii Majoris & Parochianos ipsius Ecclesiae, Anno 1148.

OBertus *Dei gratiâ sanctae* Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus *dilectae in Christo filiae* Margaritae Monasterii Majoris Abbatissae, *ejusque Sororibus salutem. Scriptum est:* Si verè utique justitiam loquimini, recte judicate, filii hominum. *Et Alibi:* Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. *His itaque auctoritatibus communiti, discordiae inter Abbatissam Majoris Monasterii*, Vicinosque Ecclesiae beatae Mariae, quae dicitur ad Circulum, *diutius agitatae, debitum studuimus imponere finem. Controversia autem haec erat: Praenominati siquidem Vicini, quod de jure sibi competeret Sacerdotem vel Clericum, qui illi Ecclesiae beatae Mariae deserviret, petere, vel eligere, & ipsam electionem solummodo Domno Archiepiscopo, & nullatenus Abbatissae repraesentare, ut ab eo confirmaretur, asserere nitebantur. Adversa autem pars eorum refellens intentionem, praenominatam beatae Mariae Ecclesiam ad jus & dominium jam dictae Abbatissae, ejusque Sororum spectare, ita quod inibi Sacerdotes vel Clericos inconsultis Vicinis libere, & sine eorum contradictione ponere possit & debeat, pluribus inductis* B *rationibus allegabat. Nos itaque hanc litem dirimere, & cuique jus suum servare volentes, utrique parti terminum praefiximus; ad quem praedicti Vicini ante nos venientes, & adversam partem nullatenus rationabiliter improbantes, a tramite veritatis deviantes, in suis defecerunt petitionibus. Quibus propterea uti ad plenum, si quam in* C *hac causa justitiam haberent, dignosceremus, eisdem alias quasi ex abundantia dedimus inducias. Ipsi verò tamquam Dei justitiâ diffidentes, nostrum subterfugiendo judicium, per contumaciam se absentaverunt. Abbatissa autem tamquam innocens, & ut absolveretur, ad judicium properans ad nos venit, parata nostrae obedire sententiae. Com-* D *municato itaque cum Fratribus nostris consilio, cum scriptum sit, quod* absentes per contumaciam, ut nihil de sua lucrentur contumacia, tamquam praesentes judicentur; Galdino Cancellario nostro, *uti hanc promulgaret sententiam, injunximus. Qui nostro parens mandato, inquit. Si Abbatissa Majoris Monasterii per Advocatum suum* E *juramento praestito affirmaverit, quod Ecclesia beatae Mariae, quae dicitur ad Circulum, sua sit, ita quod in ipsa Ecclesia Sacerdotes vel Clericos, qui in Eccle-*

Ecclesia illa divina celebrent officia sine consilio praefatorum Vicinorum vel consensu, ponere, collocare possit & debeat, amodo Ecclesia illa in dominio & potestate illius Abbatissae & aliarum, quae pro tempore fuerint in Monasterio illo, perpetuo jure permaneat, eamdemque sicuti Ecclesiam suam de cetero disponat & ordinet. Ibique saepe dictae Abbatissae Advocatus, Obizo nomine, sicut in sententia fuerat promulgatum, juramento firmavit. Insuper etiam Guilielmus Cacainarca, & Ambrosius Greppus, Scutolinus Butraffus, de suprascripta Ecclesia in nostra manu per se & per alios Vicinos, finem fecerunt, & nos eam vice saepe nominatae Abbatissae suscepimus.

Actum est hoc, Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo Octavo, Mense Julii, Indictione Undecima.

Ego Obertus Archiepiscopus *subscripsi.*

Ego Tedaldus Archipresbyter subscripsi.

Ego Anselmus indignus Diaconus interfui & subscripsi.

Ego Wilielmus Diaconus subscripsi.

Ego Jordanus Diaconus subscripsi.


Locus Sigilli ✠ Archiepiscopalis.

Praecipue verò post Annum a Christo nato Millesimum consuevere Sanctimoniales non minori solicitudine, quàm Monachi, comparare sibi patrocinium, summe semper venerandum, Apostolicae Sedis: quod Pontifices numquam denegabant, intacto tamen jure aut Episcoporum, aut Abbatum, quibus Asceteria illa suberant. Proinde ingens copia ejusmodi Bullarum in sacrarum puellarum Archivis antiquis occurrit: aliis enim nunc moribus vivimus. Quod autem in ejusmodi Bullis sive Privilegiis animadvertas velim, hac saepe formulâ Pontifices utuntur: *Praeterea liceat vobis Viros & Mulieres liberas & absolutas, quae sui compotes se Monasterio vestro reddere voluerint, ad Conversionem recipere, & in Monasterio vestro sine contradictione qualibet retinere.* Exemplum accipe a nobili Monasterio Lucensi Sanctae Justinae, ubi autographum a me visum adservatur.


Bulla Alexandri III. Papae pro Asceterio Sanctimonialium Lucensium Sanctae Justinae, ejusque Abbatissa Caecilia, Anno 1175.

ALexander Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus* Cecilie Abbatiffe Sancte Justine Lucane, *atque Sororibus tam presentibus quàm futuris, Monasticam vitam professis in perpetuum. Prudentibus Virginibus, quae sub habitu Religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se preparant ire ob viam sponso, Sedes Apostolica debet presidium impertiri. Eapropter, dilecte in Domino filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, &* prefatum Monasterium, *in quo divino estis obsequio mancipatae,* sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, *& presentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones &c. in quibus hec propriis duximus*

ximus exprimenda vocabulis. Possessiones verò & bona, que idem Monasterium infra Civitatem Lucanam vel extra habet, videlicet libellaria & tenimenta in loco Flexo & in ejus finibus, in Vico Solari & in ejus finibus, & in Marlia & ejus finibus, in Lammari, in Tassignano, in Capannore, in Paganico, in Antraccole, & eorum finibus, in Vico Moriano, in Arepentina, in Plebe de Turre, & in ejus finibus, in Plebe Monasterii Sigeradi, in Plebe Sancti Stephani & in ejus finibus, in Plebe Sancti Macharii & in ejus finibus, in loco Caprili & in ejus finibus, in loco Avane & in ejus finibus, quas Avanenses ab ipsa Ecclesia detinuerunt & detinent, in Plebe de Computo & in ejus finibus, in Calcinaria, in Valivo, in Gallicano, in Alverni, in Ponte Colphi, in Filicaja, in Saxorosso, in Castro Falsi. Preterea liceat vobis, Viros & Mulieres liberas & absolutas, que sui compotes se Monasterio vestro reddere voluerint, ad Conversionem recipere, & in Monasterio vestro sine contradictione qualibet retinere. *Statuimus etiam, ut nulla persona vos vel Monasterium vestrum sine manifesta & rationabili causa, Interdicti audeat sententiam promulgare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbatissa, vel tuarum quarumlibet succedentium, nulla ibi qualibet subreptionis astutiâ vel violentiâ praeponatur, nisi quam Sorores communi consensu, vel Sororum pars sanioris consilii secundùm Dei timorem & beati Benedicti Regulam previderint eligendam. Cum autem commune Interdictum Terre fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis & excommunicatis, suppressâ voce divina Officia celebrare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c.*



Ego Alexander Catholice Ecclesie Episcopus subcripsi.



Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Bernardus Portuensis & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.
Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Pauli & Pammachii subscripsi.
Ego &c.

Datum Anagnie per manum Gratiani sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii, XVIIII. Kalendas Februarii, Indictione VIIII. Incarnationis Dominice Anno MCLXXV. Pontificatus verò Donni Alexandri Papae Tertii Anno XVII.

Sepae

Saepe verò Lector in hoc ipso Opere animadverterit Romanorum Pontificum Bullas, quibus Monachorum Coenobia suo patrocinio fovebant. Ibi etiam haec formula occurrit: *Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos, liberos & absolutos, e Saeculo fugientes, ad Conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.*

A

Et ne Lectori opus sit alibi expiscari, quod nunc commemoro, exemplum moris hujus proferam ex Archivo Monasterii Benedictinorum Sancti Bartholomaei, siti in agro Astensi ad Tanarum fluvium duobus ab Urbe passuum millibus, de quo nulla mentio in Annalibus Benedictinis Mabillonii.

Innocentii IV. Papae Bulla pro Monasterio Sancti Bartholomaei de Azano Astensis Dioecesis, Anno 1247.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis filiis* Abbati Sancti Bartholomei, de Azano, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum convenit adesse presidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacre Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, &* Monasterium Sancti Bartholomei de Azano Astensis Dioecesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, *& presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecomque bona idem Monasterium impresentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus haec*

B

propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Stephani de Bosco, Sancti Petri de Vico, Sancti Georgii de Caasano, Sancti Genesii de Monteacuto, & Sancti Michaëlis de Sancto Stephano Ecclesias, cum Parochiis, decimis, & pertinentiis earumdem; Sancti Angeli, & Sancti Petri de Maxo, Sancti Martini de Cortacomario, & Sancti Severii de Varixio

C

Ecclesias, cum Parochiis, decimis, & pertinentiis earumdem; Sancti Nazarii de Viano, Sancti Meliani de Rocheta, Sancti Michaëlis de Azano, & Sancti Petri de Monte Ecclesias, cum Parochiis, decimis, & perticentiis earumdem. Villam de Azano cum pertinentiis suis. Possessiones, quas habetis in Villis de Quatuordecim, de Nono, de Montegrosso, Montealto, Scrizolengo: & de Castagnolejis, cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagris, & pascuis in bosco & in plano, in aquis & molandinis, in viis & semitis, &

D


omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percipit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere,

E


xigere, vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis, Clericos vel Laycos, liberos & absolutos, e seculo fugientes ad Conversionem, recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. *Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem fassit sine Abbatis sui licentiâ, nisi arctioris Religionis optentu, de eodem loco dixedere. Discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.*

Cum autem Generale Interdictum Terre fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis Interdicto, suppressâ voce divina officia celebrare. Crisma verò, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosancte Romane Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parrochie vestre nullus sine assensu diocesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat: salvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hec novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, seu Archidiaconis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, Secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, & eorum devotioni, & extreme volunptati, qui se illic sepelliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, aut eciam publice usurarii, nullus obsistat: salvâ tamen justiciâ illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea, & possessiones, ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, que a Laycis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de vestra auctoritate facultas. Obeunte verò te, nunc quidem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutiâ seu violentiâ preponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris secundùm Deum & beati Benedicti Regulam, providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestrae paternâ in posterum solicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu Grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolice auctoritate, & diocesanorum Episcoporum canonicâ justitiâ, & in predictis Decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona ac nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo,

do, tertiove commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extre- A *mo examine districte subjaceat ultioni. Contis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus & hìc fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen: Amen: Amen.*



Ego Innocentius Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi.*



Ego Petrus titulo Sancti Marcelli Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Frater Johanes titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Frater Hugo titulo Sancte Sabine Presbyter Cardinalis.

Ego Oto Portuensis, & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.

Ego Johannes Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Willelmus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Lugduni, per manum Magistri Marini sancte Romane Ecclesie Vicecanzellarii, Sexto Kalendas Augusti, Indictione V. Incarnationis Dominice Anno MCCXLVII. Pontificatus verò Domini Innocentii Pape IV. Anno Quinto.

Antiquis temporibus *Conversionis* nomen significabat, Monasticae se tradere vitae, & ejurato Seculo, sacroque habitu assumto, ibi Deo mi- B litare. Quod Monachis liceret *Laicos vel Clericos viros*, non Servos *e Saeculo fugientes ad Conversionem recipere*, quàm aequitati & Religioni conso-

num sit, nemo non intelligit. At quei licebat Sanctimonialibus quoque non *Mulieres* tantum, sed & *Viros*, *qui se Monasterio vestro reddere voluerint*, *ad Conversionem recipere*, *in Monasterio retinere?* Horret hoc animus. At noveris, olim sacrarum etiam Virginum Collegia quibusdam Laicis viris usa fuisse ad famulitium suum, & ad Monasterii negotia. Pariter & isti Monasticum habitum deferebant, & *Conversi* appellabantur, eratque eorum domicilium extra Monasterii claustra, ita ut inservirent Sanctimonialibus eâdem cautelâ, qua nunc tot Seculares famuli extra Monasterium habitantes ad subsidium Monialium adhibentur. Haec ejus formulae interpretatio. Quare progrediamur. Denique Ritus in sacrandis mulieribus non olim minus quàm nunc, solemnes fuere. Et triplex quidem earum genus agnovere veteres. Primum fuit Virginum Monasterio alicui addictarum; alterum Virginum domi suae castitatem Deo obligatam custodientium; tertium Viduarum; quibus quartum addere potes, nempe *Diaconas*, seu *Diaconissas*, quarum nomen praesertim apud Graecos celebre fuit, & adhuc specimen Mediolani perdurare videtur in *Vegloniffis* Metropolitano Templo famulantibus. Atto Vercellensis Episcopus Saeculo Christi Nono in Epistol. 8. apud Dacherium *illas*, ait, *Diaconas putaremus*, *quae aetate senili devictae*, *religiosam vitam cum castitate servantes*, *oblationes Sacerdotibus offerendas fideliter praeparant*, *ad Ecclesiarum limina excubant*, *pavimenta detergunt*. Certe Viduas Deo sacratas a Diaconissis distinctas non semel reperi. Diaconissae vero eligebantur non ex Viduis tantùm, sed & ex Virginibus. Ad unam ex hisce Diaconissis pertinet Inscriptio Ticinensi in Urbe descripta a Cl. V. & doctissimo amico meo D. Gaspare Beretto Monacho Benedictino.

✠ ✠ ✠

HIC IN PACE REQVIESCIT B. M.
THEODORA DIACONISSA QVÆ
VIXIT IN SECVLO ANNOS PL. M.
XLVIII. D. XI. KAL. AVG. V. P. C.
PAVLINI JVN. V. C. IND. II.

Annus Quinctus *Post Consulatum Paulini Junioris* indicat Annum Christi DXXXIX. quem etiam designatum videas ab *Indictione II.* decurrente eodem Anno. Vetustissimus autem Ritualis Liber adservatur in Casanatensi Bibliotheca, illâ videlicet, quae ad Coenobium Romanum PP. Praedicatorum Sanctae Mariae ad Minervam translata, copiâ Librorum typis editorum reliquis non tantùm Urbis sed & Italiae praestat. Ibi Ritus recensentur observandi in Benedictione ejusmodi mulierum, item in Ordinatione Abbatissae. Hos omnes in Eruditorum commodum apponere statui, iis adjungendos quos jam Clarissimus P. Martene publici juris fecit.

„ Consecratio Sacrae Virginis, quae
„ in Epiphania, vel in festis Pa-
„ schalibus, aut in Apostolorum
„ Natalitiis celebratur,

VIrginem Episcopo Parentes cum oblatione offerant: & ille involutam manum ejus in pallio Altaris recipiat, dicendo cum adstantibus: Ipsi sum desponsata.

Ex

Ex Canone Chartaginensi, Cap. XI. Sanctimonialis Virgo quum ad Consecrationem sui Episcopi offertur, talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniae aptis.

Horâ siquidem conpetenti procedat Episcopus sicut mos est solemnibus diebus ad Missam, cum processoribus suis, & imponatur.... ad inter......: & agatur officium Missae ordine suo usque ad Euangelium. Tunc veniet illa, quae consecranda est, ante Altare coram Ecclesia, palamque in conventu cum adstipulatore suo, cujus licentiâ Religionis habitum est susceptura. Et dito ei assensu, offerantur vestimenta Religionis, & velamina ante Altare Episcopo ad benedicendum in conspectu omnium; & benedicat eam publice in hunc modum:

Benedictio velaminum vel vestimentorum: Deus aeternorum bonorum &c. *ut in Pontificali.* Domine Deus &c. *ut in Pontificali.* Exaudi Domine preces nostras, & hanc Vestem quam famula tua N. pro conservandae castitatis signo se ad operiendam exposcit, ubertim &c. ut supradictae famulae tuae N. haec sit vestis salubris protectio &c. defensio, ut si continens est, sexagesimi fructus dona accipiat. & si virgo, centesimi muneris opulentiâ, in utraque parte perseverante continentiâ ditetur, per &c. *ut in Pontificali.*

Item singularis benedictio sacri Velaminis: Caput omnium fidelium Deus &c. *ut in Pontificali.*

Hoc facto ipsa Virgo, Veste laicali de capite reverenter abjectâ, recipiat ab Episcopo sacrae Religionis indumenta, excepto Velo: & ingressa secretarium, vestiatur: postea sub aspectu Episcopi & Ecclesiae suppliciter prosternat se ante Altare, dicens hunc versum tribus vicibus: Suscipe me Domine &c. *Et imponat Schola lectionem.*

A *Finitâ verò lectione, postquam surrexerit, inclinato capite ante altare, benedicat eam Episcopus his verbis:* Dominus vobiscum. *Respondeatur:* Et cum spiritu tuo. Oremus: Respice, Domine, propitius super hanc famulam tuam N. ut virginitatis suae propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat per &c.

B *Deinde dicat excelsâ voce:* Per omnia saecula saeculorum. *Respondeatur* Amen. *Sequitur Consecratio in modum Praefatii:* Deus castorum corporum benignus habitator, & incorruptarum amator animarum &c. *ut in Pontificali usque ad illa verba* castitate permaneat.

C *Benedictio explicit: & ad interrogationem Episcopi de observatione sacri Velaminis illa coram, professa Episcopi mittat Velamen super caput ipsius Virginis, dicens:* Accipe Velamen sacrum, Puella, quod perferas sine macula ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi, cui flectitur omne genu caelestium, terrestrium, & infernorum, in secula seculorum. *Respondetur.* Amen.

D *Tunc ipsa velata incipit antiphonam:* Induit me Dominus ciclade, *antiphonam ceteris Sanctimonialibus, quae circumstant, prosequentibus. Et si plures fuerint velatae, per singulas incipiatur eadem antiphona, ut supra. Oratio post assumtum Velum.* Famulam tuam, Domine, tuae custodia muniat pietatis, ut continentiae

E sanctae propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illaesum custodiat, per &c. *Sequitur antiphona:* Ipsi......... Da, quaesumus, omnipotens Deus, ut haec famula tua, quae pro spe retributionis aeternae tibi Domino desiderat consecrari, plenâ fide animoque in sancto proposito permaneat. Tu eam, omnipotens Pater, sanctificare & benedicere,

re, & in perpetuum conservare digneris. Tribue ei humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei, Domine, pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem, ut ad meritum possit gloriae pervenire. *Tunc cantatâ antiphonâ:* Posuit signum in faciem meam, *dicit Episcopus bene..... Matthaei Apostoli super eam.* Deus plasmator &c. Omnem etiam genuinum calorem &c. *ut in Pontificali.*

Ad Annulum. Accipe Annulum Fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut Sponsa Dei voceris, si ei fideliter servieris.

Ad Torquem: Accipe signum Christi in capite, ut uxor ejus efficiaris, & si in eo permanseris, in perpetuum coroneris. *Interius dicatur antiphona:* Annulo suo subarrhavit &c.

Sequitur Benedictio: Benedicat te Conditor caeli & terrae Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad Sanctae Matris Domini nostri Jesu Christi consortium, ut integram & immaculatam Virginitatem, quam professa es coram Domino & Angelis ejus conserves, propositum teneas, castitatem diligas, patientiam serves, & coronam Virginitatis accipere merearis, per &c. *Deinde publica voce bannum Episcopalem imponat, ne quis eam a divino servitio sub vexillo castitatis impediat, & ut bona sua cum pace & quiete possideat. Tunc imponatur Evangelium, ut illa velato capite ad manus Episcopi offerat, & Missa ordine suo........... communicet. Post quam communicet & reservet de ipsa communione, unde usque in diem octabum communicet. Et si est, qui ei testimonium perhibuit, mittat eam Episcopus in manus suas, dicens:* Vide, quomodo istam Deo sacratam repraesentes immaculatam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi.

Item Missa in...... Virginis: Tibi dixit cor meum &c. *Psalmus:* Dominus illuminatio &c. Da, quaesumus, Domine, ancillae tuae, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum, & ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem, per &c. *Psalmus:* Miserere mei &c. *Versiculus:* Misit de caelo &c. *Alius Versiculus:* Lauda, anima mea, Dominum &c. Oblatis hostiis, Domine, quaesumus, praesenti famulae perseverantiam perpetuae virginitatis accommoda, ut apertis januis summi Regis thalamum cum laetitia mereatur introire, per &c. *Offertorium:* Sperent in te omnes &c. Hanc igitur oblationem famulae tuae, quam tibi offert ob diem natalis sui, in quo eam tibi socians sacro Velamine protegere dignatus es, quaesumus, Domine, propitiatus intende, ut tibi Domino ac sponso suo venienti cum lampade inextinguibili placitura occurrere mereatur. Domine Deus aeterne, qui utrumque sexum de interitu perpetuae mortis, per Jesum Christum filium tuum, de Maria Virgine natum, misericorditer redemisti, hanc famulam tuam, devotâ mente tibi servientem, omni benedictione speciali benedicere dignare. *Respondetur:* Amen. Ut integram fidem habeat, & in praeceptis Legis tuae semper perseveret, terrena & transitoria despiciat, aeterna & invisibilia intentâ meditatione diligat. *Respondetur:* Amen. Ut in numero sacrarum Virginum permanens, caelesti sponso cum lampadibus bonorum operum fiducialiter occurrere, ipso te praestante, mereatur. *Respondetur:* Amen. Respice, Domine, famulae tuae,

tuae, tibi debitam servitutis &c. Notas sibi fecit virtutes, ut jam humanae fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, quae de tua protectione confidit, per &c.

„ Ordinatio Abbatissae, Canonicam „ Regulam profitentis.

*IN ordinatione Abbatissae Episcopus debet Missam * canere, & eam benedicere hoc modo. Post antiphonam ad Introitum, & datâ Oratione, & reliquo officio Missae usque ad Euangelium, prosternat se Electa ante Altare cum duabus, vel tribus de Sororibus suis; fiantque ibi Letaniae. Quibus finitis, benedicat eam Episcopus inclinato capite, dicens:* Dominus vobiscum. *Respondeatur:* Et cum spiritu tuo. *Sequitur Oratio.* Oremus. Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam spiritum tuae benedictionis emitte, ut caelesti munere ditata, & tuae gratiâ majestatis possit acquirere, & bene vivendi aliis exemplum praebere, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum &c. Omnipotentiam tuam, Deus, humiliter imploramus, ut super hanc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem assumere dignatus es, benedictionis tuae donum dignanter infundas, eique gratiam consecrationis attribuas, ut quod te donante percipit, te protegente in laesum custodiat, per &c. *Tunc dicat in altum:* Per omnia secula seculorum. *Respondeatur:* Amen. Dominus vobiscum. *Respondeatur:* Et cum spiritu tuo. *Et prosequatur istam Orationem in modum Praefatii:* Domine Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, adesto precibus, adesto votis, adesto famulationibus, adesto consecrationibus; qui omnia per verbum virtutis tuae mirabiliter dispensas, & dispensanda ministras; qui diversis floribus tuam semper exornas Ecclesiam, dum eam & Virorum exemplis, & illustrium Feminarum irradias institutis; qui etiam de infirmiori sexu hanc famulam tuam servitutis tuae applicare dignatus es famulatui: effunde, quaesumus, Domine, super hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus Sancti, ut tibi omnium temporum servitus dignanter complaceat; eamque dextrâ potentiae tuae benedicere & sanctificare, sive consecrare digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditae fideliter exsequatur, & ejusdem Sancti Spiritus septiformis gratiae virtute corroboretur. Requiescat ergo super eam, precamur, Domine, spiritus sapientiae & pietatis: ac repleas eam spiritu timoris tui. Concede ei quoque gravitatem actuum, censuramque vivendi, ut in Lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena, & transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravae voluntatis superet; amorem honestae castitatis teneat, ut tibi sponso venienti cum lampadibus suis inextinguibilibus possit occurrere, & praecedentium Virginum choro jungi; & nec cum stultis excludatur, sed regalem januam cum sapientibus Virginibus licenter introëat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, & specialis observantia disciplinae. In moribus ejus praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo cunctis sibi subditis imitationem praebeat pura,

ra, & bonum conſcientiae teſtimonium oſtendens, in Chriſto Jheſu firma & ſtabilis preſeveret, atque ita perceptum miniſterium te auxiliante peragat, qualiter ad aeternam remunerationem te donante pervenire mereatur, per eumdem &c.

Tunc det ei Regulam, dicens: Accipe Regulam ſanctae converſationis, ſimulque gratiam divinae benedictionis, & ut per hanc cum grege tibi credito in diſtricti Judicii die Domino incontaminata repraeſentari valeas, ipſe te adjuvare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto &c. *Sequitur Oratio:* Domine Deus omnipotens &c. quae hodie materna in cathedra ſuper univerſas ſubditas ſibi Abbatiſſa conſtituitur, ut in canonica norma tueatur &c. *ut in Pontificali.* Famulam tuam, quaeſumus, Domine, tua ſemper gratia benedicat, & inculpabilem ad vitam perducat aeternam, per &c. *Quod ſi ordinatio in Domo ſua facta fuerit, imponatur* Te Deum laudamus; *Populo acclamante:* Kyrie eleiſon. *Poſtea dicatur haec Oratio pro adepta dignitate:* Omnium, Domine, fons bonorum &c. *ut in Pontificali. Item ſi alibi conſecrata fuerit, regreſſae ad Monaſterium omnis chorus Virginum honorifice praecedat ei obviam cum Crucibus, Aquâ benedictâ, Incenſo, & Euangelio, & in ipſo Eccleſiae introitu imponat* Te Deum laudamus, *turbâ acclamante* Kyrie eleiſon, *& Presbytero proſequente Orationem, ut ſupra:* Omnium, Domine, fons &c.

„ Conſecratio Virginum, quae a Saeculo converſae in domibus ſuis ſuſceptum caſtitatis Habitum privatim obſervare voluerint.

B*Enedictio Velaminum. Require retro in Conſecratione Virginis. Ancilla Dei Virgo quum ad Conſecrationem ſui Epiſcopi offeratur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniae aptis. Procedente igitur Epiſcopo ad officium Miſſae more ſollempni, imponatur antiphona ad Introitum, & cetera uſque ad Euangelium. Ante Euangelium verò profeſſa de Religioſi habitus obſervatione perpetuâ, proſternatur ante Altare toto corpore, obſecrans intenta Conſecrationum Largitorem. Et imponat Schola lectionem: qua finitâ, eâdemque Ancillâ Dei erectâ, & humiliter ante Altare nudo capite inclinatâ, Epiſcopus dicat hanc praefationem in ejus Conſecratione:* Oremus, fratres cariſſimi, miſericordiam Dei, ut illud donum tribuat huic puellae, quae Deo votum vovit, veſtem candidam perferre cum integritate coronae in reſurrectionem vitae aeternae, quae futura eſt nobis. *Sequitur benedictio:* Famulam tuam, Domine, tuae cuſtodia muniat pietatis, ut Virginitatis ſanctae propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente inlaeſa cuſtodiat, per &c. *Alia:* Te invocamus, Domine ſancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ſuper hanc famulam tuam, quae tibi vovit ſervire purâ mente, mundoque corpore, ut eam ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum, qui Virgines permanſerunt; & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus inventus non eſt. Et ita hanc famulam tuam facias permanere immaculatam uſque in finem, per immaculatum Jheſum Chriſtum Dominum noſtrum, cum quo vivis, & regnas &c. *Benedictione expletâ mittat Epiſcopus Velamen ſuper caput ipſius Virginis, dicens:* Accipe Velum ſacrum, Puella, quod perferas ſine macula

macula ante Tribunal Domini nostri Jhesu Christi, cui flectitur omne genu caelestium, terrestrium, & infernorum in secula seculorum. *Respondeatur:* Amen. *Sequitur Oratio:* Preces Famulae tuae N. quaesumus, Domine, benignus exaudi, ut sumtam castitatis gratiam te auxiliante custodiat, per &c. *Ad consecrationem:* Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super hanc famulam tuam N. & quae castigationibus assiduis postulat, tuâ consolatione percipiat, per &c. *Sequitur benedictio:* Benedicat te Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus in omni benedictione spirituali, ut maneas sine macula sub vestimento Sanctae Matris Domini nostri Jhesu Christi, qui vivit &c. *Ad Missam:* Preces famulae tuae, quaesumus, Domine &c. *Secunda:* Votivis, quaesumus, Domine, famulae tuae N. adesto muneribus, ut te custode servata, hereditatem benedictionis aeternae percipiat, per &c. *Infra......* Hanc igitur oblationem famulae tuae N., quam tibi offerimus ob diem Natalis tui, quo eam sacro Velamine protegere dignatus es, quaesumus, Deus, placatus accipias, pro qua majestati tuae supplices fundimus preces, ut in numerum sanctarum Virginum eam transire praecipias, quatenus tibi sponso suo venienti, cum lampade inextinguibili possit occurrere, atque intra Regna caelestia gratias tibi referat, choris sanctarum Virginum sociata, diesque &c. *Ad consecrationem:* Deus, qui habitaculum tuum &c. *ut supra. Praefata Ancilla Dei inter alias velatas ad manus Episcopi offerat, & ad Missam communicet, & post peracta mysteria, Episcopalis banni signaculo cum omnibus suis insignita regrediatur ad sua.*

„ Ad Diaconam faciendam.

E*Piscopus quum Diaconam benedicit, orarium in collo ejus ponit. Quando autem ad Ecclesiam procedit, portat illud super collum suum, sic verò ut summitas orarii ex utraque parte sub tunica sit. Item Missa ad Diaconam consecrandam:* Deus, in nomine tuo salvum &c. *Psalmus:* Quoniam alieni &c. *Oratio:* Deus, castitatis amator, & continentiae conservator, supplicationem nostram benignus exaudi, & hanc famulam tuam propitius intuere, ut quae pro timore tuo continentiae pudicitiam vovet, tuo auxilio conservet, & sexagesimum fructum continentiae, & vitam aeternam te largiente percipiat per &c. *Lectio Regum in Dominica post Pentecostem.* Fratres, nescitis quoniam &c. *Versiculus:* Amavit eam Deus, & ornavit &c. *Deinde prostrata illa ante Altare, imponatur Letania: Quâ finitâ dicat Episcopus super illam hanc Orationem:* Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam Spiritum tuae benedictionis emitte, ut caelesti munere ditata & tuae gratiam possit majestatis acquirere, & bene bivendi aliis exemplum praevere, per &c. *Sequitur consecratio in modum Praefationis:* Deus, qui Annam filiam Phanuelis vix per annos septem sortitam jugale conjugium, ita in annis octoginta quatuor in sancta & intemerata Viduitate servasti, ut noctibus ac diebus orationes jejuniaque miscentem, usque ad prophetiae gratiam sub Circumcisione Christi tui...... remunerator adduceres; quique deinde per Apostolicam institutionem sanctarum hujus ordinationis...... feminarum sexum ipsius adolescentulas & juniores instrui

ſtrui cum ſancti Chriſmatis viſitatione juſſiſti: ſuſcipere dignare, omnipotens piiſſime rerum omnium Deus, hujus famulae tuae arduum & laborioſum, nec ſatis diſcrepans a perfecta virginitate propoſitum, quia tu creaturarum omnium conditor probe noſti mundiales illecebras non poſſe vitari. Sed quum ad te venitur per ſe numquam animas ſemel vivificatas, vel terribiles paſſiones, vel deliciarum blandimenta ſollicitant, nam ſenſibus, quibus ipſe dignaris infundi, nihil eſt deſiderabilius, quàm regnum tuum, nihil terribilius, quàm judicium tuum. Da ergo, Domine, ad petitionem noſtram huic famulae tuae inter conjugatas triceſimum, cum viduis ſexageſimum fructum. Sit in ea cum miſericordia diſtrictio, cum humilitate largitas, cum libertate honeſtas, cum humanitate ſobrietas. Opus tuum die ac nocte meditetur, ut in die vocationis ſuae talis eſſe mereatur, qualem illam per ſpiritum prophetiae eſſe voluiſti. Praeſta hoc per Dñm &c. *Tunc ponat Epiſcopus orarium in collo ejus, dicens hanc antiphonam:* Stolâ jucunditatis induat te Dominus &c. *Imponat Velamen capiti ſuo palam omnibus de Altari acceptum, cum antiphona:* Ipſi ſum deſponſata &c. *Oratio:* Preces famulae tuae, quaeſumus, Domine, benignus exaudi, ut aſſumtam caſtitatis gratiam, te auxiliante, cuſtodiat, per &c. *Ad Annulum dandum:* Accipe Annulum Fidei, ſignaculum Spiritus Sancti, ut ſponſa Chriſti voceris, ſi ei fideliter ſervieris. *Ad torquem:* Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor ejus efficiaris; & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris: *proſequentibus his, qui circumſtant:* Annulo ſuo &c. *Oratio:* Famulam tuam, quaeſumus, Domine, pia devotione juvante perduc ad veniam, quatinus mereatur a cunctis mundari ſordibus delictorum, & reconciliatam tibi per Chriſtum, ſereno vultu reſpicias, & omnia ejus peccata dimittas: ſeveritatem quoque judicii tui hab ea clementer ſuſpendas, & miſerationis tuae clementiam ſuper eam benignus infundas, per &c. *Tunc imponatur Euangelium ſecundùm Matthaeum:* In illo tempore, reſpondit Johannes & dixit. Non poteſt homo accipere &c. *uſque* me autem minui. *Poſt Euangelium in ordine Velatarum in manus Epiſcopi offerat. Chorus imponat Officium. Offertorium Miſſae:* Munera, quaeſumus, Domine, famulae & ſacratae tuae, quae tibi obſecrationem ſui corporis offert, ſimul ad ejus animae medelam perficiant, per &c. Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtrae, ſed & cunctae familiae tuae, quaeſumus, Domine, quam tibi offero pro incolumitate famulae tuae, ob devotionem mentis ſuae, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias, tibi verò ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, dieſque &c. *Benedictio:* Benedic, Domine, hanc famulam tuam, pretioſo Filii tui Sanguine comparatam. *Reſpondetur:* Amen. Benedictionis tuae gratiam, quam deſiderat, conſequatur, & ſine ulla offenſione majeſtati tuae dignum exhibeat famulatum. *Reſpondetur:* Amen. Curſum vitae ſuae impleat ſine ullis maculis delictorum, & ſuperet in bonis actibus inimicum. *Reſpondetur:* Amen. Quod ipſe per &c. *Chorus dicat:* Servite Domino in timore &c. *Oratio:* Bonorum Deus operum inſtitutor, famulae tuae cor purifica, ut nihil in ea, quod punire, ſed quod coronare poſſis, invenias, per &c. *Diacona verò illa inter myſteria communicet. Et poſt Miſſam Epiſcopus*

scopus ei pastorali banno pacem confirmet, ut sua cum securitate & quiete possideat.

„ Consecratio Viduae, quae fuerit „ Castitatem professa.

VIduae post lectum Euangelium debent velari, quia decet eas per Euangelium praedicare. Vidua autem, quia soluta est a lege Viri, seipsam, si vult, Deo dare debet, & a Presbytero velari, vel etiam consecratum ab Episcopo Velamen de Altari accipere, & ipsa sibi, non Episcopus debet imponere. Presbyteris verò licet Viduas velare: solis Episcopis Virgines; & hoc ante Euangelium.

Benedictio vestimentorum Viduae, quae fuerit castitatem professa: Dominus vobiscum. *Respondetur:* Et cum spiritu tuo. *Oremus.* Visibilium & invisibilium creator, Deus, adesto propitius, ut haec indumenta sanctitatis effigiem ostendentia, desuper gratiâ tuâ irrigante, benedicere & sanctificare digneris, per &c. *Alia*: Aperi, quaesumus, Domine, oculos majestatis tuae, ad benedicendum has viduitatis vestes, ne quae in ordinatis vestibus viri sui visibus placuit, in . . . . . . indumenta benedictionis tuae servare mereatur, per &c. *Tunc induatur ipsis vestimentis, & agatur Letania, & ante Altare prostrata, post Letaniam, quum se erexerit, sequatur haec Praefatio*: Incorruptum aeternitatis Dominum, inviolabilis naturae Dominum, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, poscentes pro sorore nostra N. quae corpore ac mente perfectae continentiae & pudicitiae se servituram Domino devovit, ut petenti famulae suae, ipse, qui est Judex Viduarum, perfectam tribuat continentiam.

Benedictio propria Viduae: Consolare Domine hanc famulam tuam, viduitatis laboribus constrictam, sicut consolari dignatus es Sareptanam Viduam per Heliam Prophetam. Concede ei pudicitiae fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum. Nesciat incentiva vitiorum desideria, ut soli tibi subdat colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimo gradu percipere munus delectabile sanctitatis, per &c. *Alia*: Da, quaesumus, omnipotens Deus, ut haec famula tua N. quae pro spe retributionis aeternae se tibi Domino desiderat consecrari plenâ fide animoque, in sancto proposito permaneat. Tu eam, omnipotens Pater, sanctificare & benedicere, & in perpetuum conservare digneris. Tribue ei humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei, Domine, pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem, ut ad meritum possit gloriae pervenire, per &c. *Tunc imponat ipsa Velamen capiti suo. Oratio post assumtum indumentum & Velamen:* Famulam tuam, Domine, tuae custodia muniat pietatis, ut continentiae sanctum propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente inlaesum custodiat, per &c. *Alia:* Domine Jesu Christe, omnium Deus, qui inter cetera virtutum documenta ad salutem nostram vigorem castitatis & pudicitiae reparasti, te supplices exoramus, ut hanc famulam tuam, sororem nostram, Viduam N. ad gratiam pietatis tuae ex toto corde conversam, ab omnibus temptationibus inimicorum tutam defensamque custodias, & haec capitis Velamina ad interioris hominis tutamen perseverare facias, & in tua voluntate tota mentis since-

ſinceritate perſeverare concedas, qui cum Patre &c. *Alia*: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in Vidua, ut fideles valeat cuſtodire promiſſiones, quas promiſerat tibi, ut caſtitatem corporis & animae exhibere tibi valeat, & dignè occurrat, ut ſexageſimum fructum cum electis ſociis ejus participare mereatur, per &c. *Alia*. Domine Deus virtutum caeleſtium, aeterne dominator, tibi ſupplices effundimus preces, ut hanc famulam tuam N. conſervare digneris, quam de priſtina converſatione ad novitatem vitae expolians veterem hominem, & induens novum, converti feciſti, ut ſicut Anna Prophetiſſa multis temporibus veſtibus viduitatis induta in Templo gloriae tuae jejuniis & orationibus fideliter deſervivit, ſic & haec famula tua tibi ſoli Deo in Eccleſiâ tuâ devotâ mente deſerviat, per &c. *Poſtea Epiſcopus auctoritate paſtorali denuntiet ei pacem, & omnibus, quae illa poſſidet. Et illa ad Miſſam inter Velatas offerat, & communicet. Oratio ad Miſſam in natali Viduae.* Deus caſtitatis &c. *Require ut ſupra in conſecratione Diaconiſſae.* Tu famulis tuis, quaeſumus, Domine, bonos mores placatus inſtitue. Tu in eis, quod tibi placitum ſit, clementer infunde, ut digni ſint, & tua valeant beneficia promereri, per &c. Famulos tuos, quaeſumus, Domine, tua ſemper gratia benedicat, & inculpabiles ad vitam perducat aeternam, per &c. *Alia*: Da famulis tuis, quaeſumus, Domine, in tua fide & ſinceritate conſtantiam, ut in caritate divina firmati, nullis temptationibus ab ejus integritate evellantur, per &c. *Alia*: Famulos tuos, Deus, benignus intende, & eis dignanter pietatis tuae impende cuſtodiam, per &c. Reſpice, quaeſumus, Domine, famulos tuos, & in tua miſericordia confidentes, caeleſti protegas benignus auxilio, per &c. *Alia*: Famulis tuis, quaeſumus Deus, ſperata concede, & ab omnibus ſuis culpis excuſa, per &c. *Alia*: Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & famulos tuos affidua protectione conſerva, ut qui tibi jugiter famulantur, continua remuneratione ditentur, per &c.

„ Ordinatio Abbatiſſae Monaſticam „ Regulam profitentis. Caput ex „ Canone Theodori Anglorum Ar- „ chiepiſcopi.

In Ordinatione Abbatiſſae Epiſcopus debet Miſſam canere, & eam benedicere hoc modo. Poſt antiphonam ad Introitum, & data oratione, & reliquum officium Miſſae uſque ad Evangelium proſternat ſe Electa ante Altare retro Epiſcopum cum duabus vel tribus de Sororibus ſuis, fiantque ibi Letaniae. Sequitur Pater noſter. *Verſiculus*: Salvam fac ancillam tuam, Deus. *Reſpondetur*: Deus meus &c. *Require ſupra. Precibus finitis, benedicat eam Epiſcopus, inclinato capite dicens*: Dominus vobiſcum. *Reſpondetur*: Et cum ſpiritu tuo. *Sequitur Oratio*: Concede, quaeſumus, omnipotens Deus affectui noſtro &c. *Alia*: Cunctorum bonorum inſtitutor Deus &c. *Require in conſecratione Abbatiſſae. Alia*: Exaudi, quaeſumus, Domine, preces humilitatis noſtrae, & ſuper hanc famulam tuam N. gratiam tuae benedictionis infunde, quatenus per noſtrae manus impoſitionem inter fideles diſpenſatrices inveniatur, & cum ſubditis ſibi gregibus placere tibi mereatur, per &c. *Hic exaltat vocem, dicens*: Per omnia &c. *Tunc imponat ei manus ſuper caput, dicens hanc Praefationem*: Aequum & ſalutare, nos tibi

tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Respice, quaesumus, super hanc famulam tuam, quam in tui nominis vice custodem Monacharum ordinamus. Immitte ei, Domine, spiritum sapientiae & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiae & pietatis, & reple eam spiritu timoris tui, quatenus tuâ gratiâ praeventa nihil contrarium praecipiat, faciat, doceat, constituat, vel juveat, sed magis . . . . discipularum tam exemplis bonorum operum, quàm verbo instruat, & quae discipulabus docuerit esse contraria in operibus tuis judicet non agenda. Sit in omnibus suis provida & considerata. Sit sobria & casta. Sit vitâ probabilis, sit sapiens, & humilis, sit benigna, & caritatiba. Sit in pauperum peregrinorum susceptione assidua, sit in hospitalitate hilaris, sit pia, & misericors, & semper misericordiam exaltet judicio, ut ipsa ante aequissimum Judicem veniam consequatur. Fac eam, Domine, te solum totis viribus suis diligere, jejunium amare, corpus castigare, delicias non appetere, tribulantibus subvenire, neminem odisse, zelum injustum, & invidiam non habere, suspicionem omnino devitare, in tuo nomine pro inimicis exorare. Fac eam semper cognoscere, quia reddituro est rationem villicationis suae, & quantas sub cura sua animas habuerit, ipsas sine dubio ante sedem majestatis tuae sit latura. Quapropter tibi, piissime Pastor, supplicamus, ut ad humilitatis nostrae orationes cor ejus gratiâ tuâ illustres, quo possit quaeque singula ita discernere atque temperare, ut fortes habeant, quod cupient, & infirmae quod non refugiant. Da illi Domine, spiritum compunctionis, ut caelestia semper diligat, & inextinguibilem gehennae ignem ante mentis oculos proponat, quatenus supernorum dulcedinem gaudiorum, & infernalium amaritudine tormentorum, semetipsam inreprehensibilem custodiat, ut cum creditis sibi ovibus in tremendo examine gaudeat, & cum omnibus Sanctis tuis immarcessibilem caelestis Regni coronam accipiat, per Christum &c.

Tunc imponat manum super caput dicens hanc Orationem in modum Praefationis: Omnipotens sempiterne Deus, affluentem spiritum &c. *Require in ordinatione Abbatissae. Tunc det ei Regulam, dicens:* Accipe Regulam, a sanctis Patribus nobis traditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi a Domino creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit. *Sequitur:* Domine Deus * omnipotentes, qui sororem Moysi Mariam &c. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, famulae tuae Abbatissae, ut ostendendo & exercendo quae recta sunt, exemplo bonorum operum, animos suarum instituat subditarum, & aeternae remunerationis mercedem, a te piissimo pastore percipiat, per &c. *Alia:* Omnium Deus fons bonorum &c. *Quod si Ordinatio Abbatissae infra Monasterium suum facta fuerit, imponatur* Te Deum laudamus, *Populo acclamante* Kyrie eleison. *Postea dicatur haec Oratio pro adepta dignitate:* Deus, cui omnis potestas &c. *Item, si alibi consecrata fuerit Abbatissa, regressâ ad Monasterium omnis Chorus Monacharum honorifice obviam procedant cum Crucibus, Aqua benedicta, Incenso, & Euangelio. Et in ipso introitu Ecclesiae imponat* Te Deum laudamus, *turbâ acclamante* Kyrie eleison, *& Presbytero prosequente orationem, ut supra:*

ſupra : Deus, cui omnis poteſtas & dignitas &c.

Quod ſi apud antiquos occurrunt *Monaſteria Puellarum*, continuo intelligimus, illic agi de Virginibus Deo ſacratis. Nomen quoque *Ancillae Dei, Devotae, Benedictae, & Sacratae*, Sanctimonialem ſignificare conſuevit, ſed ita ut complecti videatur tam Virgines, quàm Viduas, quae ſe Deo dicarant. In Concilio Romano Anni DCCXXI. habetur : *Si quis Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema ſit*. Vide Du-Cangium in gloſſar. Latinit. alia vocis hujus exempla coacervantem. Clariſſimus quoque Martene Tom. V. pag. 83. Theſaur. Anecdotorum, antiquum Calendarium exeruit in quo indicatur Euangelium recitandum *pro velatione Ancillarum Dei.* Et *Ancillae Dei velatae* memorantur in Capitulari Pippini Regis Franciae. In Sacramentario quoque Eccleſiae Romanae, olim edito a piiſſimo & doctiſſimo P. Thomaſio, poſtea Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinali, habetur *Oratio ſuper Ancillas Dei, quibus converſis veſtimenta mutantur*. En ipſius Orationis prima verba : *Te invocamus, Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, ſuper has Famulas tuas &c. Famulae* nomen in mentem mihi revocat nonnullas Hiſpanicas Incriptiones, quas olim uti ineditas collegi, atque heic tenebris ereptas volo, quaeſiturus, an appellatio *Famulae Dei* certo indicet, Sanctimonialem nomine Ancillae Dei.

Cordubae, prope Sancti Bartholomaei de las Bubas, ad Portam Novam:

✠ ✠ ✠

PVRPVRIA FA
MVLA DEI VIX.
ANNOS XXXX.
MENSES VIII. RECES
SIT IN PACE ☧. XII.
KL. MAJAS ERA
..........LXIII.

Valentiae del Ventoſo in Dioeceſi Pacis Auguſtae, nunc Badajos, extat hic alter lapis :

GRANNIOLA FAMVLA
DEI QVAE VIXIT CVM
MARITO ANNOS XX. ET
REQVIEVIT IN PACE
AERA DLIII.

Poſita fuit Inſcriptio haec, uti & ſubſequens Anno vulgaris Epochae DXV. Tertium marmor accipe, ibidem ſitum :

JVLIANA FAMVLA DEI
QVAE VIXIT ANNOS
XX. ET CVM MARITO
ANNO VNO ET REQVI
EVIT IN PACE ERA
DLIII.

Alias duas ſimiles Inſcriptiones Hiſpali repertas refert Clariſſimus Boldetus Lib. 2. Cap. 20. pag. 639. de Coemeter. Martyrum. Quid verò ſignificet

gnificet in iis monumentis *Famula Dei*, si quis sciscitetur, respondebo, videri quidem posse significare idem atque *Ancilla Dei*. Verùm mihi videtur similius, nihil aliud eo titulo indicari, nisi feminam Christianae legi addictam. Video enim donatos eâdem appellatione Seculares viros, ut constabit e subsequentibus marmoribus, in eâdem Hispaniâ sitis.

Alcoleae prope Hispalim:

CVLFINVS FA
MVLVS DEI VI
XIT ANNOS
PLVS MINVS
LXX. RECESSIT IN
PACE III. KAL. A
GVSTAS ERA DC
K. I.

Idest Anno Christi Quingentesimo Sexagesimo Secundo.

In Vico Moron.

LEONCIVS FAMVLVS DEI
QVI ANNOS PLVRES VEL MINVS LXXXII.
MORTVVS EST ERA CCCCCCXIII.

Hoc est Anno Christi Quingentesimo Septuagesimo Quincto.

Talavernae in Beatae Virginis del Prado in urnâ:

LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS PLVS
MINVS LXXV. REQVIEVIT IN PACE DIE
VIII. KAL. JVLIAS AERA DXXXXVIII.



Idest Anno Christi Quingentesimo Decimo. Quum constantem intueamur hanc appellationem & in viris, qui Christiani tantum fuisse videntur, & occurrat in Epitaphio Juliani Episcopi Eborensis apud Reinensium Classe XX. num. 450 & in aliis ab ipso, atque a Grutero editis: nulla justa caussa subest, cur feminas *Famulas Dei* Sanctimonialibus accenseamus, nisi & hosce Viros Monasticam vitam professos arbitremur. Sed omnem dubitationem tollere potest Inscriptio a Grutero eodem producta pag. 1060. num. 1. in qua *Marcellianus Maritus* titulum scribit *Severillae Famulae Christi*, *quae cum viro suo vixit novem continuis annis*. Addo nunc e Schedis meis alteram Inscriptionem, Christianae mulieri in Hispania positam, quae titulo ejusmodi caret.

In


In Urbe Gaditana supra fores Aedis Sanctae Mariae.



ALEXANDRA CLARISSI
MA FEMINA VIXIT
ANNOS PLVS MINVS
XXV. RECESSIT
IN PACE
ERA DXXXIII.
PROBVS FILIVS
VIXIT ANNOS
DVOS MENSES..........

Spectat Inscriptio haec ad Annum Christi Quadringentesimum Nonagesimum Quinctum. Neque sane desiderabantur in Hispania temporibus iis Coenobia sacrarum Virginum, uti ex Historia Hispanica constat, simulque constabit e subsequenti marmore, quod in eadem *Gaditana Civitate* olim visebatur, *in domo Drani*, *literis inconditis* ibi sculptis, & versibus barbariem referentibus:

A



VJVS NAMQVE TVMVLO PROCVMBIT SERVANDE
POST FVNERE CORPVS
PARVA DIGATA DEO PERMANSIT CORPO
RE VIRGO
ASTANS CENOBIO CVM VIRGINI
BVS SACRIS NOBILE CETV
TERDENIS FVIT ANNIS VEGETANS
IN CORPORE MVNDO
HIC SVRSVM RAPTA CELESTI MIG
RAT IN AVLA
OBIIT JVNIAS DECIMO QVARTOVE
CALENDAS
HIC EST QVERVLIS ERA DE TEMPORE
MORTIS DCLXXXXVII

Idest Anno Christi Sexcentesimo Quinquagesimo Nono.

DE MODIS,

QUIBUS OLIM ECCLESIAE, EPISCOPI, CANONICI, MONASTERIA,

ATQUE ALIAE HUJUSMODI UNIVERSITATES SACRAE, TERRENIS OPIBUS ET COMMODIS AUCTAE SUNT.

DISSERTATIO SEXAGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO

SEXAGESIMASEPTIMA.

SUnt qui noſtris temporibus Eccleſiaſticae in Italia Reipublicae ſtatum, & Eccleſiarum, ſacrorumque Miniſtrorum opes ac reditus curioſis oculis metiuntur, & deprehenſam non levem Eccleſiaſticorum opulentiam in regionibus nonnullis, continuò mirantur, ne dicam invident ac damnant, ſibi facile perſuadentes, longe diverſam olim Eccleſiarum fortunam, ac tenues earum proventus fuiſſe. Verùm ſecus rem proceſſiſſe ipſis rudibus ac barbaris Saeculis, monumenta omnia clamant. Fuerunt enim Secula, quibus ſine comparatione longe plures divitiae in ſacra Templa, Monaſteria, & ſacra Collegia effuſae ſunt. Neque tantùm fundos uberes, latiſſimos, ac paene innumeros uterque Clerus poſſedit, ſed & ampliſſimas ditiones, Oppida, ac Urbes. Nemo autem melius novit, quouſque olim ſe extenderet tanta in Eccleſiaſticis opum affluentia, quàm qui vetera Eccleſiarum Chartaria perluſtrare oculis, ac terere manibus potuere. Quamquam quid dico? neque Archiva conſulere opus eſt, quando in tot Italiae Civitatibus, eorumque agris, incredibilis adhuc occurrit praediorum copia, quae emphyteutico tantùm nomine poſſidentur, directumque dominium agnoſcunt alicujus aut Epiſcopii, aut Capituli Canonicorum, aut Monaſterii, aut ab aliis pendent locis Deo ſacratis. Ego alterâ Diſſertatione perſequar potentiam olim Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Eccleſiae Miniſtrorum, ac ſubinde oſtendam, queî a tanta rerum copia antiquitus exciderit Clerus. Nunc mihi edicendum, qua ratione tot olim commoda parta ſint hominibus Deo dicatis.

Illud conſtat, vel ab ipſis Eccleſiae Chriſtianae incunabulis in uſu fuiſſe oblationes ac eleemoſynas Fidelium, ut iis ſacri Miniſtri alerentur, & reliquum in vulgus pauperum erogaretur: quae largitio tum jure naturali, tum praecepto Chriſti, atque Apoſtoli voce non ſemel firmata eſt; *dignus eſt enim operarius mercede ſua; neque os bovi trituranti obſtruendum*. Factâ autem ſub Conſtantino Magno pace Eccleſiae, acrius tunc exarſit pius Chriſtianorum fervor ad excitanda Deo Templa, augendumque Cleri numerum, quo divinus cultus multiplicius propagaretur, & Chriſtiani Populi devotio augmentum in dies acciperet. Proinde ipſis Aedibus ſacris, Clericiſque adminiſtris, ſua dos & reditus conſtituebantur; ac libentiſſime ad eorum alimenta, & Templi, ac Myſterio-

ſteriorum ornatum, Fideles conferebant Decimas, Primitias, Oblationes; immo aut viventes, aut in poſtremis tabulis praedia, domus, aliaſque fortunas in ſacrorum locorum jus & dominationem transferebant. Primum ergo, ut ita dicam, Deo dicatae gentis aerarium in jure Naturae conſtitutum eſt. quum nemo negare poſſit, quin ſacris operariis (de neceſſariis loquor) miniſtranda ſint congrua alimenta; ac proinde non tantùm a Conciliis & Patribus olim praeſcriptum fuit, Decimas Eccleſiis eſſe exſolvendas, ſed etiam ipſa Naturae vox harum conlationem indicit, quoties aliunde Epiſcopis, Parochis, aliiſve neceſſariis Clericis ſuſtentandis conſultum non eſt.

Aerarium verò ſecundum ſitum erat in ſpontaneis Fidelium Oblationibus, qui aut nova Templa condebant atque dotabant, aut jam fundatis nova dona, novoſque reditus adjungebant, in ſacrorum locorum ornamentum, ſimulque Miniſtrorum commodum atque augmentum: Et multa quidem erant, quae ad hujuſmodi liberalitatem pios incitabant, videlicet Religionis conſervandae, aut amplificandae laudabile ſtudium; Miſericordia erga pauperes, in quorum etiam utilitatem cedebant quaecumque Eccleſiis conferebantur; denique legitima probeque concepta ſpes, fore ut ſacrae Legis Miniſtri tum in ſalutari Sacrificio, tum in quotidianis precibus, praecipue piis largitoribus Deum benevolum atque propitium efficerent. Propterea familiare antiquo etiam tempore Chriſtianis fuit, veniâ factâ per legem Conſtantini M. Anno 321. promulgatam, hereditates integras, aut pia legata, aut diverſa alia munera conjicere in ſinum Eccleſiae, & novas aedes ſacras conſtruere, iiſque fundos, ac reditus conferre, ex quibus honeſtum victum Clerici perciperent, ipſaque divina Myſteria haberent unde ritu perenni decentique peragerentur. Eaedem etiam cauſſae prae oculis Fidelium verſabantur, ut nova in dies Monaſteria cum Virorum, tum Virginum conſtituerent, ac ditarent; immo ad horum conſtructionem, aut incrementum enixius quandoque ſuadendum accedebant & aliae rationes. Nimirum gratiſſimum Deo futurum credebatur, neque immeritò, aut ſibi, aut aliis terrena faſtidientibus, atque ad ſola caeleſtia adſpirantibus, ſacrum remotumque a Secularium rerum tumultu locum parare; atque alere gentem ex ſeveriore vita, ex doctrina etiam, aut ſaltem ex pluri mis Virtutum exemplis non ſibi tantùm, ſed & univerſae Chriſtianorum reipublicae utilem atque glorioſam. En ergo ſtimulos praecipuos, quibus olim incitabantur Fideles, atque ipſi potiſſimum Reges, Principes, & Epiſcopi, ut crebris muneribus Eccleſiarum patrimonium amplificarent. Supervacaneum foret ad rem per ſe lucidam aliquod exemplorum lumen adhibere.

Tertio, non levis opum acceſſio facta eſt aerario Epiſcoporum, Monachorum, atque Monialium, denique Canonicorum, ex ipſis divitibus, qui ejurato Seculo Eccleſiaſticum inſtitutum amplectebantur. Erant enim non pauci, qui non ſe tantùm, ſed ſua quoque Deo dicabant, quoties ſacrae vitae jugum ſuſcipiebant. Ad haec erant alii Eccleſiae adſcripti, qui ſuarum rerum uſu ſibi retento, denique ex aſſe, aut ſemiſſe, aut tremiſſe Eccleſiam ſuam heredem inſtituebant. Immo vel ſine teſtamento decedentibus Clericis Eccleſia ſucce-

ſuccedebat, cui dederant nomen, niſi legitimi adeſſent heredes. Jam Anno 434. Imperatores Theodoſius junior, & Valentinianus III. legem hanc dederunt, quae in Cod. Theodoſ. Tit. 3. Lib. V habetur: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconiſſa, aut Subdiaconus, vel Clericus, aut Monachus, aut mulier, quae ſolitariae vitae dedita eſt* (hoc eſt Sanctimonialis) *nullo condito teſtamento deceſſerit, nec ei parentes utriuſque ſexus, vel liberi &c. exſtiterint, bona, quae ad eum pertinuerint, ſacroſanctae Eccleſiae, vel Monaſterio, cui fuerat deſtinatus, omnifariam ſocientur*. Quare nil mirum, ſi ad Epiſcopatum, ad Clerum, & ad Monaſticam veſtem induendam ſolicitarentur, ac prope interdum impellerentur a Populo, a Clericis, a Monachis, viri ac feminae praedivites, quippe ex hiſce rivulis ſperabatur nova irrigatio Eccleſiaſtici aerarii. Atque heic dignus eſt qui memoretur celebris animorum motus exortus inter Sanctum Auguſtinum, & Pinianum, Albinam, & Melaniam, ſplendidiſſimos ac opulentiſſimos Cives Romanos, de quibus egi in Diſſertat. IV. VI. & VII. Tomo I. Anecdot. Latin. Ad Auguſtinum inviſendum Hipponem ſeſe hi contulerant circiter Annum Chriſti 411. quum ecce pro more eorum temporum plebs tumultuans Pinianum ad Presbyteratum ſuſcipiendum paene adigit: a qua violentia vix ille ſeſe extricat, ſtudio praeſertim Auguſtini, hujuſmodi furioſum conſilium improbantis. Ubi in libero ac tuto loco poſitus eſt nobilis ille coetus, vim factam aegro animo ferens, multa expoſtulavit cum Auguſtino de Hipponenſi plebe, quaſi *cupiditate pecuniae, non dilectione juſtitiae ſervos Dei vellet retinere*, prodideritque *cupiditatem ſuam, ſe non Clericatus, ſed pecuniae cauſsâ, hominem divitem, atque hujuſmodi pecuniae contemtorem & largitorem, apud ſe tenere voluerit*. Proinde Auguſtinus ſcriptâ ad Alypium Tagaſtenſem Epiſcopum Epiſtolâ 125. aliàs 224., & ad Albinam Epiſtolâ 126. aliàs 225. nihil non egit, ut Populi facinus excuſaret, ſeque & illum de ſiniſtra fama purgaret. Verùm placidius alii ſubinde divites ad Eccleſiaſtica munera, & ad clauſtra allecti, patrimoniis ſuis Eccleſiaſticum penus pinguius effecere; idque potiſſimum *Oblati* Monaſteriis praeſtare conſueverunt, ut ex Chronico Leonis Marſicani, aliiſque antiquorum monumentis conſtat. Tempore autem Caroli M. ſtatutum tantummodo fuit, ut conſtat ex ejus Lege 137. inter Langobardicas: *Ut unuſquiſque Presbyter res, quas poſt diem conſecrationis adquiſierit proprias, Eccleſiae relinquat*. Sed & in ipſo ingreſſu in Monaſterium, aut in Clerum, familiare paſſim fuit, unà cum perſona, bona quoque ſua ſacris offerre locis. Et vix ullus puer Monaſterio tradebatur, quin parentes oblationem Monachis gratiorem efficerent donatione fundi alicujus. Ex hac officina non parum emolumenti referebant Monaſteria. Proderit hujus moris teſtem intueri Chartam, quam mihi procuravit Joſeph Moſca Sacerdos Neapolitanus, meliorum Literarum ſedulus cultor, ſpectantem ad vetuſtiſſimum Coenobium Neapolitanum Sanctorum Severini & Soſii, in quo adſervatur. Annum ſcriptae Chartae deſignare non audeo; quippe notae Chronologicae in multis deficiunt. Floruit quidem Johannes ejuſdem Monaſterii Abbas Anno Ch. 910. ſub quo facta eſt Translatio Corporis Sancti Severini,

rini, edita a Bollando Tom. I. Act. Sanct. pag. 1098. Constantinus quoque Leonis Sapientis filius imperare apud Graecos coepit Anno 912. Verùm nulla mihi ratio succurrit conciliandi ejus annos cum annis Filii ejus heic memorati, & cum Indictione III. Satius duxi proponere Annum Ch. 765. tunc enim decurrebat Indictio III. & Annus XXV. Constantini Copronymi Augusti, sub quo vixisse potuit Johannes Abbas senior, cujus nomen in Charta ista occurrit. Atqui, si verum est quod Pagius statuit, tunc Annus XV. Imperii Leonis illius filii agebatur, quum in Charta Annum IX. ejusdem deprehendamus. Utcumque sit, si non rectam Chronologiam, certe morem, de quo agimus, Lector hinc edíscet.

Oblatio Johannis pueri facta Johanni Abbati Monasterii Neapolitani SS. Severini & Sossii ab Euphemia matre, & Vitaliano ac Sergio fratribus, una cum portione bonorum ad eam spectantium. Anno fortasse 765.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imp. Domino nostro Constantino Magno Imperatore anno vicesimo ...... ejus filio anno nono die XXVI. mensis Februarii Indictione Tertia Neapoli. Certum est...... & Vitalianum, seu Stephanum, hoc est Mater & Filios relicta, & filios qdam Dni Marini...... Sergium trib. de Abbatissa, nos vero...... Stephanum germanis pro vice nostra, & pro vice Aligerni parbuli germani nostri, a presenti die prontissima voluntate offerre, & offerimus vobis Dno Johanni Presbytero Monast. SS. Seberini, & Sosii, *ubi eorum venerabilia quiescunt Corpora...... supradicto sancto & ven. vestro Monasterio pro portione quidem Joannis filii, & germani nostri, idest integras duas petias de Terras portionis meae...... & Euphemia h. F. ex quibus una que vocatur Clusuria de Alfinianum, & alia que ad sorbum ibidem in Alfinianum constita; insimul cum arvoribus, & introitus earum, & omnibus pertinentibus pertinebat mihi pro Parentorum meorum, & me in sorte tetigit a Stephano, & haeredum Joanni........ donando germanis meis premissis divisiones, quam apud me habere videor; unde nihil nobis exinde remansit, aut reserbavimus coherente sivi a duobus lateribus de supradicta Terra, que vocatur ad sorbum, Terra Monasterii Beatae Mariae puellarum Dei, & de uno capite Terra Johannolfi Ferrarii, & ex alio capite coheret Terra supradicta. Terra portionis meae de ipsa Clusuria habet finis ab uno latere Terram supradictam Stephani germani mei, & de alio latere coheret Terra portionis haeredum Joanni, qui supra germani mei, seu meae, taliter donandae omni tempore in quarta parte ad equale mensura ita ut a presenti die, & deinceps jam nominatas integras duas petias de Terra portiones meae supradictae Euphemiae ex quibus una, que vocatur Clusuria de Alfinianum, & alia que & ad sorbum ibidem in Alfiniano constituta insimul cum arvoribus, & introitus suarum, & omnibus eis pertinentibus, unde nihil nobis exinde remansit, aut reserbavimus, quatenus, & per coherentias vobis eas insinuavimus sicut superius legitur, a nobis vobis pro portione supradicto Joanni filii, & germani nostri sint*

ſint offertas & traditas in veſtra poſteriſque veſtris ſint poteſtate qualiter exinde facere volueritis, & neque a nobis ſupradicta Euphemia h. F. & Vitaliano, ſeu Stephano, hoc eſt Mater, & Filios, nos vero ſupradicto Vitaliano, & Stephano pro vice noſtra, & pro vice ſupradicto Aligerni germani noſtri, neque a noſtris haeredibus, vel alia perſona ſummiſſa, nullo tempore exinde habeatis quacumque requiſitione, aut moleſtia tam vos, quam ſupra Domnus Joannes veſter Abbas Presbyter pro poſteris veſtris. Nempe eſt ipſa portio mea de ipſa Cluſuria cum ipſa portione ſupradicti Stephani, & haeredum Joanni ſeu meae ſupradicto ſancto veſtrum Monaſterium Monachorum veſtrorum per nullum modum in perpetuum. Inſuper & av omni homine omnique perſona, & a ſupradicto Aligerno filio, germano noſtro, & ab ejus haeredibus omni tempore nos, & haeredes noſtris, vobis poſteriſque veſtris, exinde in omnibus anteſtare, & defendere promittimus in perpetuum. Interea promittimus vobis, ut amodo, & ſemper omni annu & menſe nos, & haeredes noſtris vobis poſteriſque veſtris, & in ſupradicto veſtro Monaſterio dare, & perſolbere debeamus pro portione de reſponſaticum ſupradicto Joanni filii, & germani noſtri, ideſt triticum modios quatuor trattum a nobis omni annu, uſque intus ſupradicto ſancto veſtro Monaſterio menſuratum ad modium juſtum...... nullatenus nos, aut haeredes noſtri vobis poſteriſque veſtris mittentes excuſationem, propterea quod vos ſupradictum Joannem filium, & germanum noſtrum recipere promiſimus in ſupradicto ſancto, & venerabili veſtro Monaſterio, & eum Monachum facere, & vos, & poſteris veſtris eum nutrire, & veſtire, & calceare promiſimus omnibus diebus vitae ſuae, ſicut ceteris Monachis veſtris, & ſicut decet Regula Sancti Benedicti, & ipſe vobis poſteriſque veſtris omnibus diebus vitae ſuae in ovedientiam, & ſervitium eſſe debeat, & ſicud ipſi ceteri Monachi veſtri, & ſicud ipſa Regula Sancti Benedicti docet, & nullo modo de ipſo ſancto veſtro Monaſterio exire ſe preſumet omnibus diebus vitae ſuae; & ſi exinde exire preſumererit a tunc licentiam habeatis, vos, & poſteris veſtris eum requirere, & adprehendere, & in ſupradicto ſancto veſtro Monaſterio reunire, vocare omnibus diebus vitae ſuae, & ſecundum meritum culpae ſuae in veſtra ſit poteſtate eum corripiendi, & diſciplinandi, quia ſic inter nobis taliter. Quod ſi aliter probenerit de his omnibus ſupradictis per quovis modum, aut ſummiſſam perſonam, a tunc componimus nos, & haeredes noſtri, vobis poſteriſque veſtris auri libra una biſque; & haec Cartula offertiones, ut ſuperius legitur, ſit firma ſcripta per manum Anaſtaſi........ Diſcipulo Dno Joanni Curialis, & Scriniarii per ſupradicta Indictione tertia. Hoc ſignum ✠ manus ſupradictae Euphemiae, & Vitaliani, ſeu Stephani, hoc eſt Mater, & Filios, qui omnia ſupradicta conſentierunt.

Ego Gregorius filius Dni Petri, rogatus a ſupradicta Mater, & Filios Teſtis ſubſcripſi.

Ego Joannes filius Dni Geri....... Ego Capulus filius Dni Joannis. Ego Joannes Curialis, & Scriniarius, poſt ſubſcriptionem Teſtium, & ſupradicti Anaſtaſii....... Diſcipuli mei, manu mea propria percomplevi per ſupradicta 3. Indictione. Ego Petrus Primarius (forte Scriniarius, aut Tabularius) *Curiae hujus Civis Neapolitanus hoc exemplari Charta offertionis, quam ejus Authentica nobis dedit Dnus Roccius venerabilis Abbas ſupradicti Monaſterii*

fterit pro ifta exemplaria faciendum in fupradicto fuo Monafterio ficut fuperius legitur ex ipfa Authentica relevavi, & cum nimia cautela ad fingulas relectas pro ampliori ejus firmitatem manus proprias fubfcripfi. In die prima Menfis Martii, Indictione XI. Ego Sergius Tabularius Curiae hujus Civis Neapolitanus hoc exemplari Chartula offertionis, quam ejus Authentica nobis dedit Dnus Roccius venerabilis Abbas fupradicti Monafterii pro ifta exemplaria faciendum in fupradicto Monafterio ficut fuperius legitur ex ipfa Authentica relevavi, & cum omni cautela ad fingulas relectas pro ampliore ejus firmitatem manus proprias fubfcripfi in die prima menfis Martii, Indictione XI.

Complura alia animadvertas in Charta hac, quibus eruditio Monaftica illuftretur. Ego unum innuo, fcilicet difputatum inter Eruditos fuiffe, num Neapolitanum Monafterium Sancti Severini fub Regula Sancti Bafilii regeretur, an Sancti Benedicti. Primis temporibus Bafiliana Regula ibi obfervata videtur. At faltem procedente tempore Benedictinam ibi invaluiffe, haec ipfa Charta fat prodit, ubi videas bis commemoratam *Regulam Sancti Benedicti*. Alia exempla patrimonii in Monafterium translati ab amplectentibus facrum inftitutum jam dedi in Differt. LXV. *de Monafter.* & in LXII. *de Canonic.* Chartam vidi in Tabulario Archiepifcopii Lucenfis, fcriptam *Anno IV. Domni noftri Ratchis viro excellentiffimo Rege Indict. III.* hoc eft Anno 749. vel 750. diem enim minime adnotavi, in qua *Teupertus V. D.* Ecclefiae Sanctae Mariae de Sexto, ejufque Rectori Bonualdo, *una cum confenfu genitorum fuorum, fe ac fua bona* offert ad ferviendum ibi Deo, dum vita comes fuerit, *caftitatem fervando &c.* Alteram Chartam vidi exaratam *Anno VIII. Regni D. N. Liutprandi Regis in Menfe Martio, Indict. VII.* ideft Anno Ch. 724. fed cum aliis Chartis Epocham Liutprandi fignantibus notae iftae minime confentiunt. Itaque diligentius membranam illam perfcrutari opus effet. In ea verò *Ansfridus V. V. Clericus* fe famulaturum pollicetur *Beato Sancto Laurentio, & fancto Valentino de Vaccule* cunctis diebus vitae fuae. Sacro autem loco *omnia fua bona, Servos, & Ancillas* offert, ufufructu tamen, dum vixerit, fibi fervato. Sunt & aliae Chartae ejufdem ritus teftes; atque inter alias unam mihi obtulit Tabularium Monafterii Veronenfis Sancti Zenonis, fcriptam *Regnante D. N. Karolo Rege in Italia Anno Quadragefimo per Indictione Quarta.* Annum defignare nefcio; nam aut aliquod eft vitium in hifce notis, aut eas non fatis accurate ego defcripfi. *Indictio Quarta* Annum Ch. 811. exhibet; *Annus* verò *XL. Caroli M.* Annum 813. aut 814. Utcumque fit, heic etiam habes, quod adnotavi in Differt. X. *de minor. Juft. Miniftr.* videlicet Carolum M. uno titulo *Regis* donatum aliquando a Notariis fuiffe, vel poftquam Imperiali nomine ac dignitate fulgebat. Sequitur in membrana illa: *Domino fancto & veneravile omnium locorum Theonefto Chrifti Martyre, cujus Ecclefia conftituta eft fuper Civitatecla, ubi cognominatur Monafterio Novo; Ego Petrus filius b. m. Olvolo de loco Fanazio primo omnium trado & offero me ipfum in hunc fanctum & veneravilem Templum Domino deferviendum &c.* Tum fuas fortunas eidem facro loco offert. Locus, ubi olim fuit Monafterium hoc Sancti Theonefti, eruditi Veronenfes nobis ali-

aliquando edicent, an censendus sit in Civitate ipsa Verona. Haec autem verba revocant mihi in mentem *Monasteriolum Novum situm in pago Tarvisiano*, a Lothario I. Augusto Monasterio ipsi Veronensi Sancti Zenonis collatum, ut est apud Ughellium in Diplomate Ludovici II. Augusti Tom. V. Ital. Sac. in Episcop. Veron. Vide Differt. XXX. *de Mercatib.* Ejusdem Monasterii mentio in aliis Chartis Coenobii Zenoniani mihi occurrit. Altera namque has notas praefert: *Imperante Domno nostro Karolo hic in Italia Anno Quinto, Mense Augusto, Indict. Secunda*, ideſt Anno 884. heic enim puto Carolum Craſſum Auguſtum deſignari. *Placuit atque convenit inter Johannes Diaconus adque Monacho, seo Prepoſito Ecclesie vel Monaſterio Sancti Theonisti, ubi vocatur Monaſterio Novo; & ex alia parte Scambulo de Lobio vico, quem nominatur Ciumario filio quondam Johannis &c.* Altera exarata fuit *Regnante adque Imperante Domno nostro Hulduwico Imperatore in Italia Anno Vigesimo nono, die octavo de Mense Marcio per Indictione Quarta.* Ne heic quidem Annum certum designare audeo; nullum enim ex Ludovicis Augustis habeo, qui annos XXIX. imperarit. Mihine deſcribenti, an Chartae vitium tribuendum sit, ignoro. In ea *Rodaldus filius b. m. Auperto &c. Vico Veglacins* testamento sua relinquit in Monasterio, ubi nominatur *Monaſterio Novo ad Ecclesia Sancti Petri & Theonesti.* Ad ritum redeo efferentium sese una cum suis bonis Ecclesiae alicui, aut Monasterio, atque ajo, ipsum diu perduraſſe. Quippe ejus quoque usum reperio in Charta apud Monachos Benedictinos Coenobii Mutinensis Sancti Petri, Mutinae scripta *Anno M-CCX. die Jovis VII. intrante Octubre, Domino Ottone Rom. Imperatore regnante. Anselminus quondam Blancallonis de la Rocca Corneta dedit & obtulit se & sua bona omnia & nominatim petiam unam terrae positam &c. in manu Domni Johannis divina gratia Abbatis Sancti Petri Mutinae recipienti nomine Ecclesiae Sancti Petri Mutinensis, ponendo investituram L. librarum Imperialium super Altare. Qui Anselminus renuntiavit omni proprio, & promisit ipsi Domno Abbati continentiam, & veram obedientiam. Et ipse Domnus Abbas recepit eum in Fratrem & Conversum, mittendo ipsum sub panno Altaris, & osculando eum ipsum, & ejus Fratres tamquam Conversum. Actum Mutinae in Ecclesia Sancti Petri juxta Altare solemniter praesentibus &c.* Immo & Anno 1273. Morenus de Adigerio paria praestitit, atque inter cetera *juravit castitatem, & fidelitatem, & continuam residentiam, & obfernit se cum libro in manu sub Altare Sancti Michaëlis de Monasterio de Pavulle;* nempe & istud suberat Monasterio Mutinensi Sancti Petri. Quod etiam animadverti, si quis Presbyter olim sua bona Ecclesiae alicui offerebat, is in Rectorem ipsius ab Episcopo statim eligebatur. Charta est in Archivo Lucensis Archiepiscopii, data *Anno XXIII. Caruli Regis, & XVII. Pippini Regis, Mense Majo, Indict. V.* ideſt Anno 797. quo *Johannes Episcopus Lucensis*, quandoquidem Aldipertus sua bona obtulerat Ecclesiae Domini & Salvatoris ab ipso Domno Johanne aedificatae prope Ecclesiam Sancti Martini, ipsum Rectorem statuit ejusdem Ecclesiae. Veri videtur simile, non defuisse temporibus iis censores, qui Monachos, quasi aucupes aut hereditatum, aut patrimoniorum arcesserent, quando

do Novitios locupletes ad suum ovile adducebant. Quare Casinenses Monachi, ut a se calumniam hanc amolirentur, in more habuerunt, Novitium hortari, ut potius in pauperes, quorum ingens copia nunquam defuit, aut in consanguineos, quam in Monasterium ditissimum sua bona effunderent. Juvat huc adferre verba Ritus ipsius, quae ex Casinensis Coenobii antiquissimo Codice excerpta mecum communicavit D. Camillus Affarosius Monachus & Cellerarius Benedictinus, qui nunc totus est in contexenda Historia Monasterii sui Regiensis Sanctorum Petri & Prosperi.

Ritus Casinensium Monachorum in admittendis ad Professionem Novitiis.

„ POstquam Novitius compleverit Annum, & visus fuerit patiens, & obediens, & probatus, tunc venire debet in Capitulum, & debet illi dicere Abba: si potes observare, dic; si responderit, domino juvante, possum, & volo, tunc debet illi dicere Abba: Ecce Frater, si vis Deo omnipotenti servire, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere Christum. Sed si ille dixerit, quia in hoc Monasterio volo tribuere; tunc dicat illi Abba; Frater Deo adjuvante, nobis non est necessaria tua res, eo quod nostra indigentia habet unde suppleatur, sunt enim alii pauperiores nobis, aut etiam Monasteria, vel certe parentes tui forte plus sunt pauperes quam nos: & ideo melius est ut pro mercede illis tribuas, qui plus indigent quam nobis. Si autem ille dixerit quia volo pro mercede animae meae magis in hoc Monasterio tribuere, quam alteri dare, tunc donare debet rem suam aut pauperibus, aut in Monasterium. Cum hoc fecerit, tunc debet venire in Oratorio, & ibi exui suis vestibus, & vestiri rebus Monasterii &c.

Verùm non adeo delicate & caute reliqua Coenobia, & Canonicorum Collegia processisse videntur. Neque Clarifs. P. Martene in illustrandis Monachorum Ritibus alterum huic similem protulit. Vereor etiam, ut ista Casinensium cautela satis fuerit ad obstruenda ora censorum; quamquam non negem, quin laudanda saltem fuerint ejusmodi hortamenta: Nam ex Concilio Cabilonensi II. Anni 813. ediscimus, irrepsisse avaritiae artes in pias ejusmodi praedas. *Constituit* (ita ibi Cap. VII.) *Sacer iste conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potius subripuerunt, poenitentiae Canonicae, sive Regulari, ut puta turpis lucri sectatores subjaceant &c.* Quod plus est, additur: *Res namque, quae ab illectis & negligentibus datae, ab avaris & cupidis non solùm acceptae, sed raptae noscuntur, heredibus reddantur, qui dementiâ parentum, & avaritiâ incentorum, exheredati esse noscuntur.* Non haec postrema laus inclyti Augusti, Caroli videlicet Magni, hisce abusibus consuluisse ac tan-

tantam Episcopis Imperii sui constantiam inspirasse. Denique vide, quae hanc in rem attulit Clariss. Mabillonius in Veterib. Analect. Ibi inter cetera habentur Siberti Prioris Sancti Pantaleonis, & Rodulfi Abbatis Sancti Trudonis Epistolae, quibus hujusmodi morem tuentur. Praecipue legendum Carmen, cujus hi primi versus;

Quando vult aliquis, ut fiat Coenobialis,
Ex omni, quod habet, partes aequas faciat tres.
Unam pauperibus det, & una domi teneatur;
Tertia debetur Sanctis, ad quos gradietur.
Hoc ego justitiā magis assero, quàm Simoniam &c.


Quarto Ecclesiae, & sacra Coenobia, quae rore uberiori fruebantur, praeter haec sibi alia multa Emtionis titulo, non secus atque seculares viri, sibi conquirebant: cujus rei innumera exempla passim occurrunt in vetustis Archivorum monumentis, & in Chronicis Monasticis. Unum tantummodo propter vetustatem suam exerere mihi placet ex Archivo Canonicorum Regularium Pistoriensium, ubi antiquum apographum adservatur.

Charta venditionis bonorum factae Hildeperto, qui & Ildo, Abbati Monasterii Pistoriensis Sancti Bartholomaei a Guillerardo Episcopo Pistoriense, Anno 812.

✠ EXemplar. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Karolus Serenissimus Augustus a Deo electus, & coronatus magnus, & pacificus Imperator Romanorum guvernans Imperium, qui & misericordia Dei omnipotentis Rex Francorum, & Longobardorum in Italia, postquam Papia Civitate ingressus est Anno trigesimo nono, die vigesima mensis Novembris, Indictione VI. feliciter...... Manifesti sumus nos* Guvillerad Sanctae Pistoriensis Ecclesiae, *Zacchaeus Presbyter filius quondam Alchisi, & Tarsimanno filio b. m. Inroni, eo quod ante hos annos Isserard Presbyter, qui ad solitaria pertransivi vita filio quondam Gaiprandi in nos per suum Judicatum tradedit instituí, & judicavi quid, aut quomodo nos ex ejus substantia deveamus venundare pretio tollendi pro anima ejus distribuendum omnia, ita quod aut qualis nobis ipse Isserad tradedit per Cartula Judicati sui conscripta per manus Ansprand Subdiaconus, & Notarius in nos confirmavi, ideoque nos jam dicti Guillerad Episcopus, Zacchaeus Presbyter, & Tassimanno, secundum ejus Decretum de sua substantia vendidimus, atque tradidimus tibi Ildeperto, qui Illo clamatur venerabili Abbati Monasterii Sancti Bartholomaei tres Casae, & portionis massariciae in locus qui dicitur Basiano, qui regitur una ex ipse per Marungula. Alia per Durinnundulo. Tertia per Bonellu, & sunt Casae, & rebus ipse in finibus Senense, ut diximus, tam praedictae Casae & portiones cum omnibus pertinentiis, & adjacentiis de rebus ipsius Isseradi Presbyteri ad ipse Casae in quibuscumque loco justo ordine pertinentibus tam in montibus, quam in vallibus, ac padulibus, fontis, rivis, aquis, aquarumque ductibus cum finibus & ...... ter-*

minibus & accessionibus suis, cultis rebus & incultis, cum omnibus inferioribus, & superioribus suis ad rebus ipsis...... pertinentibus, movilibus, & immovilibus, seu qui se moventibus qualiter superius locuimus, omnia in integrum tibi qui supra Ildo Abbas a parte Sancti Monasterium venditionis titulo tradidimus. Pretio vero pro omnia suprascripta venditio ad se suscepimus argento solidos viginti per novinos denarios pretium finitum & deliveratum in tali ordine, ut si de dicta suprascripta vendidio nostra quicumque homo veniant adversus te Ildo Abbas vel adversus tuis successoribus, vel contra pars praedicti Monasterii vestri Sancti Bartholomaei cum qualive notificatione, aut conditione...... ventilatione causas agendi, & nos vel posteribus heredibus, aut successoribus nostris vobis ab ipsos suprascriptos contractores, suprascripta venditio nostra non potuerimus defensare, tunc nihil alia patiamur exinde molestia, nec calomiam, nisi tantum partis vestrae reddere deveamus alio tanto pretio quantum ut superius legitur ad te Ildo Abbas suscepimus. Nam si quecumque alius homo sine nostra factione, vel traditione quocumque tempore adversus vos de suprascripta venditio nostra litigaverint, aut causaverint, tunc tu jam nominatus Ildo Abbas vel tuis successoris qualiter per melius potueritis vobis per vos ipsis suprascriptae Casae & rebus deveatis defensare omnino exinde Causas agendi responsum reddendi fine ponendi potestatives esse deveatis, nam nos suprascripti venditoribus, neque nostris posteris haeredibus, aut successoribus exinde auctori, nec defensatori, neque restauratoris, aut pretium redditoris quaerere non deveatis, quia & nos vobis, nec a parte ipsius sacri Monasterii Sancti Bartholomaei de tali homine, qui fortasse vobis suprascripta venditio nostra sine aliqua traditione aut factione nostra etiam dixerit auctoris nec defensatoris, nec restauratoris, nec pretium redditoris non permittimus quam in is omnibus modis, ut superius textum menutius designat, tibi suprascriptae Casae, & rebus vendedimus, & sub tali titulo ad te pretio ipso suscepimus, quod pro animae remedium ipsius Isseradi juxta ejus dispositum dispensavimus, & in hoc tramite ut superius circumscriptum est, hanc chartulam Gauspert Notarius scrivere rogavimus. Actum Pistoria Regnum, & Indictione suprascripta feliciter.

✠ Ego Gvilleradus Episcopus in hunc scriptum a nos facto manu mea ss. ✠ Ego Zacchaeus Presbyter in hunc scripto ad nos factum manu mea ss. ✠ Ego Tassimanno in hanc chartula a nos facta manus mea ss. ✠ Ego Petrus rogatus a Guulerad Episcopus & Zacchaeo Presbyter & Tassimannu manus mea ss. ✠ Ego Ansprandus rogatus a Guillerada Episcopus, & Zacchaeo Presbyter, & Tassimanno testis subscripsi. Signum ✠ manus Fusoni filio quondam Bautoni teste. Signum  *manus Prandulonî germano ejus teste, & signum f manus Rechiprand filio quondam de Orelli teste. Ego qui supra Gauspert scriptor post traditionem complevi & dedi.*



Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor authenticum illud vidi, & legi, ut in hoc exemplar scriptum est, & quod inibi scriptum inveni fideliter exemplavi.

Episcopus iste ab Ughellio appellatur *Vuiltretradus*. Corrige ut supra.

Ac


Ac propterea in Imperatorum & Regum Diplomatis confirmata videas Ecclesiis quaecumque eis obvenerant, aut in posterum obvenire possint *ex emtione, traditione, comparatione, commutatione &c.* Quod quidem etsi confirmatione minime indigeat, attamen Lectorem non pigebit intueri disertis verbis expressum in Berengarii I. Diplomate Ticinensi, quod mihi ad instar archetypi scriptum videbatur, sed fortassis archetypum dicendum non est. Hujus etiam mentionem fecit egregius Comes Donatus Silva Mediolanens. in Differt. ad Synodum Ticinen. Tomo II. pag 416. * III. Rer Italic. Ibi verò, ut ego quoque inspexi, nisi me fefellerunt oculi, legebatur *Annus DCCCXCVIII.* copulatus cum *Indictione II.* Verùm Indictio II. non cohaeret cum Aprili Mense Anni 898. ac proinde scribendum videbatur *Anno DCCCXCVIIII.* & praecipue quod V. Kal. Aprilis Anno 898. minime decurrere potuit *Annus XII.* Regni Berengariani. Ad haec alterum quoque Diploma ejusdem Berengarii inspectum mihi est in eodem Archivo, hoc est penes Sanctae Mariae Theodotae Sanctimoniales Ticini, datum *Anno DCCCXCVIIII. V. Id. Martii Anno Regni XIII. Indictione III.* quod archetypum mihi tunc apparebat, memoratumque pariter videas a supra laudato Comite Silva. Occurrunt & heic ipsissimae, quae in superiori Diplomate, difficultates: quapropter utrumque monumentum subjicere Lectorum oculis statui, ut rem intimius perpendant. Equidem si verum fateri licet, legitima praestare nolim haec Privilegia, quum constet mihi ex tot aliis minime dubiis Begengarii I. Diplomatis, quae in hoc Opere dedi, ipsum communi Aerâ, & vulgari Indictionum ordine usum fuisse; suntque ex iis nonnulla in ipsa Ticinensi Urbe data, atque eisdem Sanctae Mariae Theodotae Sanctimonialibus concessa. Ubi ergo pari certitudine liquebit, Berengarium diversam interdum Chronotaxim adhibuisse, tunc omnem dubitationem exuam. Sed vide quae ego ipse attuli in Differt. XXXIV. *de Diplomat.* En interim utrumque Diploma.

Berengarii I. Italiae Regis Diploma, quo omnia jura & bona ad Monasterium Monialium Ticinensium S. Mariae Theodotae confirmat Anno 898.

„ IN nomine Domini nostri Jesu „ Christi Dei aeterni. Berengarius „ divina favente clementia Rex. Si „ circa servos & ancillas Dei muni- „ ficentiam nostrae benignitatis lar- „ gimur, credimus hoc ad animae „ nostrae salutem efficaciter pertine- „ re. Igitur omnium fidelium San- „ ctae Dei Ecclesiae, nostrorumque „ presentium scilicet & futurorum „ cognoscat industria, qualiter que- „ dam Dei ancilla Rixinda nomine, „ Monasterii Sanctae Dei Genitricis „ semperque Virginis Mariae Abba- „ tissa, quod est situm infra Urbem „ Ticinensem, & nominatur Theo- „ dote, pro diversis Monasterii sui „ utilitatibus . . . . . . ob amorem „ supremi Numinis praeceptum con- „ firmationis fieri dignaremur. Cu- „ jus precibus, quia justa petuntur, „ libentissime adquiescentes, hoc im- „ mu-

„ munitatis nostrae praeceptum conscribi jussimus, per quod omnino „ * percipientes jubemus, ut eadem „ Abbatissa degens sub Regula Sancti Benedicti idem Monasterium „ cum adjacentiis juste & legaliter „ pertinentibus, mobilibus atque immobilibus rebus, adquisitis & adquirendis usque in finem vitae suae „ teneat atque possideat. Insuper etiam confirmamus omnes res, quascumque idem Monasterium longo „ tempore dignoscitur possedisse a „ Gregorio ipsius Monastrii Fundatore. Idest inter ceteras res, campos, rivumque, quem ipse quondam Monasterii Fundator comparavit ab Ottone & Laurentio, cum „ Ecclesia Sanctae Mariae, quae dicitur Corbellari, ac etiam alia Ecclesia in honore Sancti Vincentii „ in loco, qui dicitur Venerosassi, „ cunctisque aliis rebus in omnibus „ locis atque vocabulis eidem Sancto Cenobio a tanto fundationis „ institutore concessis de jure parentum, seu donatione, traditione „ Regum, aliorumque hominum comparatione quorumcumque, & quarumcumque legalium conscriptione „ cartarum, aut postea praetaxatum „ venerabile Monasterium a donis „ Regum, atque Imperatorum Predecessorum nostrorum, aliorumque „ diversorum hominum ex emptione, donatione, fidelium quoque oblatione, traditione, comparatione, commutatione, libellorum cartarumque conscriptione adquisivit, „ ac deinceps juste & legaliter adquirere potuerit, tranquillo jure „ per hoc nostre auctoritatis preceptum possideat; & ut liceat eidem „ per hoc nostrae auctoritatis preceptum eidem Coenobio, secundum „ Regulam Sancti Benedicti de propria Congregatione Abbatissam eligere, sintque omnes res ejusdem „ Monasterii, tum homines liberi & „ servi, quamque omnes alias res „ sub Regali defensione munitae atque defensae. Et si necessitas fuerit de rebus & Familiis ipsius, „ per inquisitionem circumquaque „ manentium bonorum hominum, sicuti de nostris Regalibus rebus rei „ veritas approbetur. Hoc quoque „ statuimus, ut nullus Reipublicae „ Minister, neque aliquis ex Judiciaria potestate homines ejusdem „ Monasterii liberos, aut servos deinceps inquietare praesumat, nec loca ad causas audiendas, vel freda „ exigenda, aut tributa, vel mansiones, aut paratas faciendas, nec „ fidejussores tollendos, aut homines „ ejusdem Ecclesiae ingenuos vel servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ingredi audeat. „ Et quicquid exinde Fiscus noster, „ vel Pars publica sperare potuit in „ eodem Monasterio, secundum concessionem & confirmationem Lotharii, & Ludovici Imperatorum „ Predecessorum & Consanguineorum „ nostrorum, solemni ac perpetua „ stabilitate firmamus. Damusque ei „ licentiam, secundum eorum statuta „ de Silva Carbonaria materiamen ad „ reparationem ipsius Monasterii suscipere, ac ligna ad usum ignis habere „ juxta temporis opportunitatem. Et „ quandocumque necessitas imminet, „ naves ejus per Ticinensem Portum, „ tam per Portum Buricum, quamque per quemlibet alterum discurrere possint absque alicujus impedimento, vel telonei exactione. „ Et omnes rerum commutationes, „ quas predicta Rixinda Abbatissa „ fecit

„ fecit, maneant inconvulsae. Haec „ autem omnia superius allegata, sicuti a Predecessoribus nostris Regibus, seu Imperatoribus concessa „ & confirmata sunt, inconvulse concedimus & firmamus eidem venerabili loco perfruendum temporibus perpetuis jure firmissimo possidenda, ut sub tuitionis nostrae „ mundburdo secure & sinceriter perseverent. Insuper confirmamus in „ prefato Monasterio pro mercede „ animae nostrae Vadum unum in „ Pado ad piscandum, ubi nominatur ad Putheolam, habentem terminum superiorem, in quo currere solet, deinde percurrit ad eum „ locum, ubi Agonia influit Padum, „ constituentem praedicto venerabili „ Monasterio Insulas juxta predictam „ jurisdictionem ex utraque parte „ Padi, quicquid antiquo tempore „ idem Monasterium seu moderno „ obtinuit, vel Padus invasit, aut „ in futurum irruperit, de propriis „ ipsius Monasterii rebus sine Nebiasco usque in fluvium Ugoniae, „ deinde ipse finis descendit in Padum & ad termino, qui vocatur „ Grindolado, percurrit in Melum in „ situm, deinde ad Portum Caputla„cti, quantum idem Monasterium „ preterito tempore obtinuit suo jure, & nunc legaliter obtinere videtur, seu quod Cunipertus Rex inibi „ per suum contulit preceptum. Precipientes igitur jubemus, ut nemo „ ex fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae, „ simul nostris, neque presentibus, „ neque absentibus, parti praedicti „ Monasterii de his omnibus, que „ supra a nobis concessa, & confirmata sunt, quolibet tempore ullam presumat inferre molestiam, „ vel contrarietatem, sed sub omni „ integritate, sicut a nobis concessa „ & confirmata sunt, perenniter ibidem ad utilitatem Monasterii ipsius „ sine aliqua diminutione permaneant. „ Si quis autem, contra hujus nostri precepti securitatem, aliquam „ violentiam aut invasionem inferre „ tentaverit, sciat se compositurum „ auri optimi libras triginta, medietatem Palatio nostro, & reliquam medietatem parti ejusdem „ Monasterii. Et ut haec nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine „ obtineat vigorem, manu propria „ subter firmavimus, & annuli nostri „ impressione insigniri jussimus.

„ Signum Domni  Berengarii gloriosissimi Regis.

„ Petrus Cancellarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi.

„ Dat. V. Cal. Aprilis Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Anno „ verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis XII. Indictione II.

„ Actum Papiae Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Con-

Confirmatio Privilegiorum facta a Berengario I. Italiae Rege Monasterio Monialium Ticinensium S. Mariae Theodotae Anno 899.

„ IN nomine Domini nostri Jesu „ Christi Dei aeterni. Berenga„ rius divina favente clementia Rex. „ Si circa servos & ancillas Dei in „ venerabilibus locis famulantes tui„ tionis nostrae munificentiam, no„ stros praedecessores imitantes, cle„ menter impendimus, & apud Deum „ veniam promereri, & Regni nostri „ statum divina ope fulciri non am„ bigimus. Omnium igitur Sanctae „ Dei Ecclesiae, nostrorumque pre„ sentium scilicet, ac futurorum no„ verit industria, qualiter Andreas „ venerabilis Archiepiscopus Sanctae „ Mediolanensis Ecclesiae noster fi„ delissimus obtutibus nostrae maje„ statis optulit preceptum nostra pie„ tate collatum in Richisindam Ab„ batissam Monasterii, quod dicitur „ Theodotae, situm infra Urbem Ti„ cinensem, suppliciter postulans, ut „ eodem tenore in Rixindam ejusdem „ neptem, quae nunc est in eodem „ Coenobio Abbatissa, similiter no„ strum emitteremus preceptum. Cu„ jus precibus nostrae Celsitudinis „ animum inclinantes hoc immuni„ tatis nostrae praeceptum conscribi „ jussimus, per quod omnino preci„ pientes jubemus, ut eadem Abba„ tissa degens sub Regula Sancti Be„ nedicti id Monasterium &c. possi„ deat. Insuper etiam confirmamus „ omnes res, quascumque idem Mo„ nasterium longo tempore dignosci„ tur possedisse a Gregorio ipsius Mo„ nasterii fundatore, idest inter ce„ teras res Campus Zavani, quem „ ipse quondam tanti Monasterii fun„ dator comparavit a Tatone & Lau„ rentio cum Ecclesia in honore San„ ctae Mariae, quae dicitur Corbel„ lariaca, & alia Ecclesia in honore „ Sancti Vincentii in loco, qui di„ citur Ventrosassi, cunctisque aliis „ rebus in omnibus locis atque vo„ cabulis eidem Sancto Coenobio a „ tanto fundationis institutore con„ cessis &c.

„ Signum Domni  Berengarii gloriosissimi Regis.

L. Sig. cer. deperditi.

„ Beatus Notarius ad vicem Petri Episcopi & Archichancellarii recognovi, &
„ Data V. Idus Martii Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIIII. Anno
„ verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis XIII. per Indict. III.

„ Actum Papiae Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Commutationum vero quamquam obvia sint in Archivis Documenta, unum tamen Lectori, ut ominor, non ingratum futurum, exerere placuit, quod acceptum refero diligentiae doctissimi Viri Bartholomaei Campagnolae Archipresbyteri in Urbe Veronensi, qui illud ex Archivo Capituli Canonicorum Veronensium hausit.

Mona-

Monasterium Veronense S. Mariae ad Organum permutat Servum suum pro terra & vinea cum Odelberto. Anno 944.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnantibus Domnis nostris Hugo Rege hic in Italia Anno Nonodecimo, & Hlodorio Rege filio ejus Anno Quintodecimo, sub die de Mense Junii, Indictione Secunda feliciter. Sicut in Dei nomine placuit, atque convenit inter Petrus venerab. Abbas Monasterii Sancte Marie sito foris Portam Organi, necnon & inter Odelberto filius quondam Rotelcauso, ut in Dei nomine ambe partes inter se titulum commutationis facere deberint, quod ita fecerunt. Et quod in ordo legis contineri dignoscitur, ut unaquamque Ecclesia, sicut a longo tempore consuetudo fuit, ita ut servari debuerint: set in hunc Monasterium semper consuetudo fuit, ut de Servis, & Ancillis ipsius Monasterii dedisset, & rebus ad pars jam dicti Monasterii recepisset. Pro eo dedit & tradavit in primis jam ante dicti Petrus Abbas da partem suprascripto Monasterio in commutationem suprascripto Odelberto praesenti die & hora ad suam potestatem ad habendum, idest persona una Servo ipsius Monasterii nomine Leto pro Servo nomine ad habendum. Ad invicem recepit antedictus Petrus Abbas ad partem suprascripto Monasterio in commutationem da suprascripto Odelberto presenti die & hora ad eidem suprascripto Monasterio proprietatem ad habendum, idest terra cum vineas super se habet in loco uno juris eidem suprascripto Odelberto, que posita est in finibus Veronensibus in Transmonte . . . . perticas viginti & una, pedes sex, lato de uno capite perticas duas, pedes sex, de . . . . . . & semisse uno, ad pertica legitima de pedes duodecim ad extensis brachiis mensurata: quae de uno latus via, de alio latus Johannes habet. De uno capite Suniverga habet, de alio capite ingresso commune per currentem, & infra designato loco, vel ejus confines, seu & predictas coherentias cum omnia super se habet, seu & suprascripto Servo, quem jam predictis commutatoribus, que sibi ambe partes unus alterius ad invicem tradiderant, & exinde sibidem nullam reservaverunt una cum ingresso communi. Hac autem ipsa commutatio visa atque estimata est ex utraque partium per Teudibertus & Goribertus Presbyteris, & Audibertus Diaconus missis da partem suprascripti Monasterii; & cum eis fuerunt bonis idoneis homines, corum fides amittitur, idest Pedelbertus da Ponte filius quondam Zeudiberto, & Gisevertus de Castro Veronensi filius quondam Auiverto, & Modelberto filius quondam Suniverto de foris Portam Organi. Et ipsi toti insimul estimaverunt justa legem, quod pars suprascripto Monasterio ab illo die plus meliorem & ampliorem rem recepisset, quam ipso Servo valuisset. Promittentes autem propterea ipsis commutatores, ut si ipsis, vel eorum successores atque heredes, si contra ea, que commutaverunt atque tradaverunt, ire temptaverint, aut eam frangere quesierint, & ab omni homine non defensaverint, & probatum fuerint, tunc tantum & in quantum suprascripta commutatio cum omnia super se habuisset, suprascripto Servo eo tempore sub estimatione melioratum valuerint, de quantum exinde unus alterius eidem defendere non potuerint, aut contendere, vel minuare quesierint, ut

ut in duplum restituant pars parti fidem servanti, cui super quam culpa respexerint ab ipso, qui in sua fide vel & scripto permanserint, vel ad eorum successores atque heredes, aut cui ipsis dederint. Et hac pagina commutationis omnique tempore firma & stabilis inconvulsa, & inrevocabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Acto ad suprascripto Monasterio feliciter.

Ego Petrus Abbas in hac commutat. a me facta manu mea subscripsi.

Ego Zeudibertus Presb. & Monachus in hac commutat. missus interfui, & mm. ss.

Ego Garibertus Presb. Monachus atque Prepositus in hac commutat. missus interfui, & mm. ss.

Ego Audibertus Diac. in hac commut. missus interfui, & ss.

Ego Grauso Presb. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Fradibertus Presb. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Zeudibertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Fredibertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Bonivertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Signum ✠ manibus suprascriptis Pedelbertus, & Gisevertus, & Madelbertus, qui in hac estimacione interfuerunt, & estimaverunt, & manus suas posuerunt.

Signum ✠ manibus Zeno filius quondam Audiberto, & Trasiverto filius quondam Suniverto, & Adelberto qui Bundello vocatur, viventes lege Romana testes.

Signum ✠ manibus Leudiberto, & Euvemperto germanis filiisque Neoni testes.

Signum ✠ manibus Bonegiso filius quondam Petro Nisabro, & Johannis filii quondam Fradiberto testes.

Ego Liutefredus Clericus Notarius, qui hanc paginam scripsi, & postradita complevi.

Quincto non mediocris bonorum copia in jus ac potestatem Ecclesiarum, sive Coenobiorum, concessit ex pia illorum industria, qui fortunas suas publicorum tributorum oneri subtrahere cupiebant. Quum enim Episcopia, Collegia Canonicorum, Monasteria, atque aliae sacrae Aedes, aut Ecclesiastici coetus, multis privilegiis ac immunitatibus ex beneficentia Imperatorum & Regum fruerentur: Seculares homines in propriam utilitatem intenti, ut hujusmodi privilegiorum participes efficerentur, sua donabant Ecclesiis, eâ conditione tacite adiectâ, ut eadem rursus ab Ecclesiis reciperent in Emphyteusim, exiguam tantummodo polliciti pensionem, qua sacri loci dominium, ut ajunt, directum quotannis agnoscerent ac testarentur. Eâ ratione, mutato duntaxat titulo seu nomine, fundos suos sagacissimi donatores retinebant sibi suisque posteris fruendos, immunesque insuper a publicis oneribus efficiebant. Ecclesiae verò, deficientibus iis, eorumve liberis atque nepotibus, ejusmodi res, tanquam postliminio ad se reversas, tandem recolligebant, atque integre jure suo possidebant. Non pauca hujusce consuetudinis exempla suppetunt in antiquis Archivorum membranis, in Chronicis Monasticis, Librisque etiam editis. Verùm Pippinus Italiae Rex, sive ut ego edidi, Lotharius I. Augustus, fraudem hanc attentius quam sui praedecessores perpendens, eamque in non leve incommodum publicae rei vergere deprehendens, latâ Lege, quae inter Lotharii Langobardicas XXII. habetur, eidem frenum

num injecit, mandans ut in posterum hujusmodi res Ecclesiis donatae, ac rursus titulo Emphyteusis receptae, publicis functionibus obnoxiae essent. *Placuit nobis* (ita ille) *ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublicae utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas Ecclesiis delegant, easque denuo sub Censu utendas recipiunt, ut quousque ipsas res possident, hostem & reliquas functiones publicas faciant. Quod si jussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, nostra non resistente emunitate* (hoc est, non obstantibus immunitatibus ac Privilegiis per nos concessis cuicumque Ecclesiae) *ut status & utilitas Regni hujusmodi adinventionibus non infirmetur.* Attamen vel post hanc Legem Pippini, sive Lotharii, aut ut melius dicam utriusque, perrexerunt multi eo pacto sua largiri Ecclesiasticis Collegiis aut locis. Nam quamvis publica omnia onera minime hac arte evaderent, nihilo tamen secius a Fisci unguibus, atque a potentiorum violentiâ, sub umbrâ ac patrocinio Ecclesiae, bona illa emphyteutica facilius tuebantur. Ejusmodi Emphyteuseon innumera, paene dixi, exempla adservantur adhuc in locupletissimo Tabulario Canonicorum Mutinensium, unde duo tantummodo excerpsi. Scripta est una ex iis Chartis Anno *Enricus gratia Dei Rex Anno Regni ejus Deo propicio in Italia Tercio, Sexto Kal. December Indict. Quincta. Et ideo in Dei nomine ego Warinus gratiâ Dei Episcopus Sancte Mutinensis Ecclesie per insyteocharia adque precario nomine concedo tibi Adelburga filia quondam Petri &c. pecies quatuor de terra infra Castro qui dicitur Nova &c. Quas ipsas pecies de terra tu que supra Adelberga per cartulam offersionis pro tuam salvacionem emisisti in me qui supra Warinus Episcopus ad pars ipsius Ecclesie Sancti Geminiani &c.* Notae Chronologicae Annum MVI. exhibent. Accipe & alteram Chartam in eodem Tabulario Mutinensi exsistentem, & scriptam Anno Christi 841. aut 842. hisce Notis: *Lutharius divina ordinante providentia Imperator Augustus hic in Italia, Anni pietatis Regni ejus Deo protegente Vigesimo tertio, die Nonodecimo de Mense Septembrio Indict. Quincta. Leodobinus Gastaldus, & Crystaberga jugalibus petimus a vobis Domne Jona gratia Dei Episcopus Sancte Ecclesie Motinensis &c. concedere nobis dignetis &c. omnes res illas, quas ego qui supra Leodobino per cartula donationis pro remedio anime mee in Ecclesia Sancti Geminiani emisi, omnia in integrum &c.* Habemus heic Epocham Lotharii I. Augusti, quae familiaris Mutinae fuit, uti indicant geminae aliae Chartae in eodem Archivo a me visae, quarum prima scripta his Notis: *Ludowicus, & Lutharius divina providentia Imperatores Augusti, Anni Imperii eorum in Christi nomine Decimo, & Quarto, die Vigesimo primo Mense Junio Indictione Prima.* Idest Anno 823. Altera has Notas praefert: *Ludovicus & Lutharius divina providentia Imperatores Augusti, Anni Imperii eorum in Christi nomine Septimo decimo, & Undecimo, die Vigesimo secundo de Mense Octubrio, Indictione Nona.* Idest Anno 830. Hinc habes Lotharii Epocham, ex quo Rex Italiae Anno 820. constitutus fuit, continuatam fuisse vel postquam Imperatoria dignitate auctus Coronam Romanam suscepit. Et eum quidem jam Anno 817. consortem Imperii Ludovicus Augustus pater effecerat. Idem quoque mos in Francorum Re-

gno familiaris passim fuit. Porro quaecumque *Precariae* aut *Praestariae* referuntur inter Marculfi Formulas, & in Appendice Baluzii, & in Formulis Lindebrogii, aliquid exhibent sacris locis donatum, quod postea Emphyteusis titulo recipitur, aut loco illius aliquid aliud Libellario jure possidendum, donatori traditur. Et ne Mutinae tantùm consistam, atque ut aliunde exempla petam, en tibi Chartam Senensem, quam mihi descripsit in horum temporum eruditione, dum vixit, versatissimus, & doctissimus vir Hubertus Benvoglientus Patricius Senensis, ex membrana exsistente apud nobiles viros Bichios Comites Scorgiani Senenses. Olbertus Presbyter & Petrus Diaconus Canonicis Senensibus *per chartulam offersionis* duas domos dono dederant; exinde verò easdem petunt & recipiunt titulo Emphyteusis. Eo etiam gratior Charta haec obveniat, quod ibi occurrant *Cardinales Ecclesiae Senensis:* de quo titulo ac munere Disquisitionem LXI. supra dedi.

Canonici Senenses Olberto Presbytero, & Petro Diacono in emphyteusim duas domus concedunt Anno 1000.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domno nostro Otto Tertio gratia Dei Imperator Augustus Anno Imperii ejus Deo propitio in Italia Quarto, Septimo Idus Aprilis, Indictione Tertiadecima. Igitur in Dei nomine nos Johannes Clericus, & Cardine, & Prepostus Sancte Marie Domus Episcopio Senense, & Andreas Archidiaconus, & Sigizo Clericus . . . . Petrus Clericus & Primicerius, Sigizo Presbiter & Cardine, Petrus Clericus & Cardine, Martinus Diaconus & Cardine, Bonizo Diaconus & Cardine, Johanni Diaconus & Vicedominus, Johanni Clericus & Cardine, Johanni Diaconus, Widó Clericus, Azzo Clericus, Sigizo Presbiter, qui sumus de Canonica Sancte Marie, qui nos abemus ad custodiendum & a regendum de pars Ildebrando Venerabilis Sancte Senensis Ecclesie Episcopo, modo vero per uno libello, & pro nostra vera qui supra convenientia a pensionis nomine dare providimus vobis Olberti Presbitero filio bone memorie Alberti, & Petro Diacono filio bone memorie Petroni, per consensum Fratrum Canonicorum nostrorum: Idest Casis & rebus ille due qui sunt in Casalis & vocabulo Rigotuso de Bicolle Augustuli. Una Casa, que regitur per Tupeto, & per Urso; alia Casa, que regitur per Marco. Ab omni circuitu sunt designate & terminate; de una parte se tangunt Ecclesiam Sancte Marie; de alia pars . . . . . . que fuit Teuzi; de tertia pars . . . . a terra que fuit . . . . . . de quarta pars de Curte & via publica pervenientes usque in fossato. Alia terra, quae est in suprascripto loco, qui vocatur Colle a Castelli, de una pars se tangunt terra mea qui supra Olberti Presbitero de latus, & de suptus, & desuper se tangente a terra Sancte Marie . . . . suprascripta terra, que per suprascripte locas sunt designates & determinates, cuncta sunt de vinea, de pomis arboribus, cum omnia infra & desuper se abentes . . . tu Olberto Presbitero per cartulam offersionis misisti in predicta Canonica Sancte Mariae, sicut supra legitur, in vos qui supra tu Olberto Presbi-

sbitero, & Petro Diacono, Barbas & Nepos, diebus vestris in integrum dedi, & confirmavi abendum, tenendum, laborari faciendum . . . . & vestros recte . . . . . . & non pejoretur, & per omnia que supra legitur detis & persolvatis in pensione per vos aut per vestrum de vos diebus vite vestre, vel per vos misso, nos qui supra suprascriptorum denominati Canonici, aut a vestris posteris, Successoris Rectoris de predicta Canonica, vel a Proposito, aut a Ministeriale de predicta Canonica Sancte Marie per singulos annos de infra Mense Decembre denariis viginti & quatuor bonis spendibilibus. Volumus, atque constituimus nos supradicti Canonici denominati . . . . . . decesso Olberto Presbitero, & Petro Diacono, ipsa suprascripta terra & Case devenire in potestatem Alberti, & Petri; & Wilielmi germanis filii bo. me. Albstirgi, qui sunt Nepotes Olberti Presbitero, & in filiis heredibus eorum; & qualis de illi sine filios legitimos mortuus fuerit de ille qui supravixerit in portione defuncti succedat de suprascripta terra cum filiis & eredibus suis ad ipso suprascripto salvo . . . . dandum & non amplius. Et per nulla . . . . vel pro qualibet superflua vobis nulla super imponamus. Novilias, & . . . . . . seu frugens, & laborationes in vestra sit potestatem faciendum quod volueritis. Et si nos qui suprascripti denominati Canonici, aut a nostris posteris successores Rectores de predicta Canonica vobis Olberti & Petro Diaconus diebus vite vestre, & per vos decesso Alberti, & Petri, & Willelmi, & a filiis eredibus eorum amplius violento hordine superimposuerimus, aut si eam vobis suprascripta terra & case recollecte aut minime quesierimus per quodvis ingenio nisi quod supra legitur: tunc componamus nos vobis pena numerum de argento solidos centum providere promittimus nos qui supra Olberto Presbitero, & Petro Diacono diebus vite vestre vobis suprascripti denominati predicti Canonici & a nostris posteris successores predictos de predicta Canonica. Quod si omnia, qualiter vos suprascriptos decrevisti facere, adimplere restiterimus, & non adimpleverimus, si sicut suprascripta cartula non permanserimus, sicut supra legitur, tunc componamus nos vobis pena numerum de argento solidos centum, quia inter nobis taliter convenit. Quam vero duobus libelli convenientia nostra, qualiter supra legitur, Wido Notario Domni Imperatoris scribere rogavimus. Actum Sena.

Johanni Clericus Cardine & Prepositus ss.

Andreas Archidiaconus & Cardine ss.

Ego Sigefredus Clericus & Prior Scole ss.

Wido Clericus ss.

Petro Clericus & Primicerius ss.

Ego Johanni Clericus & Cardine ss.

Johanni Diaconus & Vicedominus ss.

Ego Johanni Diaconus ss.

Ego Martinus Presbiter & Cardine ss.

Bonizo Diaconus & Cardine ss.

Ego Maizo Presbiter consensi & ss.

Sigizo Clericus consensi & ss.

Suzo Presbiter ss. Ego Petro Clericus consensi.

Ego Olbertus Presbiter a me fa . . . . .

Ego Petro Diaconus a me fa . . . . .

Ego Donatus rogatus. Ego Rollando rog. . . . . . .

Ego . . . . Wido Notarius Domni Imperatoris postradita complevi & dedi.

Atque ex hac potissimum caussa factum est, ut potentiores Ecclesiae pluribus in dies augerentur agris & juribus. Nam quo major erat potentia

rentia, majoraque Privilegia alicujus Ecclesiae, eo facilius homines sub ejus umbra, & protectione sua bona collocabant. Ac propterea ingentem fundorum, & opum copiam congessere Episcopi, ac praecipue Archiepiscopi, seu eorum Ecclesiae, simulque Abbates ac Monasteria prae ceteris eminentia, quum istis majores essent vires ad suos clientes, subjectos, & emphyteutas tuendos, eorumque bona protegenda. Rursus ob hanc praesertim caussam accidit, ut in tot diversis, atque etiam remotis Comitatibus ac locis Ecclesiae & Monasteria Cortes, Ecclesias, aliaque bona possiderent. Qui enim eadem bona Ecclesiis offerebant, ita ut iis in posterum frui pergerent, remotiora non raro loca sacra conquirebant, quibus sua subjicerent, duplex emolumentum inde sperantes. Scilicet, se minime vexandos a tam longinquis dominis, & nihilominus fructum certum se ex eorum patrocinio percepturos, dum levem censum quotannis persolverent. Auctor est Petrus Diaconus Lib. IV. Cap. 25. Chronici Casinensis, Anno 1105. *Mathildam Comitissam concessisse* Coenobio Casinensi *tertiam partem de Curte Sancti Benedicti, quae dicitur in Pastorini.* Erat ista Curtis in Lombardia, & fortassis in Regiensi, aut Parmensi agro. Neque eam concessit, aut donavit Mathildis Comitissa Monasterio Casinensi, sed quidem dimisit; quippe quae ad Casinates *venerat ex parte Girardi de Curviatico*, nunc *Covriago* in territorio Regiensi. En quàm longinquis in partibus homines quaererent, cui sua donarent, iisdem tamen, dum viverent fruituri. Accipe ego Chartas a Petro Diacono hac de re memoratas, atque e Tabulario ipsius Monasterii Casinensis depromtas.

Judicium Mathildae Comitissae de rebus Sancti Benedicti de M. Casino in Longobardia in loco Pastorini Anno 1105.

ANno ab Incarn. Domini MCV. X. Kal. Julii, Ind. XIII. Cum resideret Domina Mathilda in loco Sancti Caesarii in judicio residentis ibique Bono Judex ceteris compluribus aliisque fidelibus adpraestantibus, scilicet Araldus da Meileagnano, & Ugone Armato, & Alberto de Manfredo, & Ubaldo de Scavato, & Plaginerius filio Bulgarelli, & Teberto de Nonantula, Causidicus quoque Odaltus, & Cuno de Bondeno, & Sigezzo filio Lamberti de Bononia, & aliis quampluribus: Petiit Georgius Sacerdos, & Monachus missus Casinensis Ecclesiae Sancti Benedicti tertiam portionem de quadam Curte, quae vocatur in Pastorini, ex parte Abbatiae Sancti Benedicti propter Deum, & animae mercedis Dominae Mathildae. Suprascripta Domina Mathilda cum taliter audisset, pro remedium animae suae concessit & permisit habere tertiam portionem de Curte Sancti Benedicti, quae dicitur in Pastorini, sicuti ei venerunt ex parte Girardi da Curviatico, in illis locis, sicut supra legitur, ubi inventae fuerint; & jam dictum Monasterium de Monte Casino faciat in usum, & super eum Monasterium quicquid voluerit sine alicujus datione, & sine omni contradictione supradicta Domina Mathilda, & ejus heredes post ejus decessum. Et insuper addidit poenam, ut si quis Princeps, aut Comes, aut Vicecomes,

comes, seu alia qualibet persona molestaverit suprascriptum Monasterium, ut sciat se compositurum nominatae poenae libras LX. auri optimi, medietatem parti publicae, & medietatem predictae Ecclesiae.

A

✠ *Mathilda Dei gratia si quid est.*
Ego Bonus Judex sacri Palatii interfui, & firmavi. Ego Odaldus Causidicus interfui. Ego Dominicus sacri Palatii scripsi, & subscribendo complevi.

Alterum Judicium de eadem re Anno 1105.

Anno ab Incarnat. Domini MCV. mensis Junii, Indict. XIII. Dum in Dei nomine in loco Sancti Caesarii juxta Basilicam resideret Comitissa ad causas audiendas ac deliberandas, residentibus cum ea Agerius, & Bono de Nonantula, & Ubaldo Judicibus, & Odaldo Causidico de Florentia, ibique cum ea Saxo de Bibianello, & Ugone Armato, & Albertus Lupo, & Miles da Goriano, & Aczo de Macreto, Giorgius, & Guido Adgieri, & aliis pluribus: petiit ibique in eorum praesentia Georgius Sacerdos & Monachus missus Casinensi Ecclesiae Sancti Benedicti, Ecclesia Sancti Benedicti de loco, qui dicitur Pastorini, ut permisisset, & consensisset, eam habere cum omnibus rebus juris supradictae Ecclesiae, quod nunc habet, & acquirere potest. Suprascripta Domna Mathilda cum taliter audisset, concessit & permisit habere suprascripta Ecclesia ad praedictum Monasterium cum illis rebus, quod nunc habet, vel acquirere debet. Et insuper addidit poenam, quod si quis Comes, aut Capitaneus, aut alia qualibet persona, aliquam injuriam, vel contra versutiam, vel molestiam adversus suprascriptam Ecclesiam sine legali judicio, ut sciat se compondituros nominatae poenae libras LX. denariorum Lucensium, medietatem parti publicae, & medietatem praedictae Ecclesiae.

Actum est hoc in loco Sancti Caesarii in praesentia plurium bonorum hominum feliciter.

B

✠ *Mathilda Dei gratia si quid est.*
Ego Aggerius Regiae Aulae Judex interfui, & subscripsi. Ego Nominini hoc signo. Judex Bonus haec ego firmo. Ego Adaldus Causidicus. Ego Ubaldus Judex. Ego Dominicus Sacri Palatii Notarius scripsi, & subscribendo complevi.

C

Sexto, aliam viam inierunt Ecclesiarum Rectores, ut aliorum bona suis adjungerent; idque potissimum in usu fuisse video Saeculo Christi Undecimo. Petebat aliquis a sacris Viris in Emphyteusim, annuo censu promisso, agros, domus, Curtes etiam & Castella ad Ecclesiam spectantia. Quo id faciliori negotio impetraret, tantumdem, plusve minusve suorum bonorum Ecclesiae illi offerebat atque donabat; sed eo pacto, ut ista etiam unà cum portione supradicta *precario* seu *libellario nomine* reciperet, iisque omnibus uteretur ac frueretur ipse, dum vita comes foret, aut etiam ejus filii atque nepotes. Atque huc respicere debent, qui interdum mirantur, cur sub onere tam levis Census tot Seculares praedia etiam ampla possideant, ad jus Ecclesiarum spectantia. Plerumque haec ipsa illorum Majores sponte Ecclesiis donarant, atque ab eis rursus Emphyteusis titulo receperant. Hac quoque methodo par est credere, adauctum fuisse Ecclesiastico-


flicorum Censum. Vitâ nempe functis Emphyteutis, tum sua, tum aliena sacer ille locus, aut coetus recolligebat. Sed hanc methodum periculis multis obnoxiam fuisse ostendam infra in Differtat. LXXII. ubi varias recensebo caussas, ob quas Ecclesiae a tot opibus deciderunt. Addendum quoque est, Ecclesiastico ordini ne licuisse quidem titulo Emphyteusis aliquid Secularibus petentibus concedere, nisi ab iis liberali erga se Ecclesiae donarentur agri proprii, dimidium saltem pretii valentes earum rerum, quas ab Ecclesiis accipiebant. Ita tamen dona haec plerumque fiebant, ut etiam agro donato frui liceret donatori, quandiu viveret. In Synodo Meldensi Anni 845. constitutum fuit Cap. XXII. ut *Precariae a nemine de rebus Ecclesiasticis fieri praesumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiae, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias, & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit*. Quod si rei donatae usumfructum minime sibi reservabat Saecularis, sed ejus statim possessionem ac usum in Ecclesiam transferebat, tunc *ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumebat*. Canonem hunc laudat etiam Gratianus 12. q. 2. c. *Precariae*. Sunt & alia Concilia idem statuentia, quorum tamen legem mirum est, quot olim obliti fuerint, aut imperterriti conculcarint. Ceterum in Cathedralis Mutinensis Archivo quamplurimae vetustissimae pergamenae non levem copiam ejusmodi Emphyteuseon suppeditant. Ac praeter alias unam jam dedi supra in Differt. I. *de exter. gentib.* ubi Bonifacius Marchio, & Dux Tusciae Anno 1034. ab Ingone Episcopo Mutinense duas Curtes in Emphyteusim accipit. Alteram Chartam hujus rei testem nobis nunc exhibet Archivum Estense. Obtulerat *Hugo Comes filius quondam Hugonis Marchionis*, una cum *Mathilda* uxore sua Episcopio Ferrariensi, quaecumque sibi obvenerant *de hereditate quondam Almerici tam in Comitatu Ferrariense, quam in Gavellense*. Itaque eodem die Rolandus Ferrariensis Episcopus non ea solùm, quae ii donarant, sed alios Ecclesiae suae agros & decimas iis in Emphyteusim concedit. Vide in Differt. XV. *de Manumission.* alteram Chartam, quae ad hunc ipsum *Hugonem Comitem* pertinere mihi visa est. Adde & alteram Chartam, quae in Additam. ad Chronicon Casauriense a me evulgata fuit Part. II. Tomi II. Rer. Ital. quam supra expendi in Differtat. VI. *de Marchion.* Scripta autem dicitur Estensis Charta Anno 1062. Februario mense, *Henrico Tertio regnante Anno Quintò*. Pagius in Crit. Baron. Henrico inter Augustos Tertio, inter Germanicos Reges Quarto, Epocham unicam Regni tribuit, deductam a morte Henrici II. Augusti ejus patris, quae III. Non. Octobr. Anno 1056. contigit. Heic habes Epocham Regni, ut puto, Italici serius inchoatam, fortasse quod Itali Proceres non statim censuere, puerum sibi eligendum in Regem.


Inve-

Investitura, seu Charta Emphyteusis quarumdam Plebium & agrorum concessa Hugoni Comiti filio quondam Hugonis Marchionis, & Matildae ejus Conjugi, a Rolando Episcopo Ferrariense Anno 1062.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominice Incarnationis Millesimo sexagesimo secundo, Pontificatus Domni Alexandri Papae Anno primo, Regnante Henrico Tercio quondam Henrici Imperatoris filio Anno quinto, die quarto decimo mensis Februarii, Indictione quintadecima, in Palacio juxta Ecclesiam Sancti Georgii Episcopii Ferrariae. Notificamus ad memoriam futurae recordacionis qualiter Domnus Rolandus egregius Episcopus Sanctae Ferrariensis Ecclesiae *concessit, & largitus est titulo atque investitura beneficii Domno* UGONI COMITI *filio quondam* UGONIS MARCHIONIS, *nec non inclitae uxori ejus* MATILDE *totam, & integram plebem Sancti Georii, quae dicitur Intramara, & integram medietatem . . . . plebe Sanctae Mariae de Gabiana, & Villa quae vocatur Rotunduli, & decimationem, & totam decimationem habitantium omnium in Villa Corrigiae, tam ex una parte gurgi, quam ex alia. Et insuper donamus quantum nobis pertinet per testamenti paginam Archae positum Via Uratica, vel in aliis locis, quae omnia sunt recta & laborata per manus heredum Milonis, atque heredum Almerici cum illorum consortibus. Et iterum concedimus vobis praedictis similiter pro beneficio, quantum vos ambo scilicet vir, & uxor concessistis hodie michi, meaeque Ecclesiae imperpetuū quae vobis obvenit quocumque modo vel titulo de hereditate quondam Almerici tam in Comitatu Ferrariae, quam in Gavellense. Eo videlicet pacto atque tenore, ut si quis ex vobis duobus predictis prius obierit, sine aliqua diminucione deveniant atque permaneant in potestate & lucro ejus qui supra vixerit. Et qui supravixerit si cum legitimis haeredibus mortuus fuerit, deveniant haec omnia ad haeredes eodem jure beneficii. Quod, ut absit, si contigerit vobis ambos sine haeredibus mori, haec omnia integraliter revertantur sine aliqua occasione vel mora ad praedictam nostram Ecclesiam, cujus est jus & proprietas. Et si ego Rolandus praedictus Episcopus haec omnia cum meis Successoribus non observaverimus, vel vobis eam tollere, aut diminuere vel vestris haeredibus, ego cui aut mei Successores per vim voluerimus; tunc promitto, atque obligo me, meosque Successores dare, vel componere vobis praedictis vestrisque haeredibus auri optimi libras sex, & post solutam poenam hoc beneficium permaneat in suo robore firmitate. Quod pactum per manus meas Gregorii Diaconi, atque Sanctae Ferrariensis Ecclesiae Notarii conscriptum veraciter usque ad finem deductum sub die, mense, & Indictionibus praescriptis omnibus rogatus complevi & dedi.*

✠ *Bonus Judex Romani Juris Rolandum Episcopum rogantem videns ss.*


Ego Signoritus Sacri Palacii Judex interfui & subscripsi.

Signum manus 

Guidonis de Frederico & Gerli qui Ver-

Vertelo, & Pagani Alberici filius, & Uberti . . . . Domni praescripti Episcopi, & Agislulfi, Gisulfi, atque Ezolo Guezonis, Arimundi, Johannis Tabelii, Adam de Amizo, Ungarelli, & Vettoli ad omnia praedicta, cum relectum est teste sicut supra legitur.

Noticia testium, idest	*vlx*	*testis*
Guidonis	*vlx*	*testis*
Teli Johannis	*vlx*	*testis*
Pagani	*vlx*	*testis*
Uberti Adam	*vlx*	*testis*
Agisulfi Ungarelli	*vlx*	*testis*
Gisulfi	*vlx*	*testis*
Ezoli Etto	*vlx*	*testis*
Guezonis	*vlx*	*testis*
Arimundi	*vlx*	*testis*

Simile exemplum Emphyteusis praebebit haec altera Charta, in qua olim Nobilis Familia Mutinensis, nunc autem extincta, de *Bajoaria*, memoratur. Ibi animadvertas velim, Albertum de Bajoaria, quod Vassallus esset *Bonifacii Marchionis Tusciae* petiisse ab eo veniam, ut hanc Emphyteusim sibi conquirens a Monasterio Nonantulano, quorundam agrorum donationem eidem Coenobio faceret.

Libellus Adelaxiae uxoris Alberti de Bajoaria nobilis Mutinensis, per quem petit ac impetrat in emphyteusim multa bona a Rodulfo Abbate Monasterii Nonantulani, Anno 1043.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen. Anni ab Incarnacione D. N. J. C. Millesimo quadragesimo tercio, decimo Kal. Junius, Ind. XI. Ego Adelaxia filia quondam Mantu de loco Legorzana, e conius Alberti de loco Bajoaria, per consensu ipsius Alberti jugale meo, ac eidem Alberti consensi, & licenciam dedi Domno Bonefacius Marchius seniori nostro, *at vos* Domnus Rodulfus Abba de Monasterio Abbacie Sancti Silvestri, sito Nonantule, *ut tu mihi & at filii, hac nepotibus, qui de me, & de suprascripto Alberto jugale meo communi nostro amplexu nati fuerint masculinis filiis enfitheothecario nomine usque at expletum tercia generatione diebus vite nostre concedere dignaretis: hoc est casis & massariciis, seu omnibus rebus territoriis illis juris suprascripto Monasterio Abbacie Sancti Silvestri, quibus sunt positis in locas effundas Ustillia, & ubi dicitur Bragantino, seu ubi vocatur Caridulo &c. Et ego quidem Adelaxia presentialiter pro ipsis rebus omnibus, quas vos petivi, dono, & offero, & per Cartulam offersionis a parte predicto Monasterio abendum confirmo, hoc sunt casis, & molendino, seu rebus territoris, qui sunt mansos &c. in locas effundas, ubi dicitur Pacianu, & ubi vocatur Runco Bennuli, seu ubi nominatur Faida &c. Quidem & ego ipse Rodulfus Abbate obaudivi, & petitionem suam intellexi &c.*

Ejusmodi Emphyteuseon alterum quoque exemplum vide in Additam. ad Chronicon Casaur. Par. II. Tomi II. Rer. Ital. pag. 952. ubi *Atto Comes* Anno 957. ab *Hilderico Abbate* de Curte quadam investitur. Hisce Chartis nunc adjectam volo unam ex Tabulario Benedictinorum Monasterii Regiensis Sancti Petri depromtam, in qua *Comes Abbas, & Duchissa* ejus Conjux jura ac bona praememorati Monasterii in Castro Gualterii titulo Emphyteusis adquirunt, ea conditio-

ditione ut eorum quoque bona post vitam suam in ditionem Monachorum veniant. Nomina ista *Comitis Abbatis*, *& Duchissae*, cogitationes multas mihi ingessere, quum peregrina sint, si propria putem, & magis etiam peregrina, si aliquem eorum titulum sine proprio nomine designent. Judicium suum, inspectâ ipsâ Chartâ, Lector pronuntiet.

Comitis Abbatis, & Duchissae ejus Conjugis concordia cum Attinulpho Abbate Monasterii S. Prosperi, nunc S. Petri, Regiensis de rebus Castri Gualterii Anno 1155.

In nomine Dei eterni. Anno ab Incarnat. D. N. J. C. MCLV. de mense Junii, Ind. III. Breve recordationis ad memoriam retinendam: Qualiter Domnus Guido Abbas Monasterii Sancti Prosperi de Regio, *& Comes Abbas atque Duchisa Conjux sua inter sese concordati sunt de patto & conventu, quod ipsi olim fecerunt cum* Domno Attinulfo Abbate Monasterii Sancti Prosperi. *Placuit Comiti Abbati, & Uxori ejus petere Domnum Attinulfum, ut eis concedere dignaretur diebus vite eorum quicquid Monasterium Sancti Prosperi possidet, vel possidere videtur in Castro Gualterii prope Campigine ex parte* Comitis Bosonis, & Uberti Comitis, & Comitisse Berte *intus Castro, & foris, preter Ecclesiam ejusdem Castri cum omnibus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, & mansos, quos* Beatris Matildis Comitissa *dedit jam dicto Monasterio, & domum Prandi cum omnibus ad nostram partem Monasterii pertinentibus. Et ipse Comes debet sibi acquirere, & vendicare partem Patris sui, & partem Ugonis Avunculi sui, & quidquid fili Ugonis Gislardi videntur tenere in predicto Castro & Curte tam intus, quam foris, eo videlicet ordine, ut per eos meliorentur, & non pejorentur. Et pro suprascriptas res, quas Monasterium nobis, qui supra jugalibus concessit, damus, & concedimus suprascripto Monasterio Sancti Prosperi ad jus & proprietatem quicquid nos q. s. Jugales habemus, & detinemus, aut per nos detente fiunt per quocumque modo intus Castro Gualterei, quam a foris in predicta Curte omnia & ex omnibus a nobis pertinere videntur in. in, ita ut nos q. s. Jugalibus debeamus tenere & usufructuare rem meam & vestram diebus vite nostre, & non habeamus potestatem de suprascripta re, scilicet de vestra, vel de nostra dare, vel aliquo modo transferre, nisi usufructuare diebus vite nostre, sicut supra legitur; post autem decessorum nostrorum, qui supra jugalium prenominatas res vestra & nostra deveniant in suprascripto Monasterio, cujus est proprietas, sine omni molestatione, quia sic nobis bona decrevit voluntas pro anime nostre mercede.*

Actum in Castro Campigine in casa supradictorum Jugalium feliciter.

Signum manibus suprascriptorum Jugalium, qui hoc breve fieri & scribere rogaverunt, in qua etiam subter confirmans testibus cum stipulatione subnixa.

Testes interfuerunt Gerardus de Nizola, Ardicio Caritatis, Blancus Abbatis, Roba Coradinus Regenti, Vitalis de Luzaria, Gerardus Tribugolus, Rodulfus de Fagita rogati sunt.

Ego Ingo Notarius Palatinus rogatus interfui & scripsi.

Septimo, jam diximus, sub Constantino Magno Ecclesias coepisse capere hereditates integras, & legata testatorum piorum. Nunc addo, sub Regibus Langobardis, quos nonnulli tantopere contemnunt aut execrantur, amplificatum fuisse jus testantibus, ut liberaliores in sacra loca forent. Praeter Legem VI. Lib. I. Liutprandi Regis: *Si quis Langobardus, ut habet &c.* ubi cuicumque facultas *pro anima sua judicandi de rebus suis* tribuitur, altera ejus Lex: *Hoc prospeximus*, Lib. IV. Cap. I. jubet, ut ne alicui, nisi aetatem annorum XVIII. superarit, liceat alienare res suas, sed simul addit, *ut si cuicumque ante ipsos decem & octo annos evenerit aegritudo, & se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro anima sua in sanctis Locis caussa pietatis, vel in Xenodochio, judicare quod voluerit; & quod judicaverit, stabile debeat permanere.* Hinc factum est, ut deinde in Langobardico Regno, vel ipsi pueri atque impuberes testari, suaque sacris Locis largiri sinerentur. Proinde credendi sunt Clerici & Monachi non segnes ex hujusmodi Legislatoris benignitate, atque ex puerorum tenera aetate profecisse non raro. Bina consuetudinis hujus exempla ex vetustis tabulis petita Lector accipiat. Primum spectat ad Annum 794. quo Adaldus Lucensis *infantulus*, gravi aegritudine laborans, multa donat majori Ecclesiae Lucensi, ea occasione memorans *constitutionem sanctae memoriae Liutprandi Regis.* Alterum pertinet ad Annum Christi Millesimum, quo *Guaiferius Comes, infantulus infra aetatem* aegrotans, Ecclesiae Sanctae Mariae Salernitanae terras donat, mentione quoque per ipsum factâ legis Liutprandinae. Dixi Annum Millesimum, sed titubans dixi; fuit enim non unus Guaimarius Salernitanus Princeps, sub quo scripta fuit Charta. En utramque membranam, quarum primam ex vetusto antigrapho olim descripsi, exsistente in Archivo Archiepiscopii Lucensis; alteram verò suppeditavit mihi Tabularium Cavensis Monasterii.

Adaldus infantulus Lucensis ex aegritudine decumbens, domus nonnullas & agros majori Ecclesiae Lucensi Sancti Martini donat, Anno 794.

*IN Dei nomine. Regnante Domno nostro Carulo, gratia Dei, Rege Francorum & Langobardorum, adque Patricius Romanorum, quo cepit Langubardiam, & filio ejus Domno nostro Pippino Rege Anno Regni eorum Vigesimo primo, & Quartodecimo. Duodecimo die post Calendas Novembris, Indictione Tertia. Manifestum est mihi Adaldo infantulo filio b. m. Walperti, quia dum forte aegritudo praeocupatus videre, & me ad mortis periculo tendere videre considerantes me Dei omnipotentis misericordia pro redemptione anime mee, secundum constitutionem sancte memorie Liutprand Rege, offero Deo & tibi Ecclesie beatissimi Sancti Martini infra hanc Lucanam * orbem fundato ubi domus Episcoporum esse videtur, idest Casa avitationis mee quem habere videor in loco Arme Casa ipsa cum fundamento, Curte, orto, vel aliis edificiis, una cum terris, vineis, olivis, silvis, virgareis, pratis, pascuis,* cultum,

cultum, vel incultum, movilia vel immovilia, seu qui semoventibus vel homenis omnia, & in omnibus quantum in eo loco abere videor in integro, similiter & Casa mea Massaricia quem abere visus sum in loco Viniale, qui regitur per Miprandulo, seu & alia Casa mea in ipso loco Viniale, qui rectu fuit per Ursulo, simulque & una Casa mea Massaricia in ipso loco Arme, que regitur per Roppulo Uppaldo, simul & Casa & res mea illa in loco Burgo, seu & Casa & res mea illa in loco qui dicitur Veteri, omni ipse suprascripte Case cum fundamentis, Curtis seu Ortalias vel aliis edificiis, una cum terris, vineis &c. quantum ad ipse suprascripte Case & pertinentes, vel in jam dicte Casas abere videor tam Sundrialibus Casis & rebus, quam & massariciis, vel in quacumque alie locus qualibet res per qualibet genio mihi est pertinentes, vel homenis in integro, ut dixi pro remedium animae offero Deo, & tibi suprascripte Ecclesie beatissimi Sancti Martini, ut hoc die in tua predicta Dei Ecclesie beati Sancti Martini...... de tuis rectoribus sit potestate in prefinito, ut omni in tempore hec mea offersionis Cartula in tali ordine firma, & stabiliter maneat, & pro confirmationem Ghiselpert scrivere rogavi. Actum Luca.

Signum manus Adaldi, qui hanc Cartulam fieri rogavit.

Ego Gumpertus Presbiter rogatus a Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Asprandus Presbiter rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Pascalis Presbiter rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Ghisprandus rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Erminari Presbiter rogatus ab Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Ghiselpert post tradita complevi, & dedi.

Guaiferii Comitis in puerili aetate constituti donatio facta Ecclesiae S. Mariae Salernitanae, Anno 1000.

IN nomine Domini. Duodecimo Anno Principatus Domni nostri Guaimarii, mense Augustus, XIII. Indictione. Ideoque ego infantulus infra etate nomine Gaiserio Comes, filius quondam Landoarii Comitis, claresacio abere terra intus hanc Salernitanam Cibitatem inter muro & muricino a super, & propinquo Ecclesia Sanctae Mariae pertinentem ipsius Domni Principis, & Joanni Comiti germano ejus. Et ipsa terra mihi est pertinentes a pars supradicti Genitoris mei, & ipsius Genitori meo pertinentes fuit a pars Genitori sui; & ipsius Genitori mei in sortionem obvenit a germanis suis; & ipse Genitor meus terram ipsam ad Casa faciendum datam habuit ad Foretanis hominibus, sicut continet Breve, quod ad ipsi Foretani habui, quae est terra ipsa conjuncta ad muro betere de ista Cibitate, & de subter parte ad biam. Et congruum est mihi pro mea anima inclyta ipsa terra, in qua ipsi Foretani Casam fecerunt, offerre in praefatam Ecclesiam Sanctae Mariae, in qua Dundellus Presbyter & Abbas praeest. Et dum ego supra'cripto Guaiferio a magna aegritudine deprehensus sum; & in Lex nostra Longobardorum continet, ut si cujucumque ante decem & octo annos ebenerit aegritudo, & se biderit ad mortis periculum tendere, licentiam haberet de

rebus

rebus suis pro anima sua in Sanctis locis causa pietatis, vel in Sinedochio judicare quod voluerit, & quod judicaberit pro anima sua, stabilem permaneret. Et ideo ego Guaiferius per hanc Chartulam obtulimus, Deo, & ipsa Ecclesia Sanctae Mariae inclyta ipsa terra, in qua ipsi Foretani Casa factam habent; cum omnia intra se abentibus, & suis pertinentiis, & cum bice de bia sua, & cum sortionem meam de ipsa signamina de ipsa Casa in eadem Ecclesia offerui ad securiter amodo, & semper pars ipsius Ecclesiae, ejusque Rectores illuc abendum, possidendum, dominandum, omnia exinde faciendum quod voluerit. De qua hobligo me quo supra Guaiferio, & meis heredibus amodo & semper antestandum & defensandum ad partes ipsius Ecclesiae, & ad Rectores ejus inclyta supradicta mea offertione de omnes homines omnique partibus. Si taliter illut ad pars ipsius Ecclesiae non defensaberimus, aut si ego, vel meis heredibus, quomodocumque vel qualicumque ratione quesierimus illut, vel exinde de potestate ipsius Ecclesiae, vel de Rectores ejus tollere aut conare, aut si quod causationes inde proposuerimus, componere hobligo me, & meis heredibus in ipsa Ecclesia, & ad Rectores ejus tricentos auri solidos Const. & sicut superius legitur, illut in ipsa Ecclesia defensemus. Et quando pars ipsius Ecclesiae, vel Rectores ejus voluerit de supradicta nostra offertione esse authores, potestatem habent bice nostra in omnibus inde caussare, & finem facere, qualiter voluerit, cum quale monimen & rationem inde haberе potuerit. Tantum de supradicta nostra offertione eceptuabi quarta Albarae Genitricis meae, quod per suum Morgincaput legibus ibidem habere debet. Illo aliut de ipsa terra & Casa in ipsa Ecclesia offerui; & supradicto offertione feci ante presentiam Petri Judici, & subscripti idoneis hominibus, & taliter scribere rogabimus ti Petrus Notarius. Actum Salerno.

✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*

Tertium consuetudinis hujus exemplum acceptum refero Lucensis Archiepiscopii supra memorati Archivo, ubi Hubertus, & quidem *infantulus, ex genere Saracenorum*, Liutprandi lege usus, piis locis res suas elargitur. Haec tantùm inde excerpsi. *Henricus Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia Quinto, quartodecimo Kal. Octubris, Indict. Secunda*, (hoc est Anno 1018.) *Manifestus sum ego Huberto infantulo, que Melio vocor, filio b. m. Hughi ex genere Saracenorum, que Bellabertio vocabatur, quia dum Dominus in egritudine dingnatus fuisset ego me vidisse ad mortale occausu trahere, si justa legem, quod Dominus Liuprandus Res in Edicto firmavit: Si quiscumque infantulo ante decem & octo annos advenerit aegritudo, & si viderit ad mortis periculo tendere, abeat licentia de rebus suis pro anima sua judicandi in sanctis locis causa pietatis, vel in Sinedochia judicare quod voluerit, & quod judicaverit pro anima sua, stabile debeat permanere. Protterea ego qui supra Uberto infantulo, que Melio vocor, previdi pro anima mea ex rebus meis causas pietatis in sanctis locis judicare per hanc judicati Cartula pro anima mea &c.* Ita in Diplomate Ludovici II. Augusti apud Ughellium Tom. IV. Ital. Sac. confirmantur Bobiensi Coenobio res, *quas Petrus infantulus in extremis positus tradidit.* Neque tantùm fundos a piis hujusmodi Pueris consequuti sunt Monachi, sed & Castella ipsa, ut patebit ex Diplomate, quod archetypum vidi

di in Tabulario Abbatiae Veronensis Sancti Zenonis, ubi *Castrum, quod dicitur Capavum, a puero Uberto pro remedio animae suae, suorumque parentum Monasterio Sancti Zenonis judicatum atque traditum cum omni debito & districtione* commemorantur. En integrum praeceptum ipsum nondum luci redditum.

Henrici Regis Quarti, Imperatoris Tertii, Diploma, quo nonnulla Castella confirmat Monasterio Veronensi S. Zenonis Anno 1090.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Heinricus divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem sublimitatem condecet &c. Hac ergo justa & aequa consideratione propter Domini timorem, & animae nostrae, vel parentum nostrorum remedium Monasterio beati Zenonis per hanc presentem nostrae munificentiae auctoritatem perpetuo confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Idest in Judiciaria Gardense Castellum, quod nominatur Pastoringo, quod Monasterio Sancti Zenonis bonae memoriae Arduinus Comes, *& filius ejus Eriprandus pro remedio animarum suarum per Cartam offersionis contulerunt cum omnibus pertinentiis suis &c. Necnon & Castellum quod vocatur Insula Nonense, quod ad ipsum Monasterium per offersionem, donationem, atque comparationem devenit, cum omni reddito, & districtu, & fodru &c. Placuit etiam nostrae Serenitati ob aeternam remunerationem statuendo.....* ut Castrum, quod dicitur Capavum, quod a puero Uberto pro remedio animae suae, suorumque parentum, Monasterio Sancti Zenonis judicatum, atque traditum esse cognoscitur, *cum omnibus rebus jam dicti Castri pertinentibus, seu famulis, facticiis, cum omni debito districtione: Quod denique confirmamus etiam dicto Monasterio Sancti Zenonis ad suorum prebenda Monachorum elemosinam proprietamus cum omnibus suis pertinentiis, districtis &c. Si quis igitur Dux, Marchio &c.*

Signum Domni Henrici Tercii Invictissimi Imperatoris Augusti



* R *

Locus ✠ Sigilli Cerei deperditi.

Ego Ogerius Dei gratia Hiporiensis Episcopus & Cancellarius vice Herimanni Cancellarii recognovi.

.... *Dominice Incarnationis Millesimo Nonagesimo. VI. Indictione, Regnante Henrico Imperatore III. Regni ejus XXXIIII. Imperii autem VIII. Hoc actum est IIII. Id. Aprilis Veronae. In Dei nomine feliciter. Amen.*

Atta-

Attamen, quamquam ex ista universali Lege cuicumque liceret de propriis suis rebus *judicare pro anima*, nihilominus interdum erant, qui eamdem facultatem sibi concedendam, aut confirmandam curabant ab Imperatoribus. Rem certam faciet Praeceptum Ottonis III. Augusti ex Archivo Sublacensis Monasterii depromtum. Si quis verò contendat, ejusmodi facultatem a Petro Monacho petitam fuisse, quod ageretur de terris beneficiariis, sive Feudalibus, aut Emphyteoticis, a Fisco pendentibus, quas sine venia Regis donare nefas erat, non repugnabo. Tu interim ipsum Diploma accipe.

Otto III. Imperator Petro Monacho Sublacensi facultatem concedit construendae Ecclesiae super Cisternam in Cicerara Anno 999.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Otto superna jubente clementia Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris praesentibus atque futuris, quod nos concessimus cuidam Monacho Petro Presbitero pro animae nostrae remedio, ut licentiam fas & potestatem habeat Ecclesiam construendi & faciendi super Cisternam, quae est posita in Ciserara, & omnia infra & desuper eamdem Cisternam cum omnibus terris, vineis, hortis juste & legaliter acquisitis comparatis, seu de paterno aut materno jure sibi dimissis, hoc nostro Imperiali praecepto confirmamus eo tenore, ut omnes proprietates ejus, & Fratrum suorum, qui portiones suas sibi dederunt, liberam habeant licentiam dandi, vendendi, pro anima judicandi, in Ecclesia mittendi, & quicquid sibi libuerit, exinde faciendi. Si quis autem hoc facere prohibuerit, & Ecclesiam construere super eamdem Cisternam contradixerit, seu in aliqua re hoc praeceptum violaverit, sciat se compositurum auri optimi libras XX. medietatem Kamerae nostrae, & medietatem praefato Petro Monacho. Quod ut verius credatur hanc paginam manu propria corroborantes, bullari praecepimus.

Signum Domni Ottonis  *Imperatoris Augusti.*

Eribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi recognovi.

Data III. Id. Augusti. Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXCVIIII. Indict. XII. Anno Tercii Ottonis regnantis XVI. Imperii IV. Acta Sublaci in Sancto Benedicto.

Octavo, eorum temporum mos fuit, quum bella imminebant (saepe verò imminebant, atque agitabantur) ad exercitum ciere quoscumque armis aptos; immo hujusmodi copias Franci Reges, Italiae quoque dominati, interdum in Gallias atque Germaniam pertraxere, ut eas hostibus Imperii

Imperii opponerent. Tunc ergo incerti militiae eventus, & opis Divinae supra solitum implorandae necessitas in tanto discrimine, ipsaque etiam, ut par est credere, pia Ecclesiasticae gentis hortamenta, tunc nullo negotio hominem inducebant, ut rebus suis consuleret, easque, dum liberi deessent, Deo offerret. Tabulas testes profero. Anno Christi 755. inter Aistulphum Langobardorum Regem foedifragum, & eorum, quae anno praecedenti pactus fuerat, immemorem, atque Pippinum Francorum Regem, pro Romano Pontifice Stephano II. stantem, denuo belli incendia exarserunt. Tunc Langobardus quidquid militum contrahere potuit, ad Alpium fauces deduxit, Francis irruentibus iter praeclusurus.

A Itaque sub idem tempus Guiprandus Civis Lucensis, *V. D.* (fortasse *Vir discretus*, quod vocabulum adhuc in Tabellionum Lucensium foro versatur) Ecclesiae Sancti Frigidiani dono dedit agrum unà cum domo, caussam etiam donationis praeferens, nempe *quia in exercitu versus Franciam compulsus erat ambulare*. Memorantur B etiam in Lege Caroli M. inter Langobardicas *traditiones in hoste factae ad Casam Dei*. Nunc habeto Chartam ex Archivo Lucensi depromtam, quae tamen vitio laborare mihi deprehensa est; neque enim Anno Christi 755. decurrere potuit *Annus Octavus Aistulphi Regis*. Vide Differt. LXX. *de Cleri immunitatibus*. C

Guiprandus Civis Lucensis, antequam militari expeditioni in Francos se jungat, praedium offert Ecclesiae Lucensi Sancti Frigidiani, Anno 755.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Regnante Domno nostro Aistolf Rege Anno Regni ejus Octavo, Mensis Augusti, Indictione Octava feliciter. Guiprand V. D. tibi Ecclesia Beati Sancti Frigidiano loco Griciano p. p. sal. d. Manifestus sum ego nominatus Guiprand V. D. quia in exercito ad Frantia tesutus sum ambulandum; proinde considerates sum Dei temure ac mercede anime me, qualiter aliquantis rebus meis pro anima mea Dominus offerat, qualiter mihi Dominus pro parba tribuat magna, pro terrena celestia, pro temporalia sempiterna. Quidquid hic relinquimus, alienum est, & quod in Sanctorum locibus condonamus, ea nobis in perpetuum lucere cridimus, sicut Dominus ait, centuplum reddat vobis in vita eterna. Et ideo ego qui supra Guiprand. V. D. offero Deo & tibi Eccl*D *esie Beati Sancti Frigidiani, & Presbitero, qui inibi ordinatus est, aut in antea fueret, casa ubi Filerat Massario resedet hic in Graciano una cum terra &c. ut de ipso parbo munusculo luminaria Sanctorum Dei faciat, & pro meo facinora Dominus deprecetur, & Messarum solemnitate celebritor, qualiter in foturo eterna inveniat re*E*quiem. Et hoc volo ut quoad vivere meruero, ut ipsa casa cum omni ad se pertinente in mea sit potestatem; post vero meo decesso, sicut superius legitur, ipsa casa Ecclesia Beati Sancti Frigidiani possedeas. Et quis post meo obito ipso parbo monusculo da ipso Sancto loco subtragi voluerit de heredibus meis, qui mihi in devisione da germanis meis obveuit in Dei incura judicium, & cum*

Juda babeas parcione, & insuper componat soledos duocentum, & pagina in sua maneat firmitatem, quam dotis meis pagina Sichipert amico meo scribere rogavi sub stipulatione & sponsione solemniter interposita. Actum in Griciano Regnum & Indictione suprascripta.

Signum manus Guiprand V. D. auctori.

Signum manus Rotcaido V. D. germano ejus testis.

Signum manus Gauspert V. D. similiter germano ejus testis &c.

Ego Sichipert post roborata & ante presentia testium super...... rio ponente vidi, deplivi, & dedi.

Nono, praecedens Charta alteram nobis veterum Seculorum consuetudinem in memoriam revocat; nempe Christianos homines, non solùm in postremis tabulis, sed per donationem etiam inter vivos, quamplurima dedisse piae liberalitatis exempla in loca Deo dicata, quamquam plerumque donatarum rerum usumfructum sibi reservarent, dum in vivis essent. Plerique nunc sacris locis sua donantes, in testamentis id praestant, quae liberum iis est immutare ac delere, dum vivant. Certior methodus aliena capiendi tunc erat Ecclesiis; facile enim dona a viventibus impetrabant contractu stabili, ac nunquam amplius scindendo, etiamsi non nisi post donatorum mortem patrimonio Ecclesiastico eadem adcrescerent. Immo quum nonnullos interdum donationis factae poeniteret, iique in aliorum jús donata transferrent, ad Cleri petitionem intercessit Carolus Magnus, ne id amplius facere liceret. Vide Legem LXXVIII. inter Langobardicas ejusdem Augusti: *Si quis Langobardus, statum humanae &c.* ubi haec ille: *Postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen, si usumfructum voluerit habere * precariam, res traditas usque in tempus definitum possidendi sit concessa facultas.* Innumerabilia sunt in Archivis hujusmodi piarum donationum inter vivos monumenta, pluraque etiam exhibebit hic Liber: quare exemplis parco.

Decimo, invaluit in Italiae partibus nonnullis, fortassis etiam in cunctis, opinio, quam nemo non intelligat plurimum augmenti contulisse Ecclesiasticorum opibus. Nempe depraedicata est veluti singularis via demerendi Numinis in terra, ejusque tandem beatissimi Regni impetrandi, pia munificentia in loca Deo dicata. Proinde tam saepe occurrit in vetustis Chartis vulgaris illa Notariorum formula: *Quisquis in sanctis ac venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in hoc Saeculo centuplum accipiat, insuper & quod melius est vitam possidebit aeternam.* Usitatissima fuit formula haec apud Lombardos, praecipue Saeculo X. & subsequentibus. Eam tamen vide longe antea adhibitam in Charta Anni 872. spectante ad Monasterium Casauriense, quam protuli Par. II. Tom. II. Rer. Italic. pag. 934. Vide & Chartam Pauli Regiensis Episcopi scriptam Anno Christi 881. apud Ughellium, ubi eadem formula occurrit. Sed omnium vetustissima mihi videtur formula, expressa in Charta Anni 769. edita a Clariss. Marchione Maffeio pag. 375. Veronae illustr. ubi legitur: *Quidquid homo in loca venerabilia contulerit, centuplum accepiat, & insuper vitam hedernam possedevit.* Quid *Auctoris*

ctoris nomine (Actoris etiam interdum scribebant) significare voluerint Notarii, sive homines eorum temporum, definire non ausim. Christi Redemtoris vocem in postremis verbis audis; verùm priora ad divinum praeceptorem minime spectant, qui eleemosynam quidem in Pauperes mire commendavit, summisque praemiis eidem propositis inculcavit; nusquam verò disertâ oratione auctor fuit, ut eamdem in sacra Templa, nedum in sola Templa, effunderemus. Itaque suspicari quisquam posset, pium aliquem Scriptorem, sed ignotum, sub *Actoris*, aut *Auctoris* appellatione venisse, cui haec verba olim exciderint, quasi dicerent, Notarii: *secondo il parere d'un Autore*. Petrus Cellensis Lib. IV. Epist. X. *Actorem* pro *Auctore* & ipse usurpat. Verùm in Diplomate Lupi Ducis Spoletani Anno Christi 751. edito pag. 339. Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum occurrit: *quia Auctor noster pro nostra salute suum sanguinem effudit*; ac propterea intelligimus, sub *Auctoris* quoque voce designatum fuisse olim Redemtorem nostrum. Hac autem opinione tunc imbuti Fideles, quid mirum, si certatim novis donis Templa ac Coenobia cumularent? Atque eo saepius recidebant tot laudes Eleemosynae, ut *sanctis ac venerabilibus locis* populus liberalem se praeberet. In hanc etiam rem vidi efficacissimam formulam adhibitam in donationis Charta, quam ex Archivo Sanctimonialium Ferrariensium Sancti Silvestri descriptam ad me misit Joseph Antenor Scalabrinius mihi non semel in hoc Opere laudatus. Nempe ibi dicitur: *Inter ceteras donationes maxime illa datio principatum tenet, quae pro salute atque remedio animarum efficitur.* Chartam ipsam exerendam puto.

Donatio facta Bertae Abbatissae Monasterii Ferrariensis Sancti Silvestri a quodam Verardo, Anno 1114.

IN nomine Sanctae Trinitatis. Anno Domini Millesimo Centesimo Quartodecimo, Imperante Heinrico Quarto, anno tertio, die V. mensis Januarii, Indicione VII. in Foco mortuo. Inter ceteras donaciones maxime illa dacio principatum tenet, que pro salute atque remedium animarum efficitur, & per quam vita heterna speratur. Unde profiteor me ego Verardus, qui sum habitator in Villa de Foco Mortuo, zelo Dei coactus, pro salute & remedio anime mee meorumque parentum, tibi presenti Guidoni Presbitero, qui manere videris ad serviendum Ecclesie Cosme & Damiani, & per te in venerabili Monasterio Sancti Silvestri, in quo Deo gubernante preesse videtur Domna Berta nobilissima Abbatissa, *suisque successitricibus in perpetuum: hoc est ordines tres vinearum cum terra sua, & quantuncumque mihi pertinet in capite predicti ordines in integrum, qui sunt positi in eodem Foco Mortuo prope Ecclesiam Sanctorum Cosme & Damiani, ab uno latere Guinternus & Orlandus germani cum suis confratribus, ab alio latere jura predicti Monasterii, ab uno capite Guilielmus, ab alio capite Via publica, & usque ad medium Canale. Ut modo a presente die liceat tibi in vice antedicte Abbatisse, suisque successitricibus, antedictam rem habere, tenere, possidere jure dominii predicti Mona-*

nasterii in perpetuum. Unde investitorem tibi do Marleessellum, qui te in vice Ecclesie investiat jure proprietatis nomine. Quineciam spondeo ego antefactus Verardus donator, & pro meis filiis & heredibus, hanc donacionis paginam, ut superius legitur, firmam tenere & conservare & defensare & auctorizare, sub pena rei duple restituere, & solutâ penâ hujus donacionis pagina in sua firmitate maneat. Quam scribere rogavi Dominicus, Dei nutu, Notarius sub die mensis, & Indicione suprascripta.

✠ *Signum manus predicti Verardi donatoris ad omnia suprascripta.*

Signa & nomina testium haec sunt.

Markio de Foco Mortuo.

MartinusRoncone.

Johannes.

Petrus Bezo: testes rogati ad omnia suprascripta.

Ego Dominicus divinâ favente clementia Notarius rogatus a suprascripto Verardo donatore, ut superius, complevi & absolvi.

Et sane injuste non agam cum majoribus nostris, si dixero, tum persuasionibus, tum terroribus, atque consiliis, egisse ejus temporis Monachos, ut a piis hominibus quaecumque possent emungerent; asserendo non solùm, omnium operum Deo gratissimum esse Seculo renuntiare, & Monasticam induere vestem. Quod si id minime assequebantur, saltem persuadebant, *nullum esse melius inter eleemosynarum virtutes, quam si de propriis substantiis in Monasterium concederetur*. Mihi fidem fortasse non adhibeas, verùm adhibebis Chartae, quam evulgare constitui. Eam ex Archivo Monasterii Tremitensis descriptam ad me misit Alexander Pompeius Bertius Cl. Reg. Congreg. Matris Dei, doctissimus amicus meus. Heic tamen Chronologicas notas vitio aliquo laborare opinor, si legitimis calculis usus est Camillus Peregrinius in Stemmate Principum Capuae Par. I. Tom. II. Rer. Italicarum. Pro *Quadragesimo* scriberem *Trigesimo*. Adam verò Abbas heic memoratus ille idem est, qui, Ostiensi teste Lib. III. Cap. 27. Chron. Casin. *multorum facinorum reus convictus*, jubente sanctissimo & celeberrimo viro Desiderio Casinensi Abbate, ab eo Monasterio amotus fuit.

Donatio Tremitensi Monasterio, ejusque Abbati Adam facta a Malfreda, sive Malfria Marchione, Tassalgardi Comitis filio, Anno 1055.

In nomine Domini, Amen. Anno Quadragesimo sexto Principatus Domini Pandolfi gloriosi Principis, & Nono Anno Principatus Domini Landolfi filii ejus mense Novembris, Octava Indictione. Ideoque ego Malfreda Marchione filius quondam bonae memoriae Tassalgardi Comitis *clarefacio, cum quadam die tacitus residerem, cogitare cepi intra me metipsum qualiter in peccatis conceptus sum, & natus, & qualiter ab infantia mea die noctuque per horis atque momentis innumerabilia peccata commisi, & qualiter in tremendo judicio de omnibus factis meis, & cogitationum mearum Domino rationem redditurus sum, & qualiter a juxto Judice unusquisque accipiet secundum opera sua, & cogitare cepi qualiter impii, & peccatores, qui hic peccata*

cata sua redimere negligunt, & in perpetua poena cum Diabolo damnabuntur, & justi, & Dei electi cum Domino exaltabuntur. Et subito respexit in me divina pietas, & compunctum est cor meum cum tremore, & extuatione cordis, & cepi anxie querere consilium Sacerdotibus, & Religiosis Viris, quomodo peccata mea redimere possem, & iram aeterni Judicis evadere. Accepto consilio ab eis, excepto si renunciare Seculum possem, nullum esse melius inter eleemosinarum virtutes, quam si de meis propriis substantiis in Monasterium concederem. Hoc consilium ab eis libenter, & ardentissimo animo ego accepi, *& cepi querere & cogitare in memetipso quae de meis rebus offerre in Monasterium possem, & subito Domino concedente inveni locum, qui bene aptatum est, ubi dedicata est Ecclesia Beati Petri Apostoli in loco, qui Pulianum vocatur. Nunc autem & congruum est mihi bona mea voluntate, & pro firma stabilitate interesse fecimus Guidonem Judicem, & alios bonos homines, per hanc enim Cartulam juxta legem trado, & offero ipsam supradictam Ecclesiam in Monasterium Beatae Dei Genitricis, & Virginis Mariae, quod dicatum est in Insula, quae Tremiti vocatur, pro redemptione animae meae, meorumque parentum, ut aeternam vitam percipere mereamur. In eadem lege sicuti* Domnus Liutprandus Rex *in edictis Langobardorum instituit:* Si quis Longobardus habet casum humanae fragilitatis, potestatem habeat dum vivit, & recte potest loqui, pro anima sua judicandi & dispensandi, quantum qualiter voluerit; & quod judicaverit, stabile debere permanere. *Similiter & in alio suo Capitulo sic affixit:* Si quis in Ecclesia, aut in loca Sanctorum, aut in Sinodochia pro anima sua aliquid dederit, stabile permaneat. *Haec omnia sicut superius legitur cum puro animo, & sincero corde trado, & offero pro redemptione animae meae ego supradictus* Malfria Marchione, *ut nobis Dominus Jesus Christus veniam de peccatis nostris tribuere dignetur, & ad suam sanctam dexteram cum electis suis perducere dignetur. Et ego supradictus Malfreda trado, & offero jam praedictam Ecclesiam in Ecclesia Beatae Mariae cum omnibus infra se habentibus, & cum legitimis transitis, & exitis suis, & cum sylvis & pasquis, aquis, pratis, & cum omni suo paratu ubicumque fuerit, & cum sua pertinentia intus Castello, vel de foris totum trado, & offero in supradicto Monasterio Beatae Mariae, ubi nunc presenti tempore* Domnus Adam Venerabilis Abbas *regimen tenere videtur, & Ecclesiam meam cum omnibus pertinentiis suis, & haec sunt fines illius terrae. In primis de capite . . . . in pertinentiis de rena de causa in capite Valloncelli, & per ipsum Vallonem descendit in aquam vivam, de ipsa aqua viva vadit ad ulmum, qui est in latere Vinealis supradictae Ecclesiae Sancti Petri, & venit in pede Vinealis in Via publica, & vadit in Vineasilvani, & pergit in Vallonem de lo Romito, & per ipsum Vallonem descendit in Via publica Sancti Leucii, & intrat per vallem Cole Maritelli a parte Sancti Petri, & ascendit usque in Via publica, quae vadit ad Serram, & descendit per ipsam viam in priori fine in predicto Valloncello de Vena de Causa; & offero unam Ecclesiam vocabulo Sancti Johannis Baptistae de meo Castello Venamajoris, cum uno* Libro Comite, *& duo* Antiphonaria *unum diei, & alterum de nocte, & cum omni ornatu de rebus mobilibus pertinentes presatae Ecclesiae Sancti Johannis Baptistae, quae est*

est juxta Castellum meum de Vena majoris exterius. Simulque offero in praedictam Ecclesiam, & tibi Adam Abati tres partes de una Ecclesia vocabulo Sanctae Mariae, quae constituta est in eodem Castello meo, cum tribus partibus de omnibus rebus, quae pertinent ad praedictam Ecclesiam. Si quis autem de ista mea offertione qualiscumque de meis heredibus ausus fuerit aliquam causationem, vel minuere, aut molestare, sive invadere presumpserit, per hoc in ira summae, & individuae Trinitatis incurrat, & descendat super eum Paterna maledictio, & habeat partem cum Juda traditore Domini, qui ab Apostolico Agmine segregatus est, & cum impiis & sacrilegis aggregatus est. Et pars illius sit in Stagnum ignis ardentis, & sulphuris. Et insuper promitto ego supradictus Malfria Marchione, & obligo me & meos heredes in predicto Monasterio Beatae Mariae eisque Rectoribus, quod omnia sicut supra scriptum est si sic non adimpleverimus, aut si non observaverimus, aut si quis hac nostra scripta offertione, atque traditione aliquid tollere, vel minuere nos quisierimus, ut componamus ego Malfria Marchione meosque haeredes in praephato Monasterio eisque Rectoribus cui ex nostris culpa clarum erit poena auri centum librae. Et Cartula bista offertionis, atque traditionis omni quoque tempore firma, & stabilis permaneat, & nos ab omnibus hominibus antestemur, & defendamus. Et hanc Cartulam offertionis rogata a supradicto Malfria Marchione scripsi ego Agelbertus Notarius. Acta in Civitate Campomarini feliciter &c.

✠ *Ego quis Guido Judex.*
✠ *Ego Lordemannus.*
✠ *Ego . . . .*
✠ *Adenolfus.*


Potissimum verò erga illa Templa, ubi sepulturam fideles sibi conquirebant, liberaliores esse consuerunt. Abundant ejus moris exempla: ego unum tantummodo innuam. Insignem Curtem *de Lemonta* Ambrosiano Coenobio Mediolanensi conlatam saepe Lector invenerit in Monumentis Basilicae Ambrosianae a Puricellio evulgatis. Eadem verò Benedictinis Monachis, sacrum illum locum tunc incolentibus, dono data fuit a Lothario I. Augusto Anno Ch. 850. ad petitionem *Hirmingardis dilectae conjugis, ex dilectione fratris sui, puerili elegantia delati, Hugonis nomine, ad emolumentum mercedis in loco, quo ipse corpore humatus extitit, Coemeterio scilicet Sancti Ambrosii*. Ut hoc obiter adnotem, Sammarthani in Genealogica Historia Regum Francorum mortem *Hirmingardae Augustae* Anno 851. contigisse tradunt. Sed vide Additamenta ad Chronicon Casauriense a me edita Par. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. *926.* ubi Charta legitur, Anno Ch. 856. scripta, in qua Liuthardus Diaconus, & Cunradus germani, quasdam *Curtes* vendunt *Domnae Hermengardae Reginae* adhuc viventi. Vide etiam pag. 808. Diploma Ludovici II. Augusti ejus filii Anno Ch. 874. confirmantis Monasterio Casauriensi ipsas easdem *Curtes, quas bonae memoriae Hirmingarda genitrix nostra per Chartulam a quibusdam fratribus Liutardo Diacono, & Conrado germanis conquisierat*; ut intelligas, Hirmengardam *Reginam* eamdem fuisse cum Augusta conjuge Lotharii I.

Undecimo, praeter ea, quae Imperatores, Reges, aliique veterum Seculorum potentes in pia loca conferre solebant, alia quoque Secularibus viris, amoris, liberalitatis, aut remu-

remunerationis gratia largiebantur, addita etiam potestate *judicandi pro anima*, hoc est ea, si vellent in Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Hospitalium jus transferendi, quamquam Beneficio, sive Feudo obnoxia. Ea ratione fiebat, ut multa Regum dona, etsi non recto tramite, saltem per alienam manum, Ecclesiastico patrimonio adderentur. Exemplum accipe, quod mihi suppeditavit nobile Canonicorum Regiensium Archivum in Diplomate authographo insequenti.

Donatio quarumdam terrarum facta a Berengario I. Italiae Rege Roberto Vasso Adelgisi Comitis Anno 890.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei aeterni Berengarius Rex. Si Fidelium nostrorum petitionibus aures clementiae nostrae inclinamus, fideliores ac promtiores eos in nostro esse credimus servitio. Quapropter omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum comperiat industria, qualiter interventu ac petitione Adelardi Venerabilis Episcopi, nec non & Adelgisi Illustris Comitis & dilecti fidelis nostri, pro amore Dei omnipotentis, animaeque nostrae, omniumque parentum nostrorum mercede, & ejus servitium assiduum, concedimus Roperto Vasso ejusdem Adelgisi Comitis sortes sex cum omnibus pertinentiis earum, & silvis in Vico, qui dicitur Rovereto, infra fines Pusterna, vel Fosa Rabeda, quae pertinent de Corte nostra Mercomadego, adjacetque in Comitatu Regiensi, omnia, quae de suprascripta Corte nostra pertinent in ipsa Villa in integrum transfundimus jure proprietario, ac perdonamus, Casis videlicet, terris, hortis, pratis, pascuis, vineis, campis, cultis & incultis, arboribus pomiferis, & impomiferis, silvis, montibus, vallibus, planitiebus, ripis, rupinis, aquis, aquarumque decursibus, seu & molendinis, servis quoque & familiis utriusque sexus; ut habeat, teneat, atque possideat, faciatque exinde quicquid ejus decreverit animus vel voluntas, potestatemque habeat donandi, vendendi, commutandi, seu pro anima judicandi, vel quicquid voluerit faciendi, remota totius potestatis inquietudine. Si quis autem contra hoc nostrum praeceptum quandoque insurgere temptaverit, sciat se compositurum viginti libras auri optimi, medietatem Palatio nostro e medietatem sepe nominato Roperto, suisque heredibus. Ut autem ab omnibus verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter confirmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Regis  *Berengari Gloriosissimi.*

Re . . aldus Notarius jussione Regis ad vicem Adelardi Episcopi & Archicancellarii, recognovi.




Data XIII. Kal. Novemb. Anno Incarnationis Domini DCCC. & XC. Anno vero Regni Domni Berengari Gloriosissimi Regis III. Indic. VIIII. Actum Verona ad Ecclesiam Sanctae Anastasiae in Dei nomine feliciter. Amen.

Quae heic Berengarius elargitur *Roberto Vasso Adelgisi, Comitis*, ut puto, Regiensis, ea par est credere in Ecclesiam Regiensem fuisse transfusa, quando apud eosdem Canonicos Privilegium adservatur. Tu interea Sigillum *Berengarii Regis* intuere, quod incolume adhuc membranae adfixum legitur. Quantum quidem mihi visum est, Berengarii facies juvenem Principem, ne dicam adolescentem, exhibebat, ita ut opinari cogamur, eum viridi aetate Anno 888. Regnum iniisse. Alia exempla facultatis concessae *judicandi pro anima* suppeditabuntur nobis a duobus aliis Diplomatis ejusdem Berengarii Imperatoris. En primum, quod ex Archivo Coenobii Veronensis Sancti Zenonis descripsi, ubi ejus archetypum exstat.

Donatio Mansi unius facta a Berengario I. Rege Boniperto Presbytero & Oratori suo Anno 890.

IN nomine Sanctae, & individuae Trinitatis. Berengarius divina favente clementia Rex. Si famulos Dei divinis obsequiis jugiter vacantes clementer juvare studuerimus ob hoc nos posse aeterna adipisci praemia liquido confidimus. Quapropter omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter Alkerius noster fidelissimus *Comes adiit Serenitatis nostrae clementiam suppliciter petens pro quodam Reverendo Presbitero Ecclesiae Sancti Proculi, & fidelissimo Oratore nostro, nomine Boniperto, ut ei per paginam nostri precepti in proprietatem concederemus mansum unum juris nostri Regni pertinentem de Comitatu Veronense situm in Villa, quae nominatur Runco, habentem vinearum, & terra arabilis plus minus jugera triginta, adjectis ibidem octo jugeribus, quae excoluntur per Gisempertum liberum hominem. Cujus petitioni libenter assensum*

sum prebentes, & perspicientes continuas preces ejusdem Presbiteri pro nobis nostrisque parentibus, ac pro Regni nostri corroboratione Domino oblatas, ob amorem Dei & remedium animae nostrae nostrorumque parentum, supra praedicta loca per largitionis nostrae praeceptum concedimus eidem Boniperto Reverendo Presbitero, & fidelissimo nostro Oratori in proprietatem, que excoluntur per predictum Gisempertum liberum A B *hominem, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, quae dici vel nominari possunt, in integrum ad habendum, tenendum, vendendum, donandum, commutandum, vel pro anima judicandum, seu quicquid ejus voluerit animus, vel voluntas jure proprietario faciendum, remota totius potestatis inquietudine & minoratione. Contra quod nostrae firmitatis statutum si quis nefario ausu &c.*

Signum Domni  *Berengarii gloriosissimi Regis.*

Locus ✠ *Sigilli Cerei extantis* & Caput Regis *fere pueri praeseferentis cum solita epigraphe.*

Vitalis Cancellarius jussu Regis recognovi, & subscripsi.

Data pridie Kal. Decembris Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXCVI. Regni vero Domni Berengarii Serenissimi Regis VIIII. per Indictionem XV. Actum Corte Aquis. In Dei nomine feliciter. Amen.

In altero Diplomate Berengarius idem, jam Imperator, Curtem Musestrem Hinoni cuidam cum eadem libertate *judicandi pro anima* elargitur. Antiquum Chartae exemplum adserva- C tur in Tabulario nobilis viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto, intimi Consiliarii Augustissimi olim Caesaris CAROLI VI.

Berengarius I. Imperator Hinoni, qui & Azo, fideli suo Curtem Musestre elargitur Anno 921.

IN nomine Domini Dei eterni. Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque, presentium scilicet & futurorum industria, Grimaldum gloriosum Marchionem, & Ubertum inclitum Comitem *Hamesque fideles nostros suppliciter nostre pietatis exorasse clementiam, quatenus quandam Cortem juris* D *Regni nostri, que dicitur Musestre, adjacentem videlicet in Comitatu Tervisianense, cum Silva de Valda, seu & cum Villa nuncupante Barbarana, & cum universis ad eandem Cortem pertinentibus, vel aspicientibus, nec non & piscationem in Fluvio, qui dicitur Sile, per hanc nostri Precepti paginam jure proprietario Hinoni, qui & Azoni, dilecto & fideli nostro concedere dignaremur*

gnaremur. Quorum petitionibus aures nostre pietatis inflectentes jam dictam Cortem, que dicitur Musestre, adjacentem in Comitatu Tarvisianense, cum Silva de Valda, seu cum Villa nuncupante Barbarana, & cum universis ad pretaxatam Cortem pertinentibus & aspicientibus, cum terris aratoris, seu vigris, vineis, campis, pratis, pasculis, silvis, venationibus, saletis, sationibus, possessionibus, reditibus, sterpaticis, palludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, servis & ancillis, aldionibus, & aldianis, montibus, planiciebus, arboribus pomiferis, & impomiferis, seu cum omnibus, que dici vel nominari possunt ad prefatam Cortem pertinentibus, nec non & piscationem in Fluvio Syleris, sicut actenus ad nostram Imperialem pertinuit partem, jam dicto Inoni, qui & Azoni Clerico, & fideli nostro per hanc nostre donationis, seu concessionis paginam jure proprietario concedimus, & perdonamus, & de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino largimur & delegamus ad habendum, tenendum, vendendum, donandum, commutandum, pro anima judicandum, faciendum exinde quicquid ejus decreverit animus, nostra plenissima largitate, omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur hoc nostre donationis, seu concessionis Preceptum aliqua in parte infringere aut contradicere quesierit, sciat se compositurum auri optimi mancosios mille, medietatem Camere nostre, & medietatem jam dicto Inoni, qui & Azoni Clerico, suisque heredibus, vel cui ipse dederit, aut habere concesserit. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes de anulo nostro subtus insigniri jussimus.

Signum Domni Berengarii  *Serenissimi Imperatoris.*

Johannes Episcopus & Archicancellarius Imperiali jussione recognovi.

Datum V. Kal. Augusti Anno Dominice Incarnationis DCCCCXXI. Domni vero Berengarii Serenissimi Regis XXVII. Imperii autem sui VII. Indictione X. Actum Verone in Christi nomine feliciter. Amen.

Indicium autem veniae datae a directis dominis sive Senioribus, ut Vassalli rem quampiam transferre possent in pia loca, esse illud solet, quum nempe donatores profitentur, se eam donationem facere *pro mercede* non tantùm animae suae, suorumque cognatorum, sed etiam *Senioris* sui. Hunc ritum innui Par. I. Cap. XII. pag. *96*. Antiquit. Estens. Chartâ videlicet productâ Rodulphi Normanni, qui *pro mercede & remedio animae Ugonis Marchionis* Monasterio Vangadiciensi Anno 1040. multa dono dedit. Videant alii, ad eumdemne *Hugonem Marchionem*, unum videlicet ex majoribus Marchionum Estensium, an potius, uti ego opinor, ad alterum *Hugonem Marchionem*, Ripuariae fortasse nationis, de quo supra facta fuit mentio, spectet altera Charta, in qua similis donatio habetur facta

facta *pro remedio luminariae animae de quondam Domini Ugoni Marchio* Monasterio Sancti Bartholomaei in Musiliano. Eam debeo diligentiae Josephi Antenoris Scalabrinii Ferrariensis, Rectoris Ecclesiae Sanctae Mariae de Bucca, & Sacrarum Literarum in Lyceo Ferrariensi Interpretis, qui ex authentico Bononiensi ipsam descripsit.

Donatio facta a filiis Bonandi Antonio Abbati Monasterii Sancti Bartholomaei in Musiliano Anno 1061.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis, Anni ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Sesagesimo primo, Regnante Dominus Enricus Rex, filius quondam Domini Enrici Imperatoris Anno Quinto, die septimo & decimo mensis Februarius, Indictione Quartadecima. Omnibus manifestum est, adque congruo racio dispositus, libenter anuere, que a venerabilia Loca utilitatibus meliorandi causa profici. . . . . scripture vinculum oportet confirmari. Hactum est igitur Christo auxiliantem, quod nos in Dei nomine Lambertus, & Bonus Vicinus, seo Ugoni, & Raginerio, Teuzo, germanis, filiis quondam Bonando da Caorneria, bono animo & bona voluntate placet, adque convenit . . . . dictis germanis, ut per hoc membrana donacionis, manifestacionis, concessionis, seu transfersionis, adque perpetualit. transhactionis nostra propria banc spontanea voluntatem, una pro amore omnipotenti Deo, & remedio luminarie anime de quondam Domini HUGONI MARCHIO, & de quondam Lanberto Presbiter, & de quondam suprascripto Bonando, & Wille jugalibus, genitor, adque genitrice nostra, damus, & donamus in Monasterio Sancti Bartolomei Apostoli, quod vocatur in Musiliano, & mo. . . . . . Donnus Anto Presbiter & Monachus, & gratia Dei Abbas ipsius Monasterii, *tuisque successoribus & Fratribus Monachi, ad abendum, tenendum, & possidendum in perpetuum ad usum Monachorum; idest nostra portiene de Ecclesia Sancti Salvatoris que est constructa in loco, qui dicitur Betholetho, cum suis pertinenciis, cum decimis, & primiciis, cum terris, & vineis, & campis, & castagnetis, & cum omnibus arbustris, arboribus, cultum, incultum, divisum, & indivisum, & quantacumque a nobis pertinentibus omnibus ofertum, largitum, vel oblatumque fuerit, similiter de Sepulturis. Et nos volumus in ipsa Ecclesia, die notuque faciatis Psalmis, & Innis, & Misse, & Matutinis, & Ore Canonices. Finis, ubi ipsa Ecclesia, & suprascripta terra vineata, & aratoria, & egra, & silva, & castagneto esse videtur, ab uno latere Rivo corentem, qui dicitur da Dociola, ab alio latere fluvio Septa, tercio latere Via publica, quarto verò latere positi baredes quondam Domini ALBERTI COMES, infra istis designatis lateribus, sicut latera designat. Et cum omnibus super se, & infra se abentem, omnia que nobis pertinet integriter in integrum, vel si quis aliis adfines sunt, omnia qualiter superius legitur . . . . die damus nos suprascriptis germanis donamus dicto Monasterio, & tibi suprascripto Donno Anto Abbas, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, ad abendum, tenendum & possidendum, ordinandum, & disponendum, & faciendum quidquid vobis placuerit*

in perpetuum ad jura propria ad usum Monachorum; ut neque da nos, neque da nostris heredibus, aut per somisse vel rogative persone nostre, neque per nullum visignenium, nullam exinde abeatis molestacionem, aut causacionem. Sed promittimus nos suprascriptis Lamberto, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Raginerio, Teuzo, germanis, nostrisque heredibus de predicta nostra portione de jam dicta Ecclesia & de suprascripta terra vineata, & aratoria, & egra, & castagneto, qualiter supra legitur, suprascripto Monasterio, & tibi Donno Anto Abbati, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, omni tempore ab omni omine defensare, & autorizzare promitimus. Et si minime defensare potuerimus, aut contra hoc membrana donacionis, manifestacionis, concessionis, adque perpetualit. transhactionis, a nobis facta, aliquando per quodcumque ignenio, quod umana sensu capere potest, agere, aut causare, vel querere, aut molestare, vel aliquid removere presumserimus, aut agentibus consenserimus, & non permanserimus in ea omnia, qualiter supra legitur, tum daturi promittimus nos suprascripti Lanbertus, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Rainerio, Teuzo, vel heredibus nostris conponere & dare in suprascripto, & tibi Donno Anto Abbati, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, pene nomine . . . . Et post penam solutam presens hoc membrana donacionis, manifestacionis, sicut supra legitur, omni tempore in suo robore, & firmitatem permaneat.

Hactum in Castro quod vocatur Planero, Indictione suprascripta Quartadecima.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus suprascripti Lambertus, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Reginerio Teuzo, germanis donatoris, qui hoc membrana donacionis, sicut supra legitur, fieri rogavit.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus Arardo, qui vocatur Alegreto filius quondam Zenavius, seo Johannis filius quondam Petrus da Casalia, atque Johannis, qui vocatur da la Valle, & Salvestro, qui vocatur Fusculo filius quondam Sichizo de Bonezo, rogatis testibus.

Scripta hoc membrana donacionis per manus Sichizo Tabellio filius quondam Azo, rogatus a suprascriptis Donatoris, sicut supra legitur, post roborata a testibus tradita vidi, complevi, & dedit.

Quod si morem facultatis datae transferendi in Ecclesias bona etiam Feudalia, aut Emphyteotica, luculentius expressum cupis, animum adverte ad Chartam subsequentem, cujus antiquum apographum exsistit in Archivo Sereniss. Domini mei Ducis Mutinae. Celebre est Monasterium de Columba, situm inter Placentiam & Parmam, ejusque mentio occurrit in Historia Ecclesiastica. A Sancto Bernardo Clarevallensi Abbate fundatum fuit opibus *Oberti Marchionis Pelavicini* ejusque consortum, qui sacro loco ingentem agrorum copiam contulere, simulque *omnibus per illos in Curte de Basilica Duce terram tenentibus* (idest Vassallis, Emphyteutis &c.) *liberam potestatem dandi praefato Monasterio dederunt*. Haec in illa Charta, quae facultatem indicant datam judicandi pro anima, quoties Monasterio de Columba quisquam ex iis terras donare vellet Marchionibus obnoxias.

No-

Notitia bonorum spectantium ad Monasterium S. Mariae de Columba prope Florentiolam, scripta circiter Annum (*) 1154.

Confinia, quae Obertus Pelavicinus Marchio una cum uxore, & filiis, & Conradus Cavalcabovem Marchio cum uxore sua de terris sui juris pro remedio animarum suarum Venerabili Monasterio Sanctae Mariae de Columba consilio suorum Baronum, & aliorum bonorum virorum concesserunt, & suis propriis manibus posuerunt, & ponere fecerunt, atque in cartis, quas praefato Monasterio fecerunt, scripti sui munimine roborarunt, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MCXXXVI. sunt haec. Sicut Rivus de Pontiore transit usque in viam, quae vadit ad Seolum & sicut ipsa confinia posita sunt desuper Salecetum, usque ad viam, quae vadit ad Castellionem, & sicut eadem via vadit desuper eandem de Luxerelo usque in Rivum veterem, & sicut ipse Rivus vetus vadit usque ad Bodraccum, & sicut ipsum Bodraccum vadit usque ad Canale de Burgundione, & sicut ipsum canale vadit usque ad Clusam ejusdem Burgundionis, & sicut Rivus de Fraxeneto vadit ab ipsa clusa usque ad praedictum locum de Pontiore. Totum, quod praedicti Marchiones intra praedicta confinia possidebant ad proprium, praedicto Monasterio de Columba pro remedio animarum suarum eo modo, & honore, quo habebant obtulerunt; & omnibus per illos in Curte de Basilica Duce terram tenentibus liberam potestatem dandi praefato Monasterio dederunt. Haec praedicta confinia Dominus Innocentius Papa II. confirmavit. Haec eadem Dominus Lucius Papa II. scripti sui munimine roboravit. Hoc idem Dominus Eugenius Papa III. privilegio confirmavit. Lotharius III. Romanorum Imperator Augustus hoc idem confirmavit.

Infra suprascripta confinia S. Mariae de Columba Dominus Malcorredus Vicedominus de Placentia pro Domino nobis donavit unum Mansum. Dominus Fulco Advocatus pro Domino nobis donavit unum Mansum. Petrus Isabelli pro Domino nobis donavit medium Mansum. Obertus de Casteldarda & Resasini frater ejus pro Domino nobis donaverunt medium Mansum. Ardengus Vicedominus pro Domino nobis donavit unum Mansum. Tedaldus Fulconis, & Corvus frater ejus pro Domino nobis donaverunt totum, quod ibi habebant. Berno de Florenzola pro Domino nobis donavit jujerum unam. Obertus Coppa nobis donavit totum, quod ibi habebat. Domini de Casale Albino pro Domino nobis donaverunt unam partem unius Mansi. Obertus de la Porta pro Domino nobis donavit duas bivulcas. Atto Calvus pro Domino nobis donavit medium Mansum. Mala corigia in praesentia mali parentis, & multorum bonorum investivit Ecclesiam S. Mariae de Columba alterius medietatis praedicti Mansi Attonis Calvi. Dominus Tado de Castello Arquato pro Domino nobis donavit unum Mansum, quod emit ab Alberto Sartore, & tertiam partem alterius Mansi similiter pro Domino nobis donavit. Obertus filius Bellonis de Carretto pro Domino nobis donavit duas bivulcas. Dominus Bonizzo de Landito pro Domino nobis donavit totum, quod ibi habebat. Giuslentio, & Calvus & Bernardus, & Joannes fratres filii de Salvi Ardicionis pro Domino nobis donave-

(*) Anno Dom. MCLIV. heic adnotato Indictio II. Anno autem MCXLIIII. Indictio VII. decurrebat, ut in calce *Notitiae* hujus legitur.

naverunt unum Mansum, & Braidam, in qua Monasterium debet construi.

Infra suprascripta confinia S. Mariae de Columba in Curte de Soragna Dominus Albertonus de Brimbio pro Domino nobis donavit unam Sortem. Lanfrancus de Bellina pro Domino ibi nobis donavit alteram Sortem. Dominus Bonizzo de Landito & Ardengus Vicedominus, & Torsellus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant. Oddo de Costamezzana, & Guibertus frater ejus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant. Johannes pel de Lucco pro Domino nobis donavit totum quod ibi habebat, de quo Aicardus de Soragna coram bonis hominibus finem, & refutationem nobis fecit. Jacobus de la Porta, & uxor ejus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant.

Infra eadem suprascripta confinia S. Mariae de Columba filius Burgundionis filii Oberti Pelavicini Marchionis in Curte de Baslica Duce vendidit nobis totum, quod ibi habebat. Dominus Trojolus vendidit nobis totum, quod ibi habebat. Malus nepos, & Albertus frater ejus vendiderunt nobis totum quod ibi habebant. Albertus filius Martini Porcelli, & Richelda uxor ejus vendiderunt nobis totum quod ibi habebant. Ecclesia de Florenzola dedit nobis totum per commutationem quod ibi habebat. Ecclesia de Castellione per emptionem, & commutationem dedit nobis totum quod ibi habebat. Amizo Umbaldis de Florenzola per commutationem dedit nobis totum, quod ibi habebat. Minabovis, & Rainerius frater ejus vendiderunt nobis totum, quod ibi habebant. Guinizo Magnano vendidit nobis totum, quod ibi habebat. Ghirardus de la Turre, & frater ejus per commutationem nobis dederunt medium Mansum. Trolanus de Burgo per cambium dedit nobis quod Spileman tenebat per eum in loco Sancti Micaëlis. Trolanus de Burgo, & Malagonella de Florenzola per cambium nobis dederunt totum quod ibi tenebant per Dominum Masaldum de Caro. Hantelmus de Florenzola vendidit nobis totum quod ibi habebat. Rajnaldus Surdus, & Malacria nobis dederunt per cambium totum quod ibi habebant.

Infra eadem suprascripta confinia S. Mariae de Columba in Curte de Soragna. Filius Burgundionis filii Oberti Pelavicini Marchionis vendidit nobis totum quod ibi habebat. Dux de Florenzola vendidit nobis totum quod ibi habebat. Johannes Calvinus vendidit nobis totum quod ibi habebat. Ecclesia de Castellione per emptionem & commutationem dedit nobis totum, quod ibi habebat. Filius Dalmiani vendidit nobis totum, quod ibi habebat.

De omnibus praedictis donis, & emptionibus, atque commutationibus Ecclesia S. Mariae de Columba bonas Cartas bene attestatas habet.

Coram bonis hominibus & fratribus de Columba, quorum nomina subter leguntur. Albertus Augexanus ab Abbate Columbae nomine, & testimonio veritatis de confinibus Columbae interrogatus, respondit dicens. Sicut vadit rivus vetus de Longenella, qui est in capite fossati, quod fecistis per pratum Minabovis, quod emistis ab eo ubi Obertus Pelavicinus Marchio posuit unam crucem confinium Columbae usque ad Bodraccum, & sicut ipsum Bodraccum vadit usque ad Canale Burgundionis ab illa parte versus Castellionem sic sunt confi-

confinia S. Mariae de Columba, & ullum alium rivum veterem nunquam ibi vidi neque intellexi, quoniam cum Corvo, & Tedaldo fratre ejus Florenzolae in domo eorum ipsa confinia Columbae ordinavi, & in cartis Marchionum, scilicet Oberti Pelavicini, & Conradi Cavalcabovis de bonis eorum, quae fecerunt in Ecclesiam S. Mariae de Columba pro remedio animarum suarum scribi, & ordinari dixi, & feci, sicut in praedictis cartis ipsa confinia sunt scripta, & ordinata. Versus Sanctum Andream sicut Canale Burgundionis vadit a Bodracco usque ad Clusam Burgundionis de Fraxeneto ab illa parte sic sunt confinia S. Mariae de Columba usque in rivum de Pontiore, & sicut rivus de Pontiore transit usque in viam, quae vadit ad Seolum, ab illa parte sic sunt confinia Columbae. Desuper Carrettum sic sunt confinia Columbae, sicut Obertus Pelavicinus Marchio cruces confinium posuit, & haec sunt confinia S. Mariae de Columba, quae nos intelleximus, & scribi diximus, sicut in praedictis cartis Marchionum sunt scripta & ordinata. Ibi Corvus hoc idem coram eisdem hominibus nomine veritatis interrogatus respondit, confirmavit.

Ibi fuit Malus parens, & Ardengus, & Simon, & Rogerius de Sarturiano, & Abbas Columbae, & Johannes Subprior, & Albertus Cantor, Guillelmus Sacrista, & Oddo, & Guido, & Petrus, & Johannes, & Vitalis fratres, & Monaci Columbae. Actum est hoc infra domum Columbae II. Nonas Martii Anno Incarnationis Domini MCXLIIII. Indictione VII.

Quare quum se nobis offerunt homines pii, qui bona etiam vinculo emphyteusis aut feudi obligata in Ecclesias, sive manus mortuas transferunt, opinari decet, impetratam antea fuisse facultatem a Dominis directis; nullius enim roboris ejusmodi donatio fuisset. Ex Archivo insignis Monasterii Classensis, ubi Ravennates Monachi Camaldulenses Deo serviunt, missa ad me fuit Charta, quam perpendas velim, ibi enim id genus bona donantur, nullâ tamen facta mentione veniae a directis Dominis impetratae.

Charta Tebaldi, filii Pagani, qua Johanni Priori Ecclesiae S. Crucis eremi Fontis Avellani concedit Ecclesiam S. Apollinaris in Nartianula Anno 1084.

IN nomine Domini temporibus Donni Gregorii Summi Pontificis, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi Millesimo Octogesimo Quarto, Regnante Henrico filio quondam Henrici Imperatoris, Indictione Sexta, Eugubio. Ego in Dei nomine Tebaldus filius quondam Pagani de Nartianula refutationem, & transactionem, & definitionem facio Ecclesiae Sanctae Crucis Heremi Fontis Avellani, & tibi Johanni Priori, tuisque Successoribus imperpetuum, de ipsa Ecclesia Sancti Apolenaris posita in Nartianula, & praedia sibi pertinentia, & muribus, & Altaribus, & paramentis, & de omnibus patrociniis Sanctorum, quae ibi sunt, quae fuit de jure Sancti Apolenaris in Classe de Raveuna; tam de ipsa parte, quam ego tenebam ex parte Genitoris mei jure infiteoticario, aut meo jure & omni alia portione, quam ego tenebam

bam jure Episcopii Sancti Mariani, aut qualicumque modo ego tenebam, aut qualecumque homo meo jure. Et medietas unius modioli de mea proprietate de Silva Majore. Omnia suprascripta res & Ecclesia confirmo ad habendum, firmiterque possidendum jam dictam Ecclesiam Sanctae Crucis, sicut superius diximus, pro redemptione animae meae, & Genitoris mei, & Genitricis, & Fratrum meorum, & pretio quod recepi equum unum, & denarios quantos simul convenimus pro hac supradicta caussa. Obligo me meosque heredes nullam molestiam inde facere nec nullam actionem movere, sed semper tacere. Et si omnia non obserbavero, & non adimplevero cuncta quae superius promisi, obligo me meosque heredes dare & componere poenae nomine de argento libras decem jam dictae Ecclesiae, & suis Rectoribus imperpetuum, & post poena soluta haec pagina finitionis & transactionis firma, & stabilis permaneat omni tempore.

Signo manu ego Tebaldus, qui hanc paginam finitionis, & securitatis scribere rogavi.

Ego Ubertus filius Uberti Judicis testis sum.

Ego Peccinellus testis sum.

Ego Addamulus testis sum.

Ego Johannes scripsi & complevi.

Duodecima caussa, quae multas opes intulit in Ecclesiasticum aerarium, & quam in Differ. LXXI. *de Episcop. potentia* etiam innuam, ea est: Nempe Episcopos atque Abbates antiquis Saeculis sese politicis immiscuisse negotiis, & Aulam Regum frequentasse, ut non secus atque Seculares eorum gratiam, fructusque inde consequentes, lucrarentur. Quum verò controversiae exsurgebant de Regno, aut electione Regum, aut bella flagrabant, quicumque ex Ecclesiae Principibus aut Abbatibus intensiorem in iis concertationibus operam dabat ad comparandum alicui Regnum, aut juvandam alicujus caussam, ei etiam in bellicis tumultibus adhaerendo, is prae ceteris effusiorem in se liberalitatem Principis sentire fere semper consuevit. Anno 1091. Henricus Rex IV. & Imperator III. ad deditionem compulit Mantuanam Urbem, ibique, pulso *Hubaldo* Praesule legitimo, *Chononem* (quo nomine *Conradus* significatur) intrusit. Nihil non fecit Schismaticus iste Episcopus, ut Henrico se utilem praeberet turbidissimis iis temporibus. Quare suum censuit Henricus liberalem se quoque praebere erga illius Ecclesiam, eidem concessis tribus Castellis, quibus, ut arbitror, spoliata deinde fuit, statim ac Mantuam Mathildis Comitissa recepit. Tenebris ereptum accipe Diploma Henrici, nobis servatum in suis Collectaneis MStis a Peregrino Prisciano Ferrariense.

Donatio Castri Novi, Campitelli, & Scorciaroli facta Cononi Episcopo Mantuano, ejusque Ecclesiae, ab Henrico Rege IV. Imperatore III. Anno 1093.

IN nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Henricus Imperator semper Augustus. Quoniam opportunum nobis, & utile valde statui ac decori Regni & Imperii nostri evidenter esse cognoscimus, sanis nostrorum fidelium consiliis,

liis, in his maxime, quae ad curam & honorem nostri regiminis pertinent, diligenter condescendere, si quid forte occurrit, quod honorem nostrum non minuat, & Sanctam sublimet Ecclesiam, eorum nullatenus debemus salutaria consilia contempnere. Dicit namque Sapientia: Omnia fac cum consilio, & postea non poenitebis. *Est quoque juxta Psalmistam Regis honor judicium & justitiam diligere, & in veritate posse dicere cum Psalmista:* Domine, dileximus decorem domus tuae. *Ut igitur per honorem & amplificationem donorum Dei, cujus servitio vacare debemus incessanter ex dilectione, si salvari cupimus & aeternam consequi gloriam, nostrorum sane fidelium consilia piis auribus exaudientes, & ad dignam & humilem, & laudabilem petitionem* Chononis Mantuani Episcopi *clementer respicientes, Castrum novum, & Campitellum, atque Scorciarolum cum omnibus eorum pertinentiis intus & foris, salva nostra Regali justitia, per hanc nostram praeceptalem paginam habenda perhenniter atque possidenda sine molestia jure proprietario Mantuanae Ecclesiae concessimus. Si quis igitur Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut alia quaelibet persona, cujuscumque conditionis fuerit, hanc nostram praeceptalem paginam violare praesumpserit, mille libras auri puri compositurus banno nostro subjacebit medietatem nostrae Camerae, & medietatem praedictae Ecclesiae. Ut autem inviolabiliter ab omnibus observetur, imagine nostri sigilli insigniri diligenter jussimus.*

Signum Domni Henrici Imperatoris Augusti.

Datum Anno Dominicae Incarnat. MXCIII. Regnante Domno Henrico Romanorum Imperatore Augusto XXXIX. Imperante vero IX. Indictione vero V. Actum Mantuae feliciter.

Porro quam multa ab Ottone III. Augusto Vercellensi Ecclesiae conquisierit Leo Episcopus, alia monumenta in hoc ipso Opere edita, atque ab Ughellio partim indicata, sat produnt. Is obsequio sedulus in ipsum Augustum, nullam occasionem excidere patiebatur, qua novis ab eo cumularetur donis. En novum liberalitatis Imperatoriae erga illum pignus, donatio scilicet insignium duarum Cortium; nam sub *Clavasiae* nomine venisse puto Oppidum, quod nunc *Chivassa* appellatur. Hujus donationis tabulas, nondum editas, adjicere heic juvat.

Ottonis III. Augusti Praeceptum, per quod Leoni Episcopo Vercellensi, ejusque Ecclesiae, duas Cortes Clavasiam & Bedolium elargitur, Anno 1001.

I*N nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Otto Tertius, secundùm voluntatem Jesu Christi Romanorum Imperator Augustus, sanctarumque Ecclesiarum fidelissimus dilatator. Notum sit fidelibus nostris, qualiter interventu & petitione* Ugonis Marchionis *nostri dilectissimi fidelis, dedimus Sancto Eusebio, cui* Domnus Leo Episcopus *praeesse videtur, duas Cortes juris nostri Clavasiam & Bedolium in integrum cum omnibus terris, massaritiis, silvis, pratis, pascuis, vineis, piscationibus, venationibus, ripis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, omnibusque terris cultis & incultis, cum omnibus Servis,*

vis, Ancillis, Aldionibus & Aldiabus, & cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus ad easdem Cortes in integrum pertinentibus; & cum omnibus, quae dici possunt, ad easdem Cortes inspicientibus: ut tam Leo Episcopus, quàm omnes sui Successores habeant, teneant, ordinent, & quodcumque velint, faciant, salvâ tamen Dei reverentiâ, & honore Sanctae Ecclesiae; quia omnino de nostro jure, & de nostra proprietate in jus proprium, & proprietatem Sancti Eusebii Vercellensis Episcopi contulimus, ut omnem potestatem habeat tam Leo Vercellensis Episcopus, *quàm omnes sui Successores, ita de illis praedictis duabus Cortibus Clavasia & Bedolio, & omnibus mobilibus & immobilibus illas respicientibus facere, sicut de aliis terris, quas Sancta Vercellensis Ecclesia pacifice & quiete tenet, & tenuit. Interdicimus autem, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vicecomes, nullaque Imperii nostri magna aut parva persona, ullam contrarietatem, aut minorationem facere de quacumque re audeat, aut undequaque per aliqua placita aliquo ingenio fatigare. Si quis autem Diabolico fastu ductus, hujus nostri Praecepti violator extiterit, mille Libras auri obrizi componat, medietatem nostrae Camerae, & Sancto Eusebio alteram: hocque Praeceptum omni tempore in sua permaneat firmitate. Quod ut verius credatur, & in aeternum conservetur, manu nostra roboravimus, & nostro Sigillo jussimus insigniri.*

Signum Domni Tertii Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Heribertus Cancellarius ad vicem Petri Cumani Episcopi recognovit.

Datum XV. Calendas Februarii, Anno Dominicae Incarnationis Millesimo Primo, Regni verò Domni Tertii Ottonis XVI. Imperii verò V. Indictione XIV.

Actum Romae in Palatio feliciter. Amen.

Verùm haec omnino levia, si cum aliis Regum atque Augustorum largitionibus erga Ecclesias conferantur. Heic autem quisquis est inter Lectores morosus, ac rigidae censurae adsuetus, sinat ut exeram Chartam informem, cujus antiquissimum apographum intueri, ac describere mihi licuit ex reliquiis Tabularii Augusti Monasterii Nonantulani, in Mutinensi agro siti. Minutissimis ac rotundis characteribus exarata erat membrana illa, quorum forma alicubi prae vetustate exciderat.

Charta donationis bonorum immanis, factae Nonantulano Monasterio, ejusque Abbati Anselmo, a Carolo M. Francorum & Langobardorum Rege, atque (*) Morteperto Duce. Circiter Annum 774.

Exemplum donationis facte per Carolum Regem Francorum & Nortepertum Ducem.

V*Eneravile Cenobio Sanctorum Apostolorum sito in Castro Nonantule territorii Mutinensis, ubi* Domnus Anselmus........ *nobis Karolus Rege Francorum & Saxio,........ & Longobardorum, una cum* Nortepertus Dux, *damus, simulque offerimus omnia nostra Cortes, & Donica in* Comitatu Fossolano, *in* Comitatu Pistoriense, *atque in* Comitatu Lucardo, *& in* Comitatu

(*) Legendum *Norteperto*, ut infra.

mitatu Lucense, *&* *in* Comitatu Rigenses, *atque in* Comitatu Senensi. *In primis omnia do ego Dompno Carolus duo gualdos mea Donica in* Comitatu Fossolano *super fluvio....... jacentes cum Ecclesias suas, idest Sancta Maria in Advena, & Sancta Maria in Manum, quod est per singulos gualdos foriestos meas massaricias C. una cum selvas ad ipsius pertinentes. Seu & Monasterium in Civitate Fossolana Sanctos Michaël atque Monasterium Sancti Miniati in ipsius Civitate, cum Cellis suis in ipsius Civitate vel foris ad ipsas pertinentes. Seu & Curte Viselle, & Corte Bibiano, Plebe Sancti Gavini, & fundo Justiniano, Mocolidula, & Colle Fenario, & Corte Tigano, Plebe Sancte Marie Villole, & Plebe Sancte Hierusalim, seu Plebe Sancti Romuli, & in loco Bernardi, seu in Grave, & Sancti Illarii, & Corte Pretorio, & Sancti Michaëlis, & Corte Sobelinario, & Monte Miniano, Turiniano, & Gorzano, Genesticlo, & Spaloti, Plebe Sancti Panchrati, & Corte Bergovigiano, & Scultta, Fugnana, & Sancti Petri in Mauriciani, & Corte Axfinia, Corte nostra Spandola, Corte nostra Meledo, cum Ecclesia in Musello, in Caprilia, ... niano, & Turri in Pineta, seu in Sexa, atque Corte nostra de Novole, & Corte de Fumaria atque Calcinaria, & Valvigne, Arzana..... Corte Monachorum, & Simbriano, Corte Elsa, Corte Pesa, Campi, Ingone, Quinto, Melego, Aproniano, Suficana, ... ano, Popponi, Grappena Sancti Benedicti, Sancti Georgii in Plebe Sancti Petri in Perimone: Seu in* Pistoriense, *Corte........ Pinsingo, Plebe Sancti Petri de Groppina, & Plebe Sancti Laurentii de Petriolo loco, qui vocatur Bocina. Seu in* Comitatu Aretino, *Plebe Sancti Stephani, sita in Classe, & loco Pissinale juxta fluvio Classe. In* Comitatu Lucardo *Corte nostra Sancti Petri in Mercato, seu Corte nostra Monte Calvo, & Corte Campane, & Corte Petroniano, Plebe Sancti Leonardi, Corte a Furno, & Castro Ciliano, atque Monte Bonici, & Sancti Petri cum Corte Quintolo, & juxta fluvio Gofintia Corte Dominici, & Sancti Donati, Corte Decimo, Plebe Sancte Cecilie, Corte Penite, Plebe Sancte Marie, Corte Meleto, Corte Monacile, Vadolongo, Quarte, Plebe Sancti Petri, Rabuciona cum Capella Sancti Petri, Cortem Sepi cum Ecclesia Sancta Maria, Corte Caracle cum Ecclesia Sancti Martini, Corte Casentino, Corticella nostra una, qui vocatur Satri, Corte Pinscingno cum Cella Sancti Apostoli prope fluvio Selice. In* Comitatu Lucense *Sancta Maria cum Corte Pulinacho, seu & alias omnes Cortes nostras in predictis Comitatibus, Territorio Tuscia in donico nostrorum, quod est........ duo millia quingentorum. Et si amplius de nostro domnico invene in pagina ista permaneat una cum omnia capidalia & censoaria, seu & decima qui ad ipsas Cortes pertinet, ut sit in victo pauperorum atque Monachorum pro veneratione religia, & ne subeant ipsi Monachi, vel Monasterio nisi ad Ecclesiam Romanam. Omnia ipsas Cortes cum adjacentia & pertinentia sua, seu cum appendiciis suis quanto ad nostras Cortes depertinet infra ipsius Comitatibus, tantis una cum selvas ad ipsas depertinentes una cum olivetis & vinetis, arbustis, arboribus pomiferis, fructiferis & infructiferis diversisque generibus, jura fluviorum, qui decurrit per de ipsos Comitatos, alpibus & collibus, omnia a sibi pertinentia & adjacentia in integrum. Et si qui de hominibus qui precepta nostra neglexerit, vel.......... daverit, sit*

sibi pena compositura bona ejus publicetur, & in exilio mitteremus. Hanc vero paginam Artuino Notario a scrivere tolli & robariada con testibus tradita complevi & absolsi.

Ego Mericho Clericus rogatus.

Ego Raimpret rogatus.

Ego Aldoinus rogatus.

Ego Joseph a rogatus.

Melchione Medicus a rogatus.

Signa † † † † de contestibus Warnifret, Artoinus, Mechois, Josephus, Stravius, Ariprct, Johannes, Paulinus, Basingus, Mauro, Leo, Gumperto, Stamperto, Stabile, Da Villa, Vanielei.

Quisquis Chartam hanc legerit, animoque intento consideraverit, aut continuo eam ad apocrypha amandet, aut anceps dubiusque in ejus contemplatione considat oportet. Et ego haesi, atque adhuc haereo. Fidem paene excedit tanta bonorum, Villarum, atque Ecclesiarum effusio, uno tenore ac die facta in unum Abbatem, unumque Monasterium. Deinde nulla est Chartae huic germani Diplomatis facies; & quisque novit, quibus verbis, & formulis Reges, atque Imperatores donationes ac Privilegia sua concipere consueverunt. Mirari etiam subeat, cur sese cum Rege *Nortepertus Dux* immisceat in ejusmodi donatione facienda. Haec profecto, atque alia, fateor, meae quoque menti obversabantur, quum Chartam descripsi, cujus authenticam originem praestare certe nolo, sed quae mea sit de illa opinio tantùm exponere. Suppositititium foetum affirmare non ausim; si enim antiqui Monachi animum adjecissent ad confingendam adeo magnificam donationem; longe minus negotium fuisset Diploma comminisci, quum & sibi ad manum essent, & ubique facile haberentur Diplomata a Regibus emissa, quae imitari potuissent. Deinde subsequentibus temporibus nulla supererant, uti videtur, vestigia tantarum opum Nonantulano Coenobio in Tuscia collatarum: ac proinde quem quaeso in usum imposturae huic indulsissent Monachi? Ad haec quis *Comitatum* illum *Lucardum*, de quo mihi sermo fuit in Dissert. XXI. *de Italiae statu*, posterioribus Saeculis excogitasset, quando ne unum quidem verbum de illo antiqua Historia habet? Quamobrem justus opinandi locus relinquitur, nil figmenti in ea Charta haberi, ipsamque fuisse privatam veluti scripturam a *Carolo Rege*, ac *Norteperto Duce* factam. Sed cur tanta tamque (paene dixi) enormis insuetaque donatio facta Nonantulano Coenobio? Veniam a Lectoribus peto, si fortasse facilius quam par sit in quamdam suspicionem inclino, eamque etiam referre nunc audeo. Suspicor, inquam, tantam Caroli munificentiam in *Anselmum Nonantulanum Abbatem* inde ortam fuisse, quod Anselmus ipse auxiliares manus porrexerit Carolo ad arripiendam Coronam Langobardici Regni, fructumque ceperit operae bene navatae magnificam illam tot bonorum donationem. At, inquies, Anselmus genere Langobardus fuit: quis credat, hominem a gentis suae amore defecisse, ut in Francos translatum vellet Regnum Langobardorum? Equidem id minime certum statuam; attamen non desunt, quae mihi rem ea ratione processisse suadere videntur. Uti constat ex Opusculo *de fundat. Monast. Nonantul.* Par. II. Tomi I. Rer. Ital. pag. 189. Anselmi soror *Giseltruda* nupta fuit *Aistulpho Langobardorum Regi*. Is autem Ansel-

Anselmus, ut fertur, Ducis titulo Foro Julii praeerat, quum abjurato Seculo Monasticae vitae sese addixit, ac Nonantulanum, aliaque Coenobia construxit, Aistulphi liberalitate adeo insigni corroboratus, ut Anonymus Salernitanus in Paralipom. Chronici sui Part. II. Tom. I. Rer. Ital. pag. 177. dignum duxerit hanc etiam inter laudes illius Regis recensere, scribens: *Idemque etiam fecit Monasterium in finibus Aemiliae, ubi dicitur Mutina, in loco qui nuncupatur Nonantula: nam pro ejus cognato Abbate Arsenio* (*Anselmo* restituendum est) *ibi virorum Coenobium fundatum est; nec non sibi ad sacra Monachorum Coenobia aedificanda per certas Provincias* (quae scilicet Nonantulano deinde supposita fuere) *multa est dona largitus*. Sublato e vivis *Aistulpho*, *Desiderius* Langobardorum Rex est renuntiatus, sed repugnante *Ratchis*, germano Aistulphi, eo videlicet, qui Regnum ante Aistulphum tenuerat, & Monachus in Casinensi Coenobio degebat. Quid Ratchis egerit, quantoque conatu bonus Monachus novo Regi obstiterit, accipe ab Anastasio in Vita Stephani II. Papae, & ab eodem Anonymo Salernitano, qui heic Anastasium exscripsit: *Hujus* (Desiderii) *personam despectui habens Ratchis dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus praefati Aistulphi, sed & alii plures Langobardorum Optimates cum eo, eumdem Desiderium spernentes, plurimam Transalpinae, vel ceterorum Langobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt*. Intercessit tot motibus ad Desiderii preces Stephanus II. & pacem inter diffidentes composuit. At Desiderius exulceratum deinde animum gerens, pro more conditionis humanae adversus eos, quos contra se conjuratos senserat, in *Anselmum* quoque desaeviit, quippe illum, ut justa conjectura suadet, Ratchisio sororii sui fratri conjunctum, sibique adversantem, deprehendit. In Catal. Abbat. Nonantul. Tom. V. Ital. Sac. in Episcop. Tarvis. Anselmus dicitur rexisse *Abbatiam Nonantulanam annis quinquaginta; & ex his septem passus est exilium a Desiderio apud Casinum, sicut multorum seniorum relatione didicimus, pro eo quod nescio quid deliquerit in Desiderio; & Vigilantius Presbyter in praedicto tempore feliciter Nonantulanum gubernavit Coenobium*. Quod heic dicitur de Vigilantio Presbytero nescio an certo fundamento nitatur. In Dissert. LXIV. *de vario statu Dioeces.* Catalogum prodidi quorumdam vetustiorum Diplomatum eidem Coenobio concessorum, inter quae unum *Privilegium in papyro Adelchis Regis in Silvestro Abbate, confirmans omnia Privilegia superius annotata &c.* Ergo non tantummodo in exsilium actus est Anselmus, sed ejus loco substitutus fuit alter Abbas, nempe *Silvester*, ad regimen Nonantulani Monasterii. Simul autem hinc discimus, nisi post debellatum Desiderium Anselmo Abbati restitutum fuisse Coenobium suum; nilque obstare, quin suspicemur Anselmum ipsum quantis potuit viribus, apertis aut occultis, curasse, ut venientem Carolum Langobardi proni amplecterentur, dejectoque Desiderio sibi infesto, Francorum Principem in suum Regem lubenter acciperent. Neque Anselmi singularem pietatem huc arcessas velim. Summa quoque pietas fuit Hadriano I. Summo Pontifici; at nemo in illum injurius sit, si reputet, & ipsum minime indiligentem fuisse, ut in Langobardorum ditione Regi inviso Rex amicissimus succe-

succederet: ex qua victoria in ipsum quoque Pontificem, ejusque Successores, emolumenta non modica redundarent. Quis verò fuerit *Nortepertus Dux* in Charta nuper evulgata memoratus, ignotum est mihi. Attamen *Norteperti Ducis* mentio est in Charta Bononiensi commentitia, quam edidi in Dissertatione LXIV. *de vario statu Dioecesf.* isque floruisse dicitur, regnante Ratchisio Langobardorum Rege, atque inter Duces ejus gentis refertur. Vetustus illius Chartae artifex vetustiora forsitan monumenta prae oculis habuit, e quibus promere potuit *Norteperti* illius notitiam. Magni ergo nominis vir Anselmus Abbas, & singularis apud gentem suam existimationis, multum contulisse non immerito credendus est, ut Carolo M. tam prospere procederet bellum, per quod avitis Regnis Italicum nobilissimum adjecit. Neque plura pro hujusmodi conjectura adferam. Ad Romanos tamen Pontifices quod attinet, bene quidem eis cessit sub Pippino Francorum Rege, ejusque filio Carolo Magno; tunc enim non Exarchatui tantùm, sed & Romae, ejusque Ducatui dominari coeperunt. Plura etiam tunc eis promissa videntur, quam effectus ostenderit. At procedente tempore, quamquam ab ipsis Imperialis Coronatio penderet, per quam titulus & jus Imperatoribus tribuebatur, & quam nonnulli multis donis emebant: parum tamen emolumenti inde in Ecclesiam Romanam manavit. Scilicet nihil novae ditionis ei additum fuit, immo antiqua etiam imminuta atque subtracta videntur. At ineunte Saeculo XIII. sub Innocentio III. grandis animi Pontifice, ac uberius etiam sub Nicolao III. Romana res felicius promoveri coepta est, ita ut partim liberalitate Regum & Imperatorum, partim armorum subsidio, in illum Romana eadem Ecclesia statum progressa fuerit, quem nunc cernimus, eique perpetuum & pacatum semper optamus. Justum Librum conficeret, quicumque recensendam sibi proponeret in hocce negotio modò secundam, modò adversam, Romanorum Pontificum in rebus temporalibus fortunam. Ego unum exemplum adferam, e Cencii Camerarii Regesto excerptum, Diploma videlicet Friderici II. tunc Romanorum Regis, & postea Imperatoris, qui dum de Imperio contenderet cum Ottone IV. Augusto, ut sibi enixius gratiam conciliaret praelaudati Innocentii III. & Romanae Ecclesiae, erga Richardum Pontificis fratrem liberalem se praebuit, uti ex hisce tabulis constabit.

Literae Friderici II. Romanorum Regis Sorano Comiti, quibus omnia jura, quae in Civitate Sorana, & quibusdam aliis Castris Comitatus ipsius habebat, Ecclesiae Romanae tribuit & concedit, Anno 1215.

Fredericus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliae, dilecto filio suo Ricardo Comiti Sorano, gratiam suam & omne bonum. Licet ad retribuendum digna pro meritis beatissimo Patri ac Domno nostro Innocentio Summo Pontifici, germano tuo, nos insufficientes & impares reputemus, ne tamen judicari debeamus ingrati, si nihil egerimus, quod gratiae

tiae suae debeat esse gratum, nos facientes ad praesens, quod possumus, in posterum dante Domino majora facturi, omne jus, quod habemus in Civitate Sorana cum Rocca Sorellae, Arpino, Arce, Fontana, Pesclosodulo, Brocco, & Rocca de Vivo, quas dudum tibi concessimus, & heredibus tuis, cum Insula, Castellucio, & Terras Johannis Pagani, quas etiam tibi concessimus in Baronias, sacrosanctae Romanae Ecclesiae, a qua praedictas Terras fatemur & recognoscimus nos habere, in perpetuum concedimus, & donamus. Ita tamen quod tu & heredes tui Terras ipsas, cum omnibus pertinentiis & juribus suis a Romana dumtaxat Ecclesia de cetero teneatis, fidelitatis sibi praestito juramento, servientes eidem de ipsis, pro ut nobis servire tenebamini. Ne verò super hoc aliqua possit in posterum dubitatio suboriri, praesentem Chartam aureâ Bullâ nostrâ communitam tibi, & heredibus tuis in testimonium duximus concedendam.

Hujus rei testes sunt, Theodoricus Treverensis Archiepiscopus, Berardus Panormitanus Archiepiscopus, Conradus Metensis Episcopus, Imperialis Aulae Cancellarius, Comes Adolfus de Sowenbruc, Henricus Comes de Gemino Ponte, & alii plures.

Actum est hoc Anno Incarnationis Domini Millesimo Ducentesimo Quincto-Decimo, Indictione IV. Regnante Domino Frederico II. divina favente gratia Romanorum Rege, & semper Augusto, & glorioso Rege Siciliae, Anno Romanorum Regni ipsius Tertio.

Datum apud Spiream, Anno & Indictione supradictis, Quincto Idus Octobris.

Decima tertia causa ditati Ecclesiastici aerarii, quidam mihi creditur ex piis antiquorum temporum moribus. Nimirum Patres & Concilia concordi voce Christianos passim hortabantur, ut viventes, aut in postremis saltem tabulis eleemosynas ad animae suae redemtionem, hoc est pro eluendis peccatis, relinquerent: qua de re multus mihi sermo fuit in Lib. Italicâ Linguâ scripto *de Caritate erga proximum*. Christum sibi cum filiis aut agnatis coheredem facere hoc pacto pia gens dicebatur. Proinde vix ullus erat, qui sine eleemosynarum largitione suos dies clauderet. Immo probrosum quodammodo erat sine testamento decedere, hac ipsâ potissimum de caussâ, quod Christianus intestatus e vivis abiens, nullamque eleemosynam decernens, nullam aut exiguam aeternae suae salutis curam habuisse videretur. Ut ergo ejusmodi ignominiae eriperentur quicumque intestati diem postremum claudebant, invectus sensim alicubi fuit mos, ut Episcopus, defuncti hominis loco, testamentum conderet, hoc est, id statueret in eleemosynas erogandum, quod relicturus fuisse crederetur Christianus vitâ functus, si testamentum suum vivens conscripsisset. Id primo factum est piis, ut puto, heredibus consentientibus; fortassis etiam rogantibus: procedente autem tempore in consuetudinem ac veluti legem res abiit. Ejusque prostant exempla, praesertim in Anglica Historia, & adhuc mos durat in aliquibus, immo pluribus Regni Neapolitani locis, uti testantur Episcopus Montis-Marani in Prax. Episcop. Neapol. & Molfes. ad Consuetud. Neapol. Par. IV. Quaest. LXIV. Ad haec primo sacris Pastoribus data est ejusmodi facultas, ut hereditatis portio in pauperes ac egenos dispergeretur; sed sensim Ecclesiae quoque in pauperum censum

censum venerunt, atque inteftatae gentis mens credita eft proclivior in eas futura fuiffe: qua ex re pinguius illarum patrimonium evafit. Immo Epifcopi ipfi in rem fuam ejufmodi confuetudinem interdum convertebant; ac tributum evafit, quod antea pii moris fuit. Id fignificare videtur Charta Aimerici Caefenatis Epifcopi Anno 1274. fcripta apud Ughellium Tom. II. Ital. Sacr. *Largior*, inquit, *do*, *trado Canonicam portionem* (ergo per Canones hoc Epifcopis indultum) *Teftamentorum*, *&* *aliarum ultimarum voluntatum*, *de jure fpectantem mihi*, *meifque fucceffori-bus per totum Plebatum Sancti Mauri &c.* Rurfus infra meminit *Canonicae portionis*, *ideft Quartae Teftamentorum*, *&* *aliarum ultimarum voluntatum*. Attamen haec obfcura fateor. *Quarta* illa fortaffe fuit de mobilibus tantùm; reperitur enim *Tertiagium* *&* *Nonagium*, hoc eft jus Epifcopo & Clero datum exigendi *tertiam* aut *nonam* partem de bonis mobilibus teftatorum. Confule Du-Cangium in Glofs. Lat. Utcumque tamen ifta explices, fatis habes ad dignofcendum alium fontem, unde opes in Clerum antiquis temporibus defluebant.

Neque tantùm eleemofynae causfâ teftatoribus fuadebatur liberalitas in Ecclefias, fed etiam juftitiae intuitu, ut fi quid in humanis commerciis inique fibi tribuiffent, fpecie illa reftitutionis emendarent, quoties videlicet certae perfonae non effent, quibus facienda reftitutio foret. Obizo I. Marchio Eftenfis in poftremis fuis tabulis Anno 1193. confectis, atque a me evulgatis Par. I. Cap. 37. pag. 364. Antiquitat. Eften. *reliquit libras CC. pro Maltoleto*. Hoc nomine (*Malatolta* quoque dicebant) veteres praecipue fignificabant tributa indebita a fubditis exacta, aut alio quovis modo injufte ablata. Ita Anno 1338. Marfilius Carrarienfis Patavii dominus, *videns fe in articulo mortis*, *pro fuis male ablatis reftituendis Florenos centum millia confignavit*, *quos depofuerat Venetiis*. Haec in Chronico Cortufii Lib. VII. Cap. X. Interdum etiam (idque alibi in hoc ipfo Opere animadverti) in neceffitatibus Ecclefiae Romanae Thefauri Ecclefiarum impendebantur; Pontifices verò pacis tempore beneficium hoc eifdem Ecclefiis rependebant, conferendo eis fundos, immo & quandoque Caftella, unde augebantur reditus & potentia Abbatum atque Epifcoporum. Id factum Canoffinae Ecclefiae vide poft Vitam Mathildis a Donizone confcriptam Tom. V. Rer. Italic. Sed & ipfa Mathildis Comitiffa, quod thefauro Nonantulani Coenobii ufa fuiffet bellorum tempore, en quo pacto fe munificam praebuerit erga ejufdem facri loci Monachos. Exemplum antiquum Chartae hujus in Tabulario Nonantulano vidi.

Mathildis Comitiffae Charta, per quam varia Caftra ac bona confert Monafterio Nonantulano ad thefauri ejufdem Ecclefiae a fe expenfi reftaurationem, Anno 1103.

IN nomine Domini noftri Jefu Chrifti. Anno ab Incarnatione ejus Millefimo Centefimo Secundo, quinto decimo Kal. Aprilis Indictione Undecima. In Dei

Dei nomine ego Matildis Comitiſſa Dei gratia ſi quid ſum, *juſſione & data licentia* Domni Bernardi Dei nutu Sanƈte Romane Eccleſie Cardinalis, atque in Lombardie partibus Vicarii Domni Paſchalis divina favente clementia ejuſdem ſumme Sedis Antiſtitis, *in meorum peccatorum remiſſionem, & ad* theſauri ſanƈte Nonantulane Eccleſie reſtaurationem, in qua Corpus Beatiſſimi Silveſtri Chriſti Confeſſoris requieſcere noſcitur, *quem preſate ſumme Sedis juſſione, ejuſdem tuitione, quae tunc temporis ab adverſariis intolerabili infeſtatione vexabatur, expendi: Tibi Domno Johanni Prepoſito, & Adigerio ejuſdem preſati Cenobii Avocato, a parte ſcilicet preſate Eccleſie in perpetuum ad habendum concedo: ideſt nominative Caſtrum & Curtem Cellule cum edificiis & Eccleſiis una in honorem Beati Johannis Baptiſte, alia Sanƈti Caſſiani, tertia Sanƈti Michaëlis Arcangeli, ibidem conſecratis, & Curtem Raigoſole cum Eccleſia dedicata in honore Beatiſſime Virginis Marie, & omni jure ad prediƈtum Caſtrum & Curtes pertinente. Caſtrum etiam Tedaldi cum Eccleſia in honore preſati Sanƈti Johannis Baptiſte edificata, & omnibus ejus pertinentiis, omneſque res territorias, quas in toto Comitatu Ferrarie videor poſſidere; omnes ſcilicet res ſupradiƈtas, quas prelibate Sanƈte Romane Eccleſie jure proprietario tradidi, & nunc ab ea videor poſſidere. Eo verò ordine ut pars prediƈte Eccleſie Sanƈti Silveſtri omnes prediƈtas res ut dixi, in perpetuum teneat, ac prout ei melius viſum fuerit, utiliter diſponat ſine omni mea que ſupra Matildis meorumque heredum ac proheredum contradiƈtione. Ita tamen ut pro omnibus ſupraſcriptis rebus a parte jam fate Nonantulane Eccleſie unus biſancius annualiter in Lateranenſi Palatio penſionis nomine perſolvatur; illi videlicet prime Sedis Pontifici, qui per Catholicos Cardinales inibi pro tempore fuerit ordinatus. Quidem & ego que ſupra Matildis una cum meis heredibus &c.*

Aƈtum in Caſtro Panciano feliciter.

✠ *Ego Bernardus diƈtus Cardinalis Presbiter Sanƈte Romane Eccleſie, & Domni Pape Paſchalis Secundi Pape in Longobardie finibus Legatus atque Vicarius, diƈtante juſtitia ex utraque parte, hoc ſcriptum fieri juſſi, & manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego frater Johannes peccator Monachus diƈtus Prior hanc cartulam accepi, & ideo ſubſcribo, ut ſi oportuerit, ſaltim mearum litterarum valeat comparatio.*

MA | TIL
DA | DEI
GRA | SI
QID | EST ss.

✠ *Ego Ardericus Judex interſui, audivi, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Bonus Judex interſui & ſs.*

✠ ✠ *Ego Albericus m. m. ſs. Ugo Armatus, Albericus de Nonantula de hac ſcripta pagina rogati fuerunt teſtes.*

✠ *Ego Wido Notarius ſacri Palatii ſcripſi, poſtraditam complevi & dedi.*

Scripſi *Anno* 1103. quum Anno illi reſpondeat *Indiƈtio XI.* Niſi error Librarii heic ſubſit, Annus 1102. Florentinorum more continuatus fuit uſque ad diem XXV. Martii Anni vulgaris 1103. ac propterea cum *Indiƈt. XI.* conjungitur in Charta *Annus MCII.* Quod Mathildis fecit, feciſſe credendi ſunt & alii Principes pie-

pietatis non obliti, nam etsi fere nunquam in donationibus Ecclesiae alicui factis, remunerationis ac restitutionis titulum commemorant: quum tamen Ecclesiarum thesauris vel sponte oblatis, vel vi sublatis, non rarò uterentur ad bellorum necessitates, opinari licet, rependisse postea beneficium, aut emendasse maleficium, collato quopiam insigni dono eisdem Ecclesiis. Titulum autem istum disertis verbis expressit Fredericus II. Siciliae Rex postea Imperator, quum se liberalem erga Pactensem Ecclesiam exhibuit. Debeo illius Diploma amicissimo viro P. Sebastiano de Paulis ex Congreg. Matris Dei, Theologo Augusti olim nostri, cujus eruditionem editi Libri, & Eloquentiam praeclariora Italiae pulpita testantur.

Friderici Siciliae Regis Diploma pro Episcopatu Pactensi, cui concedit dimidium Terrae Nasi, Anno 1200.

Federicus divina favente clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae & Principatus Capuae.

Gratum Creatori munus offerimus cum sacrosanctis ejus Ecclesiis Regiae manus extendimus largitates, & illis praecipue, quae nobis in necessitatis articulo de bonis ejus, devote libenter satis & liberaliter subvenerunt, ad quarum etiam ritributionem condignam justa nos ratio provocat, & honesta. Inde est itaque, quod cum Pactensis Ecclesia medietatem Terrae Nasi, quiete teneret, concessam sibi a felicibus Regibus praedecessoribus nostris, Nos divinae charitatis intuitu, & pro nostra nostrorumque Parentum inclitae recordationis salute, pro eo etiam quod venerabilis Pactensis Episcopus fidelis noster in nostrae necessitatis articulo decem & septem millia tarenorum exhibuit Gualterio dilecto consiliario & Cancellario fideli nostro, pro servitiis nostris, & thesaurum, & alia bona Ecclesiae suae devote, satis liberaliter, & libenter exposuit, & pro nostris dedit servitiis exequendis; nec non pro magnis dispendiis, & multis jacturis, quas ipsa Ecclesia pro nostra fidelitate substulit, & honore: de innata benignitatis nostrae Clementia, eidem Pactensi Ecclesiae & ipsi Episcopo ac successoribus ejus perpetuo concedimus, & donamus medietatem aliam Terrae Nasi, quam videlicet Abbas de Guarros tenuit, & ex juditio Domini Imperatoris divae memoriae Patris nostri rationabiliter & juste amisit, pro eo quod ejus proditor est, postmodum autem ipsam Simeon Pisanellus Pisanus tenuit & possedit, & quia similiter proditor noster inventus est, fuit ea justo judicio destitutus: ipsam siquidem medietatem Terrae Nasi concessimus, & donavimus integre, & sine aliqua diminutione cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis; tam in demanio, quàm in servitio, quod in demanio in demanium, & quod in servitio in servitium, salvo servitio quod Curie nostrae inde debetur. Ad hujus autem concessionis ac donationis nostrae memoriam, & inviolabile firmamentum praesens privilegium scribi, & Majestatis nostrae sigillo jussimus communiri: Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Datum in Urbe felici Pan: manus Gualserii Regni Siciliae Cancellarii, Anno Dominicae Incarnationis M. Ducentesimo, Mense Novembris, Tertiae Indictionis, Regni

gni verò Domini nostri Federici Dei gratia Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae Anno XI. feliciter. Amen.

A

Ad haec in nonnullas Ecclesias translatum a Principibus fuit jus colligendi hereditates hominum sine justis heredibus, ac sine testamento decedentium. Atque hujusmodi Privilegio potissimum donata est Salernitana Ecclesia a Principibus Salerni. Testem profero Chartam eductam ex Tabulario Monasterii Cavensis.

Gisulfi I. Principis Salernitani Diploma, per quod Petro III. Episcopo Salernitano, ejusque Ecclesiae, jura varia largitur, Anno 946.

B

„ IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, nos Gisolfus Dei providentia Longobardorum gentis Princeps per rogatum & postulationem *Domni Petri Venerabili Episcopi* & Oratori nostro, & pro amore omnipotenti Deo, & salvatione gentis nostre & patrie, concessimus in Sanctam Sedem Salernitane Ecclesie, ubi

C

„ nunc ipse supradictus Domnus Petrus preesse videtur, omnia & in omnibus rebus, & substantia Presviterorum, atque Diaconorum, Subdiaconorum, & omnium Clericorum, forensium vel Civium Ecclesie, ordinis, gradus fungentium, etiam illorum Clericorum secularem havitum induuntur, sub toto

D

„ nostro Principatu commorantium, qui sine heredibus defuncti sunt, vel qui inantea fuerint defuncti absque herede, cum omnes illorum femine, quod in partes adulterii habuerunt vel habuerint. Sive concessimus in eadem Sancta Sede omnes servos ex ipsos Episcopio pertinentes cum uxoribus suis, live-

E

„ re femine, quod usque modo tulerunt, vel abuerunt, aut in antea tulerint. Simulque concessimus in eadem Sancta Sede omnes rebus ex Mortuorum, que infra rebus ipsius Episcopii est, vel que ejus munimina declarant, seu si pars eidem Episcopii qualemcumque hominum vivo se recollexerint, qui non fiant Censilem, & nullam angariam aut dationem in partibus Reipublice faciant, aut persolvant. Simulque concessimus in eadem Sanctam Sedem omnem portaticum, quod a pars ipsius Episcopii, vel ab omnibus Clericis, seu omnibus hominibus ipsius Episcopii dari debent vel debuerint per quancumque Porta introierint in Civitate nostra Salernitana, sive in omnibus locis vel Castellis nostri Principatus subjecto, seu cetera omnia & in omnibus que a singulis Principibus antecessores nostros in ipsam Sanctam Sedem concessa fuerint. Totum integrum omnia que supra legitur in prefatam Sanctam Sedem concessimus, in ea videlicet ratione, ut amodo & deinceps per hoc nostrum roboreum preceptum omnia, que superius legitur, prefatam sanctam Sedem & ejus Presul & successores habere & possidere valeatis, & inviolabiliter & securi exinde permaneant. Et concessimus iterum in prefatam sanctam Sedem, ut quanti Censiles sunt vel fuerint de ipso Episcopo, ut nullam angariam aliquando aut dationem in partibus Reipublice „ fa-

„ faciant aut persolvant per qualecumque ratione, & per hoc nostrum roboreum preceptum omni tempore securi & illesi exinde permaneant omni tempore, & a nullo ex nostris Judicibus, idest Comitibus, Castaldeis, vel a quibuscumque agentibus de omni, quantum superius legitur, habeat aliquando prefatam sanctam Sedem requisitione aut molestatione. Sed omnia qualiter prelegitur, firmiter habeant & possideant. Quod verò preceptum concessionis ex jussione suprascripte potestatis scripsi ego Johannes Notarius.

„ Actum in sagro Salernitano Palatio de Anno quartodecimo nostri Principatus, Mense Junius, Indictione IV.

Idem significari videtur in alterâ Chartâ spectante ad Guillielmum II. Siciliae Regem, & ex eodem Cavensi Chartophylacio depromptâ. Quod tamen in ea mihi insuetum videtur, est ejusdem Regis inscriptio, quum dicatur *Siciliae, & Hierusalem Rex*. Dissentit ejusmodi titulus ab usitata formula Principis illius. Fridericus II. ille fuit, qui Siciliae Regno titulum quoque Regni Hierosolymitani adjunxit. Fortassis *Italiae* scriptum in membrana fuit. Attamen ad omnium examen proferre Chartam placuit.

Romualdi II. Salernitani Archiepiscopi petitio ante Landulphum Judicem, ut Diploma Gisulfi I. pro sua Ecclesia explicet, Anno 1171.

IN nomine Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi amen. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Septuagesimo Primo, & quinto Anno Regni Domni nostri Guillielmi Sicilie & Jerusalem gloriosissimi Regis, mense Martio, Quarta Indictione. Ante me Landulfum Judicem venit Johannes filius quondam Vivi Presbiter & Cardinalis hujus Salernitani Archiepiscopii, in quo Domnus Romoaldus Dei gratia venerabilis secundus Archiepiscopus *preest. Et ex mandato supradicti Domni Archiepiscopi, & pro parte supradicti Archiepiscopii ostendit unum preceptum cerea bulla sigillo quondam* Domni Gisulfi Principis *impressa, roboratum, quod continebat:* In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi concessimus nos Gisulfus Dux gloriosissimus Longobardorum gentis Princeps, pro amore Domini Jesu Christi, quam etiam per remedium salutis anime nostre per rogum Domni Petri venerabilis Pontifex in Episcopio Salernitano, in quo ipse Dominus Petrus preest, omnes res quantum nostri Palatii pertinentes est, aut nostro tempore fuerit, sive de mortuorum, seu undequaque de rebus qui dicitur Transu, & usque acque de Cornia usque fluvium Tusciani, desuper usque serras de montibus. Simulque etiam concedimus in eodem Episcopio quantum quantoque nostri Palatii pertinentes est aut fuerit, videlicet ipsum Tuscianum nominative in capu in terra, & in Dossa, & in Scabbella, in Vacessano, & Liciniano. Ideo ac omnia & in omnibus quantum infra ipse finis est, & extra ipse finis, quomodocumque predicti Palatii pertinentes est aut fuerit in ipsis nominantibus locis, & intra

intra ipse finis transfatibus, & a fundibus, cum aquis, & omnia infra se abentibus in ea dictam Sanctam Ecclesiam concedimus, in ea ratione ut amodo & deinceps per hoc nostrum roboratum preceptum ea que prelegerit pars ipsius Episcopii & ejus Rectores omni tempore ipso habendum, dominandum, possidendum, & omnia exinde faciendum quod voluerit; & a nullo ex nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel a quibusque agentibus habeatis exinde aliquando aliqua molestia vel contradietate, sed perpetuis temporibus se vero nomine ipsa sancta Ecclesia eos habeat & possideat. Quod verò preceptum concessionis ex j ssione suprascripte potestate scripsi ego Riccardus Notarius. Actum Salerni in sacro Palatio, de Anno XXV. supradicti magni Principis, mense Martius, Indictione I. (*idest Anno* 958.) *Cum autem ipsum preceptum ostensum fuit*, *ipse Presbiter pro parte supradicti Archiepiscopii & ex mandato predicti Domni Archiepiscopi me deprecatus quanto citius ipsum preceptum declarari jubere. Cujus ego precibus annuens, ipsum preceptum actum per ordinem in hanc cartam pro parte ejusdem Archiepiscopii te Johannem Notarium declarare jussi.*

Ego qui supra Lantulfus Judex.

Decima quarta caussa amplificati Ecclesiastici patrimonii dicenda est Sanctorum veneratio. Ubi enim Corpora illorum quiescebant, quas eximia Pietas Caelitum albo dignos effecerat, ac eorum praecipue, quos major fama Virtutum ac Miraculorum commendabat, illuc certatim Fidelium coetus confluebant, & non solùm donariis quotidie altaria tumulosque illorum ornabant, sed & feudos certatim in sacri illius loci honorem elargiebantur. Millena hujus moris exempla suppeditat nobis Historia Ecclesiastica, ex quibus ne unum quidem adferre opus est, quando temporibus quoque nostris eadem pia consuetudo perdurat, eo tamen decremento, ut in hujusmodi liberalitate Secula nostra cum antiquis conferri vix possint. Tunc enim leviori negotio sibi persuadebant homines, recuperatae valetudinis donum, & negotia quaeque bene gesta, aut mala evitata ex uno Sanctorum patrocinio ac ope imploratâ procedere: quare frequentioribus Votis eorum praesidium poscebatur, & in illorum Sepulcris ditandis operosior tunc erat Christianorum pietas. Neque deerant (ut par est credere) Ecclesiasticae gentis hortamenta in hanc rem. Sed ii potissimum industriam suam prodidere, qui auctores populo fuerunt, ut si quando filii peterentur intercessione Sanctorum a Deo, aut in aegritudinem inciderent, parentes eorum ad Sanctorum Sepulcra tantum conferrent, quantum ponderis Corpora ipsorum ad stateram appensa haberent. Impetrato ergo filio, aut receptâ illius sanitate, tantumdem ponderis Ecclesiae pro eo offerebatur, paupere vulgo praebente triticum, panes, caseos, aut quid simile cum aliquot nummis, divitibus autem tantumdem argenti aut auri. In Chronico Vulturnensi Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum pag. 430. legitur Diploma Guidonis Augusti datum Anno 891. ubi Imperator ille fatetur, se pro nato sibi Lamberto filio, postea Augusto tantum auri contulisse Monasterio Sancti Vincentii. *Insuper*, inquit, *offerimus in praefato Monasterio auri puri libras, quantum idem karissimus noster pensat filius*. Attamen

tamen sunt, quae mihi suspicionem crearunt confecti Diplomatis, uti in Notis jam prodidi.

Postrema denique causa, cur Monachi potissimum amplissimam olim fortunarum segetem collegerint, non est reticenda: nempe illorum Pietas, Doctrina, aliaeque animi & ingenii laudatissimae virtutes. Plerumque enim (quod fateri aequum puto) antiquis Saeculis viri Monasticae vitae addicti reliquis Ecclesiae militibus Sanctimonià morum praestabant. Erant tunc Abbates non pauci, quos non immerito posteri in censum Sanctorum retulere. Quo se luculentius prodebat Virtutum splendor in iis, eo etiam lubentius in illorum sinum Christiana plebs opes effundebat, quae non melius ac sapientius collocatae credebantur, quàm quum traditae erant viris, tanto favore Pietatem ceterasque Virtutes excolentibus. Atque id praecipue animadvertendum est, alienationem videlicet bonorum Ecclesiae interdictam fuisse Episcopis; licuisse tamen eis olim partem aliquam eorum in Monasteria Monachorum & sacrarum Virginum transferre. Nullaque fortasse Civitas est, quae Episcopum aliquem ex suis non memoret aut conditorem alicujus Monasterii, aut erga illud liberalem. Mutinae Anno 996. Johannes Episcopus nobile Monasterium Sancti Petri aedificavit, ejusque Successores in eo ditando certarunt, ut monumenta in hoc Opere producta fidem faciunt, quibus adjuncta volo & subsequentia ex Archivo ejusdem Coenobii desumta, ubi autographa adservantur.

Guarinus Episcopus Mutinensis Monasterio S. Petri confirmat oblata; ac ipse nova addit, Anno 1005.

„ IN nomine Sanctae & individuae „ Trinitatis. Postquam omnium „ Conditor me Warinum omnium „ Sacerdotum humillimum &c. *ut in* „ *praecedenti Johannis, Anno 996.* quam „ si Monasterium situm justa Muti„ nam in honore Sancti Petri Apo„ stolorum Principis aliquo meo su„ blimarem commodo. Ideoque om„ nibus orthodoxae Fidei cultoribus „ notum sit, qualiter venerabilis *Jo*„ *hannes predicti Monasterii Abbas*, „ nostram humiliter adhierit clemen„ ciam, quod omnia, quae ei ac „ supradicto Monasterio a meis Prae„ decessoribus conlata sunt, similiter „ consentire, & concedere dignare„ mur, quatinus idem opus, Deo „ auxiliante, sub nostro regimine „ fructificaret. Quapropter ea, quae „ petiit libentissime concessimus. Un„ de tamen Imperatores, quàm Re„ ges &c. (ut in *Charta* supra edi„ ta in Differt. XVIII.) quae est la„ borata per Ademarium &c. Dona„ mus etiam jam dicto Coenobio „ campum unum continentem jugera „ octo ultra Fossam Milenariam a „ Solis ortu, & de subto ipso Mo„ nasterio habente, a meridie & se„ ra Sancto Geminiano habente. „ Concedimus namque Massariciam „ unam &c. Concedimus etiam ter„ ram juxta Castrum Vetus, quam „ tenet Restanus Gastaldius per pre„ cariam, inter vineatam, & arabi„ lem, & prativam, jugera quattuor, „ cum Decimis ipsius terrae. Con„ ferimus etiam praenominato Coe„ nobio domnicatum nostrum de Tur„ ri cum

„ ri cum omni integritate, ideſt ter-
„ ra arabili, vineata, cum fraſcario
„ ſuper ſe habente. Statuimus etiam
„ ut ipſi noſtri homines de Turri,
„ tam hi qui nunc ſunt, quàm po-
„ ſteri perpetim ibidem morantes ad
„ onus & juſſionem praedicti Fra-
„ trum Monaſterii jam dictas vineas
„ & terram excolere & laborare de-
„ beant, & pro tempore ipſas vineas
„ vindemiare. Damus etiam praedi-
„ cto Coenobio Molendinum unum
„ ſupra ipſam Civitatem Mutinam
„ in loco qui vocatur Gajolinus cum
„ X. jugeribus de terra, quinque ſu-
„ pra ipſum Molendinum, & quin-
„ que inferius cum acceſſione, & a-
„ quario ſuo. In Maſſa etiam dona-
„ mus Maſſaricias duas; unam quae
„ recta & laborata fuit per Domi-
„ nicum Malapelle; alteram, quae
„ laborata eſt per Johannem Leon-
„ gni. Haec omnia ſupradicta in u
„ ſum & in ſumptum ſupradicti Mo-
„ naſterii Fratrum conſentio, & con-
„ firmo. Denique noſtra conſcriptio-
„ ne hoc inibi tutum confirmantes,
„ quatinus noſtri Succeſſores affectum
„ noſtri pectoris, devotionemque per-
„ pendentes, quae ſemel Sancto de-
„ vovimus & mancipamus Coenobio,
„ inviolata atque inleſa permanere
„ concedant. Si quis igitur &c. *ut*
„ *in praecedenti*. Actum eſt autem
„ Anno Dominicae Incarnationis Mil-
„ leſimo V. Indic. III.

WARINVS XPI MISERICORDIA MVTINENSIS ECCLESIAE EPISCOPVS IN HOC DECRETO A ME FACTO SS.

„ Ego Sigefredus Archidiaconus
„ m. m. ss.
„ Ego Oddo Archipresbiter m. m. ss.
„ Ego Urſevertus Diaconus & Pre-
„ poſitus m. m. ss.
„ Ego Domninus Presbiter & Pri-
„ micerius m. m. ss.
„ Ego Motinenſus Presbiter & Cu-
„ ſtos m. m. ss.
„ Ego Cigardus Presbiter m. m. ss.
„ Giſulfus Judex Sacri Palacii &
„ Advocatus Sanctae Mutinenſis Ec-
„ cleſiae m. m. ss.
„ Johannes Sanctae Mutinenſis Ec-
„ cleſiae . . . . hoc Decre-
„ tum juſſu Domni Warini Epiſcopi
„ ſcripſit.

Signum Bullae pendentis deperditae.

In eodem quoque Mutinenſis Monaſterii Tabulario Bulla exſiſtit Guiberti Epiſcopi, cujus haec tantùm verba excerpſi.

Confirmatio jurium & privilegiorum Monaſterii S. Petri Mutinenſis facta a Guiberto Epiſcopo Mutinenſi, Anno 1038.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti. Poſtquam omnium Con-
„ ditor me Wibertum omnium Cle-
„ ricorum, Sacerdotum, Pontificum-
„ que humillimum atque indignum
„ &c. *ut in praecedenti Ingonis Anno*
„ 1035. qualiter Ardericus, predicti
„ Monaſterii Abbas &c. Actum eſt
„ autem Anno Incarnationis Domini
„ noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Tri-
„ ceſimo Octavo, XIII. Kal. Mar.
„ Indictione VI. Preſulatus Domni
„ Wiberti Epiſcopi Primo hic in
„ Mutina.

„ Wido

,, Wido Dei gratia Sanctae Mutinensis Ecclesiae Episcopus in hoc Decreto a me facto spontanea voluntate confirmavi, atque omnibus Fratribus confirmandum tradidi, & precepi.

,, Gaido ejusdem Ecclesiae Archidiaconus conlaudans m. m. pp. ss.

,, Ego Alfredus Diaconus m. m. ss.

,, Guido ejusdem Ecclesiae Diaconus m. m. pp. ss.

,, Aimo Diaconus m. m. ss.

,, Walkerius Diaconus m. m. pp. ss.

,, Walbertus Subdiaconus m. m. ss.

,, Amizo Subdiaconus m. m. pp. ss.

,, Joannes Subdiaconus m. m. pp. ss.

,, Ego Adelbertus Presbiter ss.

,, Ego Mauricius Presbiter m. m. pp. ss.

,, Ego Martinus Presbiter m. m pp. ss.

,, Ego Johannes praedictae Sanctae Ecclesiae Mutinensis ejusdem nihilominus Archipresbiter hujus paginae devotissimus Scriptor toto nisu totaque voluntate manibus propriis subscripsi ac confirmavi feliciter.

Signum Bullae pendentis deperditae.

Benedictus Episcopus Mutinensis quaedam donat Monasterio Mutinensi S. Petri, Anno 1096.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Millesimo Nonagesimo Sexto, Indict. V. Quarto decimo Kalendas Junii. Ego *Domnus Benedictus Servus Servorum Dei minimus, licet indignus Sanctae Mutinensis Ecclesiae, Dei dispositione dictus Episcopus*, omnibus tam presentibus, quam futuris notum esse volumus, quod per hanc paginam fieri precepimus. Quoniam exigentibus peccatis nostris assidue labimur, & crebris ruinis atterimur, & quia in hac fragili & caduca vita diu esse non possumus, & quoniam omnes Prelatos, maxime Episcopos, erga subjectos curam oportet semper impendere, precipue erga eos, qui Sanctorum Patrum preceptis obedire volunt, & imitari Prophetae vaticinium, dicentis: *Ecce quam bonum & jocundum habitare fratres in unum;* Considerantes, qualiter melius crimina & peccata delere valeremus, tandem divina inspirante clemencia, quod sepe audivimus Scripturam, dicentem: *Oratio continua & assidua multum valet ad delenda crimina:* Placuit itaque, atque dignum visum fuit humanitati nostrae, ut pro remediis animae nostrae, & absolutione peccatorum nostrorum, atque Predecessorum nostrorum, sive Successorum Fratrum Episcoporum: Concedimus, & largimur, atque damus, & tradimus Monasterio Sancti Petri Apostolorum Principis, sito juxta Mutinam in manibus *Domni Poncii, Dei gratia venerabilis Abbatis*, & ejus Successoribus in perpetuum Ecclesiam Sanctae Mariae positam & hedificatam in Curte Ambiliani, cum omni jure, & honore, & usu, & cum omni integritate ei Ecclesiae in in. pertinente, quam *Beatissimus Pater Geminianus* propriis manibus consecravit, cum omnibus territoriis,

„ toriis, & possessionibus earum „ sibi pertinentibus, videlicet peciam unam de terra, in qua ipsa „ Ecclesia fundata est, aratoria, vi„ neata, prativa insimul tenente. „ Sunt ei fines a mane Flumen, a „ meridie Sancti Geminiani, a sera „ via, de subto via, & terra Sancti „ Geminiani. Et peciam unam de „ terra aratoria cum aquario ad he„ dificandum molendinum. Sunt ei „ fines a mane mansum unum, quem „ nominatur de Calzario, a meridie „ Marchesella, a sera & de subto „ Flumen. Et Campum unum, qui „ nominatur de Teuzo de Panzano „ jacens juxta stradam. Sunt ei fines „ a mane terra Sancti Silvestri, & „ Sancti Geminiani, a meridie stra„ da Claudia, a sero ortum molen„ dini domnicati, de subto Flumen. „ Et quamdam aliam peciam de ter„ ra aratoria, quae jacet juxta viam „ Bisentuli, & est circumdata fini„ bus, a mane, & meridie, & de „ subto ejusdem terrae Sancti Gemi„ niani, a sera via. Et duo jugera „ de terra aratoria juxta Lacum, „ qui vocatur Marneticus. Et man„ sum unum, qui nominatur de „ Calzario, qui jacet in presata Cur„ te Ambiliani. Habet fines a tri„ bus lateribus Sancti Geminiani, a „ mane via Bisentuli, sibique sunt „ aliae coherentes, in in. cum om„ nibus suis Decimis & Primiciis, „ quas suprascriptus Sanctus Gemi„ nianus eidem Ecclesiae concessit. „ Et talis nostra est voluntas, ut „ exinde in perpetuum predictus Dom„ nus Abbas, & ejus Successores, „ & eorum Fratres habeant supra„ scriptas omnes nostras res, ut su„ pra legitur, cum omni jure ac „ integritate, & dominio, & usibus, „ ad usum & sumtum & utilitatem „ Domni Abbatis, & ejus Successo„ rum & Fratrum, qui nunc sunt, „ aut qui in sempiternum servie„ rint. Si quis Episcopus, vel alius „ Clericus, sive Laicus irrumpere, „ aut frangere hoc nostrum prece„ ptum voluerit, & hanc nostram „ concessionem, & donationem, ob„ servare noluerit, sciat se esse ana„ thematem, & compositurum no„ mine penae libras triginta dena„ riorum Lucensium ipsi Monaste„ rio, vel ei servientibus, & post „ penam solutam ea, quae superius „ leguntur, rata & firma teneantur. „ Predictus Domnus Episcopus haec „ jussit fieri in presentia Alberti „ Archidiaconis Mutinensis Eccle„ siae, & Guidonis Prepositi, Ro„ landi Archipresbiteri, & Aimonis „ Magister Scholarum, & Mauricii „ Presbiteri, & aliorum Canonico„ rum, & in testimonio Alberti „ Causidici, & Gotifredi Causidici, „ & Uberti Advocati, & Rolandi, „ & Azonis de Chonrado, & Te„ telmi, & Grasulfi de Civitate „ Nova, & aliorum quamplurium. „ Actum est hoc in Palatio domni„ cato feliciter.

„ Ego Benedictus, Dei gratia Mu„ tinensis Episcopus m. m. ss.

„ Ego Albertus Archidiaconus m. „ m. ss.

„ Ego Guido Prepositus m. m. ss.

„ Ego Aimo Magister Scolarum „ m. m. ss.

„ Ego Mauricius Presbiter m. m. ss.

„ Ego Martinus Presbiter m. m. ss.

„ Ego Johannes Subdiaconus m. „ m. ss.

„ Ego Teodericus Diaconus m. „ m. ss.

„ Ego Bernardus Diaconus m. m. „ ss.

„ Ego Benzo Clericus m. m. ss.

„ Ego Albertus Sacri Palacii Notarius scripsi & complevi.

Porro piissimi ipsi Abbates & Monachi alienum minime a Sanctitatis norma censebant, quanto possent studio excitare piorum liberalitatem erga sua Coenobia; immo id maxime gratum Deo arbitrabantur, ex eo quod aut nova Monasteria condebantur, aut Deo famulantium numerus augebatur, atque officia Caritatis in egenos & hospites compleri poterant abundantius. Immo in antiqua Monastica Historia multas retulere laudes, qui in accumulandis praediis, atque in amplificanda re sui Monasterii, ante alios excelluere. Anselmus ipse antea memoratus, quem uti Sanctum colit Nonantulana Dioecesis, non solùm idem Nonantulanum Mutinensis agri Coenobium construxit, sed & aliorum complurium Fundator *sub regimine suo Monachos regulares MCXLIV.* numeravit, *exceptis parvulis & pulsantibus*, idest Novitiis, ut in ejus Vita habetur. Quanta autem bona ille sui nominis celebritate, suâque industriâ congesserit, inde elucere potest, quod eo etiam Fundatore vivente Nonantulanum Monasterium inter praecipua Italiae effulserit, tum copiâ ac possessione Fundorum atque Villarum, tum numero Coenobiorum ab eo pendentium. Neque segnius se habuere illius Successores, ita ut Saeculo X. inter omnia Italica Monasteria *Nonantulanum* ac *Farfense* primas tenerent. Audi Johannem Chronographum Farfensis Coenobii ad Annum Christi DCCCCXXVII. Par. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. 417. haec de Farfensi scribentem: *Monasterium hoc a Sanctis Patribus honestissime ac religiosissime disponebatur, atque in dies augebatur & accumulabatur in spiritualibus, corporalibusque beneficiis, non mediocriter, sed perfecte, ita ut in toto Regno Italico non inveniretur simile huic Monasterio, nisi quod vocatur Nonantulae*. Atque utinam tempus ac homines Tabulario insignis Monasterii Nonantulani pepercissent, neque immanem copiam Chartarum aut alio advexissent, aut absumsissent; antiquam enim sacri loci opulentiam ea ratione certius intelligeremus, non sine proventu Ecclesiasticae Historiae, ipsiusque profanae Eruditionis. Et Anno quidem 1279. adhuc in Archivo ejusdem Monasterii vetustissima, ac prima ei collata Privilegia *in papyris, & membranis* adservabantur, uti in Dissertatione LXIV. *de vario statu Dioeces.* demonstravi. Quod plus est, vel ipso Anno 1632. superstes ibi erat ingens Chartarum copia: cujus rei testem habeo Catalogum MStum, jubente Antonio Barberino S. R. E. Cardinali ac ejusdem Abbatiae perpetuo Commendatario, exaratum. Ego quando cetera aut abdita sunt, aut periere, in Eruditorum gratiam quaedam excerpsi ex eodem Catalogo, quae aliqua ex parte splendidiora mihi visa sunt, privatorum hominum Chartis omissis, atque heic edita volo. Monumentorum hujus generis suus etiam usus est, isque non mediocris, ut eruditi norunt. Praesertim verò Abbatum continuatam seriem exhibeo, quam etsi Ughellius Tom. V. Ital. Sac. in Tarvisinis Episcopis evulgarit, uberiorem tamen heic addo, & emendatiorem a me Lector accipiet.

EXCER-

EXCERPTA
E CATALOGO MSTO
TABULARII MONASTERII NONANTULANI.

Gisulfo Duci Forojuliensi in Ducatu Successor fuit Anselmus, Giseltrudae Flavii Aistulfi Langobardorum Regis uxoris frater, *qui Religionis amore flagrans, relicto Petro filio Successore, Ducatu se abdicavit, & Clericus factus, primo Monasterium cum Xenodochio apud Fananum in montibus Mutinensibus extruxit, tum biennio post alterum Monasterium in agro Mutinensi trans Scultennam in loco, cui* Nonantula *nomen, condidit, ibique vitam Monasticam professus est. Anno quarto Regni Aistulfi, die III. Martii, Indict. VII. Aliprandus habitator Cremonae, una cum Waldrata nobilissima conjuge donat Monasterio Apostolorum omnium sito Nonantula, cui Anselmus Abbas praeest, omnes res, terras, vineas &c. infra Curtem Cremonae, & foris per totum Comitatum, una cum Cella Sancti Silvestri sita foris ipsius Civitatis Cremonae.* Sergius Archiepiscopus Ravennas *Ecclesiam Nonantulanam consecravit; eamque a jurisdictione Archiepiscoporum Ravennatum, & Episcopi Mutinensis exemit. Jam Anno III. Aistulfi Regis Ecclesia Sancti Silvestri donata fuerat Monasterio omnium Apostolorum sito Nonantulae, atque in eam Anselmus Abbas importarat* Corpus Sancti Silvestri Papae Primi a Stephano summo Pontifice impetratum; *quare titulus Sancti Silvestri Monasterio additus fuit, eo subinde incremento, ut amplitudine privilegiorum, jurium, & bonorum, ac multitudine Monachorum, clarissimum inter cetera Italiae Coenobium illud evaserit.* Aistulfus Rex, & Giseltruda jugales *Anno Regni ejus III. eidem Monasterio sub die XVIII. Septembris, praesentibus* Sergio Ravennate Archiepiscopo, Romano Episcopo Bononiense, Geminiano Episcopo Mutinae, & Geminiano Episcopo Regii, *multas Ecclesias & bona donarunt, inter quae Castrum Crepalcorii, cum tota illius Curte. Ab Anselmo Abbate Hospitium etiam in Via Aemilia constructum fuit longe a Monasterio ad excipiendos eos, qui ad se iter flectere non possent, atque illud sub Sancti Ambrosii nomine consecratum prope Scultennam fluvium diu stetit.* A Desiderio Rege, *qui Aistulfo successit, in exsilium pulsus Anselmus Abbas Montem Casinum adiit, Vigilantio Presbytero interim Nonan-*

tulanum Monasterium per aliquot annos gubernante. Ab exsilio revocatus confirmationem ab Hadriano Papa I. *impetravit donationum sibi factarum per Aistulfum Regem. Tum eidem Johannes, & Ursa filii* Ursi Ducis, *ad luminaria, & ad usum servientium Monasterio Nonantulano donarunt multa in Casali Coriolo, & in Curte Porisoli, Curte Campi Vitalis, & Roncho in Fanano, Tosiliano, Castilliuno, in pago Montebellio usque in Brajolam, ut constat ex Tabulis Stephani Notarii scriptis die VI. Martii Anno II. Regni Caroli Magni. Idem* Carolus Rex *confirmavit Anselmo Abbati, quae Langobardus homo Adam donarat Monasterio in territorio Vicentino, & Veronensi. Insuper & ipse donavit eidem fundum Caldarium, & Cesarotium de Casametulo in territorio Bononiense, Camuranam, Solariam, & Grumulum, cum suis Ecclesiis; quae tenebantur a Regibus a tempore usque Alboini, cum pascuis &c. Ejusdem Caroli Regis exstat Sententia in contradictorio judicio contra* Vitalem Episcopum Bononiensem *pro Ecclesia de Lizzano ad favorem Abbatis Anselmi, data IV. Kal. Junias Anno XXXIII. Regni Francorum, & XXVIII. in Italia. Sed & idem* Carolus Imperator *Monasterio Nonantulano multas Curtes, Monasteria, Plebes, Ecclesias, Oratoria, bona, & jura in Faesulana, Arretina, Florentina, & tota Tusciae ditione confirmavit, aut concessit, & privilegium Aistulfi Regis ratum habuit. Quidam etiam* Dux, Gherardus *nomine, pro remedio animae suae Ecclesiam Sanctae Mariae, Sanctae Crucis, & SS. Synesii & Theopompi in suo proprio aedificavit, & Coenobio Nonantulano subdidit, Monachis in eam introductis.* Albergunda *etiam memorati* Ducis uxor *post obitum viri multa eidem Ecclesiae bona tribuit, & vita functa una cum viro ibi tumulata est. Ecclesia ista sita est prope Tarvisium, ubi Corpora Sanctorum praedictorum recondita fuerunt. Inter Anselmum Abbatem, & Canonicos Ecclesiae Mutinensis, sequuta est quaedam commutatio de Castro Finali.* Johannes *verò* Dux Persiceti, & Pontis Ducis, *Carolo Magno imperante, Ursonem filium in Monasterio Nonantulano sub Anselmi cura collocarat, cui Abbati dono dederat multa bona in Monte Velio, in Oliveto, Cento, Arquato, aliisque Territoriis. Urso post aliquot annos ratam habuit donationem patris, addendo omnia sua bona in Cento, Aquario, Fainano, & aliis locis. Extat donatio originalis, in qua rogat omnes homines Deum timentes tam Principes, quam Judices, ut omnia conservent perpetuo Monasterio praedicto. Et qui contra fecerint, cum Apostolis Christi, & Confessore Silvestro in conspectu Dei judicium habeant. Sub Carolo Imperatore* Litefredus Cremonae Comes *dono dedit multa Abbatiae Nonantulanae. Anselmus vero Anno* 804. *V. Nonas Martii obdormivit in Domino. Corpus tumulo datum in ejus Ecclesia, & ipso obitus die illius Festum agunt Monachi Ordinis Sancti Benedicti, & Abbatia Nonantulana per totam suam Dioecesim, uti de Confessore inter Sanctos relato. Regnantibus Domnis Carolo & Pippino Anno Caroli XXVII. & Pippini XVIII. a* Rothario Duce filio quondam Sabiniani Ducis *multorum bonorum donatio facta est Ecclesiae Beati Martini Confessoris sitae in Curte Cautiana,* ubi dulcissimus Domnus servus noster Anselmus Abbas Monachus praeesse videtur, *inter quae bona enumerantur Silva Garosa, Silva Gatta, Silva Major, & Silva Lucella in finibus Arollae, Scultenna vecchia, Casale Cento, & alia loca.*

loca. Tabulas confecit Hildebrandus Notarius. Alia similis donatio facta fuit per Mochium Ducem, filium quondam Sabiniani, fratremque, uti videtur, praedicti Rotharis, de portione sua in eisdem bonis, ac locis supra descriptis.

PETRUS ABBAS II.

Vita functo B. Anselmo, Petrus ejusdem Ordinis & Coenobii Monachus electus est a Monachis Abbas Anno Christi 804. Hic totam Abbatiam, & illius reditus conscribi jussit, & ex eis quatuor partes pro eleemosynis pauperum, pro suscipiendis hospitibus, ornamentis Ecclesiarum, & necessitatibus Monachorum constituit. Iste Abbas Anno Christi 813. una cum Amalhario Fortunato S. R. E. Cardinale, & Trevirorum Archiepiscopo a Carolo M. Romanorum Imperatore Legatus ad Michaëlem Orientis Imperatorem, Nicephori generum & successorem, in Graeciam mittitur pro foedere inter ipsos sanciendo. Verum quum Legati iidem Constantinopolim pervenissent, non Michaëlem (excesserat enim e vivis) sed Leonem Armenum Imperatorem invenerunt, a quo sunt auditi & dimissi. Carolo eodem Anno vita functo, Ludovicum ejus filium, & in Imperio successorem Aquisgrani residentem Legati convenerunt. Permutaverat Petrus Abbas cum Rodulfo Priore Monasterii Sancti Salvatoris siti intra muros Urbis Brixiae Villas nuncupatas Castellionem, Silvinianum, & Monticellum, recipiens ab illo Villam nuncupatam Reddudo, quae dicitur Corticella in Pago Persiceti. Huic autem commutationi confirmationem addidit Ludovicus Imperator Diplomate manu propria subscripto Kal. Augusti Anno Imperii Primo. Eidem Abbati praedictus Imperator in alia Charta mandat, ut suo Monasterio subjectos in Galba, & in Lizano indebite non gravet. Exstat & aliud Diploma ejusdem Augusti, in * qua narrans concordiam initam inter Petrum Abbatem, & Gisonem Episcopum Mutinensem super quibusdam Ecclesiis Baptismalibus, eamdem confirmat sub gravibus poenis Anno Imperii sui VI.

Exstat etiam Privilegium ipsius Ludovici confirmantis paternas concessiones, in quo irritae decernuntur omnes alienationes factae de rebus Monasterii, & statuitur, ut in Plebe Lizani Bononiensis Dioecesis Abbas Nonantulanus habeat electionem, & praesentationem Archipresbyteri.

Idem Augustus concessit Privilegium Monasterio Vallis Fabriae in territorio Assisinate, ut nemo ejus possessionibus & juribus molestiam inferat, datum Aquisgrani VI. Idus Decembris Anno Imperii VII.

Oddo Mantuae Comes locum tenens Ludovici Imperatoris in contradictorio judicio sententiam protulit contra Mantuanos pro Abbatia Nonantulana, & contra homines Flexi, qui sunt in Regiensi Comitatu, & alios, ubi decernitur, piscantes & aucupantes a finibus Mantuae usque ad Bondenum debere tradere dimidium praedae Abbati Nonantulano, id praecipientibus Privilegiis Aistulfi, Desiderii, Caroli, & ipsius Ludovici. Quae sententia lata fuit consensu Judicum Sacri Palatii, & subscripta manu Rataldi Episcopi Missi Domni Imperatoris, Andreae Episcopi Vicentini, Andreae Judicis, Liutprandi Comitis Civitatis Veronae, Odonis Comitis Mantuae, Bonifacii Notarii, & testium.

Liutprandus Veronae Comes cogitur restituere Abbati & Monasterio Nonantulano quartam partem Silvae Hostiliae, quae est prope Padum, & Tarta-

Tartarum, & alia bona in Veronensi agro, Anno Ludovici Imperatoris VII. pridie Kal. Aprilis, Indictione X., & hoc per sententiam Rataldi Episcopi Missi Domni Imperatoris Ludovici *ad singulorum hominum deliberandas intentiones, cujus decreti originale adhuc in Archivo Nonantulano conservatur documentum. Quo Anno IV. Kal. Junii Petrus Abbas Anno suae ordinationis XVII. obdormivit in Domino.*

ANSFRIDUS ABBAS III.

P*Etro successit* Ansfrith, *sive Ansfridus Monachus, pietate & bonis moribus vir praestans. Hic fecit Capsam Euangelii auream, quam pretiosissimis lapidibus ornavit. Fecit & Calicem cum Patena argentea, gemmis & auro mirifice ornatum.*

Sub eodem Ansfrido Stephanus, & Oldepertus Episcopi vices gerentes Ludovici, & Lotharii Imperatorum, *in Placito sententiam tulerunt pro Abbate Nonantulano contra homines Flexi Regienses, & alios accusatos de violatis juribus piscationis, & venationis.*

Idem Ansfridus Abbas, & Halitgarius Cameracensis Episcopus *Anno Christi* 828. *Legati Constantinopolim a* Ludovico Pio, & Lothario Imperatoribus *missi honorifice a* Michaële Imperatore *Leonis successore suscepti sunt.*

Sed & iidem Augusti ob remedium animarum suarum Monasterio Nonantulano largiti sunt jugera centum terrae cum censu, & Silva nuncupata Wilzacara in Dioecesi Mutinensi apud Sanctum Caesarium. Tabulae scriptae Anno XII. Kalendis Decembris. Iisdemque imperantibus inita fuit concordia inter Episcopum Mutinensem, & Abbatem Nonantulanum, super Basilica Sanctae Mariae in Torciliano, & omnibus rebus ad eam pertinentibus. Obiit Ansfridus Abbas Anno ordinationis suae XVII. Christi 838.

RUTPERTUS ABBAS IV.

I*N Ansfridi locum suffectus est Anno* 838. Rutpertus *Monachus, qui Anno sequenti e vivis excessit. Ludovico & Lothario Imperantibus Adelbertus Presbyter & Fratres petunt in Emphyteusim loca Monasterio donata in loco Castri Arquensis Anno XXIV. VI. Kal. Augusti.*

ROTICHILDUS ABBAS V.

R Otichildus *Ansfrido successit a Monachis electus Abbas anno* 839. *Rochildus etiam dictus. Hujus temporibus* Lotharius Rex & Imperator *dono dedit Monasterio Nonantulano Insulam quamdam Vicianam nomine inter Padum & Bondenum in territorio Aemiliense ad partem Mutinensem cum nonnullis Casalibus pro piscariis, & usibus ejusdem Coenobii. Exstat originalis donatio in Archivo Nonantulano scripta Anno Imperii XVIII. Kal. Februarii, Indictione V. signo ejusdem Imperatoris munita.*

Exstat & confirmatio ejusdem Imperatoris Lotharii *de institutis Ecclesiasticis, & de Viceadvocato in Diplomate Gothicis literis conscripto; necnon & Privilegium ejusdem pro hominibus de Lizzano, & Gabba, quo praecipitur, ne Abbas eosdem subditos suos indebite gravet. Anno* 842. *Rotichildus XV. Kal. Januarii inter vivos esset desiit.*

EGISELPRANDUS ABBAS VI.

E Giselprandus *a Monachis electus in locum Ratichildi successit. Annos novem Monasterium rexit. Circa haec tempo-*

tempora Lotharius Imperator Monasterio eidem multa donavit in Aemiliensi territorio ad partem Mutinensem infra suos confines expressos de rebus suis domnicatis, & coloniatis, ad suam Regalem domum pertinentibus, ut quod debetur ad suam domum, id in eodem venerabili Monasterio Nonantulano tribuatur: quae donatio manu propria praedicti Imperatoris est subscripta Mense Augusti, Indictione V. Obiit iste Abbas IX. Kal. Junii Anno reparatae salutis 851.

LITEFREDUS ABBAS VII.

EGilseprando datus est eodem Anno 851. successor Litefredus, sub cujus regimine, Anno Ludovici piissimi Imperatoris Augusti, Monasterio Beatissimorum Apostolorum, & Christi Confessoris Silvestri sito Nonantula in territorio Mutinensi, Warais Vassus praedicti Imperatoris donat multa bona in Veronensi in loco nuncupato Cortina. Iste Abbas diem suum clausit Anno ordinationis suae IV. Christi 855. XVI. Kal. Decembris.

LEO ABBAS VIII.

LEo Litefredi successor primo suae ordinationis Anno vita functus est.

PETRUS II. ABBAS IX.

LEoni successit Petrus, sive Etpertus Anno Christi 859. Lotharius Imperator Anno Imperii * su XVIII. cum ad Coenobium Nonantulanum orationis caussa accessisset, orationes Monachorum profuturas ad Regni sui stabilitatem, & sui perpetuam felicitatem judicando, eisdem concessit ad conservandam inter ipsos concordiam, ut ex eadem Congregatione talis eligatur perpetuis futuris temporibus Abbas, qui secundum Regulam Sancti Benedicti Congregationem prudenter regere valeat.

Iste Abbas Adelberto Marchioni, & pro cuidam Lamberto locat ad Annos XXIX. Capellam S. Silvestri in loco, qui dicitur Monasteriolum, Papiensis Dioecesis, eademque locatio exstat subscripta manu Abbatis, qui Anno Domini 865. ordinationis suae Nono, VIII. Kal. Novembris vivere desiit.

WARNEFRIDUS ABBAS X.

PEtrum sequutus est Warnefrit, sive Warnefridus eodem Anno 865. Vixit Annos IV. Obiit X. Kal. Novembris Anno 869. Sub hoc Abbate exstat Hadriani Papae II. Privilegium super investitura Monasterii Nonantulani, & Anno XII. Imperii Ludovici donatio Silvae nuncupatae Wilzacara in Dioecesi Mutinensi apud S. Caesarium.

RAGUMBALDUS ABBAS XI.

POst Warnefridum a Nonantulani Monasterii Monachis electus est Abbas Ragumbaldus, qui & ab aliis dicitur Ragimbaldus. Hic Anno sequente ad meliorem vitam vocatus est VIII. Idus Octobris.

BENEDICTUS ABBAS XII.

BEnedicti Abbatis nomen in Privilegio Johannis Papae IX. eidem concesso invenitur una cum confirmatione Privilegiorum Hadriani, Johannis, & Praedecessorum. Nusquam amplius de eo memoria. Quod vero Theodorico praecesserit, ex Marini Summi Pontificis Diplomate constat, Theodorico eidem concesso, & ab Henrico S. R. E. Scriniario jussu Innocentii Papae III. exemplato, & sub ipsius Bulla conscripto.

THEO-

THEODORICUS ABBAS XIII.

IN *locum Benedicti Abbatis vita functi electus est* Theodoricus, *qui Ecclesiam S. Michaëlis extra Castrum Nonantulanum aedificavit. Haec postea multis aucta bonis Archipresbyterali titulo fuit insignita. Sub Theodorico* Adhelardus Veronensis Episcopus, *timorem Dei parvipendens, contra sacras Romanorum Pontificum institutiones, quibus de propria semper Congregatione, & de numero & gremio Monachorum, electio Abbatis facienda decernitur, Monasterium Nonantulanum callide occupavit, & in suos usus reditibus redactis in extremam egestatem Monachos compulit. Qui sicuti Abbas commutavit quaedam bona Coenobii Nonantulani cum Abbate Monasterii Novi de Brixia.* Johannes VIII. Summus Pontifex, *qui Privilegia Antecessorum concessa Nonantulanae Abbatiae confirmarat, temerariâ* Adhelardi *praesumtione increpatâ, quum nil proficeret, XV. Kal. Maji, Indictione X.* Carolum Calvum Imperatorem, *& IV. Kal. Maji* Johannem Ravennatem, Anspertum Mediolanensem, & Wilpertum Aquilejensem Archiepiscopos *monuit, se* Adhelardum Episcopum Veronensem *communione privasse, quod Nonantulanum Coenobium invasisset, saecularium que manibus perdere non formidaret contra Sanctorum Patrum regulas, & Apostolicae Sedis, Sacraeque Synodi sententiam.*

Sub Ragumbaldo, sive ejus Praedecessore, Hadrianus II. Summus Pontifex *concessit Privilegium Abbatiae Nonantulanae, quod cum aliis Johannis, & Marini Pontificum de mandato Innocentii Papae III. Henricus S. R. E. Scriniarius exemplavit, & sub ipsius Innocentii Bulla conscripsit Anno* 1213. *Anno XVI. Pontificatus.*

Carlomannus Rex *ad preces Theodorici Abbatis Nonantulani confirmat Abbatiae praedictae per suum praeceptum Privilegia Regum, & Imperatorum, & praesertim Avi, & Atavi ipsius, Caroli scilicet, & Ludovici, seu & Lotharii Proavi, nec non Ludovici Consobrini piissimi Augusti, & quidquid praedicti Imperatores, Reges, & Reginae, aliique Deum timentes praedicto Coenobio donarunt. Datum est Diploma Pridie Idus Novembris Anno I. Regni Carlomanni Serenissimi Regis in Italia, Indictione XI.*

Stephanus VI. *Pontifex Maximus eidem Monasterio, & Theodorico Abbati confirmavit immunitates, & jura quaeque.*

Berengarius *quoque* Rex *idem praestitit per suum Diploma.*

Martinus quidam Lege Romana vivens habitator Vercellis, facultate a Widone Imperatore *impetrata disponendi de bonis suis, eadem Monasterio Nonantulano elargitus est.*

Theodericus verò Abbas cum Aymone Advocato suo coram Officialibus Regis in publico Placito obtinuit sibi relaxari per sententiam Judicum bona sui Monasterii, cujus fines in eadem sententia describuntur a Gandulfo Mauritii filio occupata, qui Gandulfus ipso facto possessione se abdicavit, iterumque per Abbatem investitus est.

Martinus II. Papa *Praedecessorum suorum Hadriani & Johannis Romanorum Pontificum praecepta Monasterio Nonantulano confirmavit, interdicens omnibus Episcopis, & praesertim Mutinensi Episcopo, in cujus Parochia praedictum Coenobium noscitur constitutum, ne jurisdictionem aliquam ibi exerceant, nisi ab illius Abbate requisiti, & ne ullo modo Baptismales Ecclesias sibi vendicent.*

Exstat etiam fragmentum Privilegii Stephani Papae V. *Theodorico Abbati concessi, uti & Hadriani III. Papae Bulla super duodenario numero Canonicorum in Ecclesia Sancti Michaëlis Nonantulae in Plebem erecta.*

Ermenaldus de Rastellino die 15. *Octobris Anno* 886. *bona, quae possidebat in eodem territorio, donavit Theodorico Abbati, ut ex tabulis Erbertini Notarii. Eidemque multa elargitus est Simplicianus quidam posita in territorio Mediolanensi in eo loco appellato Petisino prope viam dictam Cocomanno, eaque postea jure precario recipit ab ipso Abbate Theodorico. Obiit diem suum iste Abbas Kalendis Martii Anno* 887., *& in Ecclesia supradicta a se aedificata in marmoreo sepulcro tumulatus est. Cessavit Abbatia Annis IV.*

LANDEFREDUS ABBAS XIV.

Landefredus *successit Theodorico Annos IV. post illius obitum, Christi* 891. *Rexit Annos XIII. Circa haec tempora* Berengarius Rex *prohibuit Papiensibus, Cremonensibus, Venetis, & Ferrariensibus piscaturam piscium a fluvio Bondeno ad locum Spina nuncupatum, illam reservando Monasterio Nonantulano, sicut ad Sanctum Martinum in Spino, sine Abbatis licentia.*

Arnulfus *etiam* Imperator *Abbatiae privilegia concessit. Sed &* Lambertus Imperator *Anno Christi* 898. *eidem elargitus totam Salicatam Solariae, & bona in Coligaria, Muniano, & Albareto pro aedificanda & manutenenda infirmaria Monasterii.*

Exstat adhuc sententia Widonis Comitis locum tenentis praedicti Lamberti Imperatoris *ad favorem Abbatiae Nonantulanae contra Episcopum Mutinensem, & homines Solariae, fundata super aliis sententiis de Solaria, Canetulo, seu Poleto, & aliis locis, in qua enuntiantur Privilegia antiqua eidem Abbatiae concessa, cum subscriptione Manfredi Anno* 898. *Praeterea exstat concessio facta praedicto Abbati per Lupum filium Flori de Reno de quatuor Massaritiis in Riario, ubi dicitur Albaretulo. Iste Lanfredus Abbas Kal. Aprilis Anno* 899. *vivere desiit, & in Abbatiali Ecclesia sepultus est.*

BENEDICTUS II. ABBAS XV.

Lanfredum excepit Benedictus *Abbas a Monachis electus eodem Anno* 899. *Sub hoc Abbate* Ludovicus III. Rex *Diplomate suo rata esse omnia jubet, quae Monasterio Nonantulano a Regibus donata fuerant Aistulfo, Desiderio, Adelgiso, Carolo Magno, Ludovico majore, Lothario, Ludovico piissimo, Carlomanno, Carolo juniore, Arnulfo, Widone, & Lamberto Imperatoribus. Datum est Diploma Papiae Kal. Junii Anno Christi* 901. *Regni Italiae Primo. Quo eodem Anno habentur ordinationes quaedam pro Ecclesia S. Michaëlis Berseldae ipsius Leopardi Abbatis manu scriptae.*

Sub isto Abbate Hungari e Pannonia egressi magnam Italiae partem ferro ac flammis populando, ipsum Nonantulanum Coenobium diro incendio vastarunt. Codices ibi multi concremati, ex Monachis nonnulli occisi, reliqui cum Leopardo Abbate fugam arripuerunt. Sedatâ jam procellâ, Leopardus ad restituendam Ecclesiam suam studium omne convertit, ideoque Anno Christi 909. *revocatis, qui diffugerant, Monachis, Monasterium reparavit simulque Ecclesiam, quam consecravit, accepto a* Sergio III. Summo Pontifice, *ut ad ejus consecrationem advocaret aut* Johannem Ticinensem, *aut* Widonem Placentinum, *aut* Albungum Parmensem Episco-

piſcopos. *Ejuſdem Pontificis Bulla habetur de Decimis ſolvendis Eccleſiae S. Michaëlis de Nonantula.*

Anno 910. Berengarius Rex *ad preces Conjugis ſuae, & Regni Conſortis* Berſtilae *donat fideli ſuo* Anſelmo Comiti Veronenſi, *illiuſque Compatri, & Conſiliario, ob fidei illius puritatem, Curtem quamdam juris Regni ſui, quae dicitur Duas Robores de Comitatu Veronenſe, nec non terras & praedium in Roverſello, cum Capella, quae in honorem Beati Zenonis ante irruptionem Paganorum in eodem loco conſtructa erat, cum omnibus ad eamdem Curtem pertinentibus. Haec eadem bona Anſelmus Comes Monaſterio Nonantulano donavit, eamque donationem Berengarius ſuo Diplomate confirmavit ſcripto Papiae V. Kal. Novembris Anno Dominicae Incarnat.* 911. *Regni Berengarii XXIV. Indictione V.*

Eodem Anno 911. Bonifacius Marchio *Monaſterio Nonantulano donavit in Comitatu Veronenſe Caſtrum Nogariae non longe a ſupradicta Curte ad Duas Robores. Kalendis autem Julii Anno eodem Leopardus Abbas e vivis ſublatus eſt.*

PETRUS III. ABBAS XVII.

L*Eopardo vita functo datus eſt a Monachis ſucceſſor* Petrus *Anno* 911. *Quo Anno die XIV. Decembris* Anſelmus Veronae Comes *prole carens dono dedit Coenobio Nonantulano bona ſua in Comitatu & finibus Veronenſibus, Martino Notario tabulas ſcribente. Inter bona donata erat Curtis nuncupata ad Duas Robores, Curtis Roverſella, & Capella Sancti Zenonis in eadem Villa Roverſella, cum omnibus ad ipſas Curtes & Capellam pertinentibus uſque ad fluvium Menago percurrentem in Tartaro, ſicut idem Anſelmus per paginam donationis acceperat a Rege Berengario.*

Berengarius *ipſe Monaſterio Nonantulano Pontificum Romanorum, Imperatorum & Regum, aliorumque donationes confirmavit, dando facultatem Monachis, ut mortuo Abbate ſucceſſorem de gremio Monaſterii eligant, quem digniorem ipſi judicaverint.*

Iiſdem temporibus Johannes Archiepiſcopus Ravennas *conqueſtus eſt per literas Petro Abbati, & Monachis Nonantulanis, quod ſe a ſuperioritate Eccleſiae Ravennatis ſubtraxiſſent, iiſque praecepit, ut debitum illi Eccleſiae honorem tribuant, & ut Matrem revereantur, & cognoſcant.*

Quum vero Hungari Monaſterium non longe a Tarviſio ſitum, & a Gherardo Duce *Anno* 780. *in proprio praedio aedificatum, una cum Templo, in quo erant Corpora SS. Syneſii & Theopompi, deleviſſent, Petrus Abbas Nonantulanus, cui Monaſterium illud erat obnoxium, Anno Salutis* 912. *miſit, qui ea Corpora inde Nonantulam deportarent: quod factum ſolemni pompa.*

Quidam Comenſes faciunt ſe hiſce temporibus adſcriptitios Monaſterio Sancti Silveſtri de Nonantula, & promittunt ſe ſecaturos prata, & curaturos oliveta prope Civitatem Papienſem. Charta ipſa ſubſcripta fuit manu propria Petri Abbatis. Qui Anno 913. *Kalendis Octobris vivere deſiit.*

GREGORIUS ABBAS XVIII.

GRegorius *Monachus Petrum ſubſequutus eſt in regimine Abbatiae, vir ſumme pius. Permutavit ille quaedam bona cum quodam Presbytero Eccleſiae Veronenſis, unde Coenobio Nonantulano obvenere quaedam terrae intra fines Civitatis Veronae non longe ab Oratorio Sancti Quirici. Gregorius*

Anno

Anno 929. relicta Abbatiae administratione, arctiorem vitam eligens in locellum Solariae se recepit, ibique per tres annos commoratus, & reversus postea Nonantulam sub regimine Ingelberti, qui in ipsius locum successerat, ibi III. Nonas Augusti Anno 933. ad meliorem vitam evocatus est.

INGELBERTUS ABBAS XIX.

INgelbertus, *ex quo Gregorius Abbas Solariam secesserat, a Monachis Nonantulanis electus est Abbas Anno 929. & a Petro Ravennate Archiepiscopo consecratus V. Kal. Aprilis. Ab isto Abbate* Sanson Placentiae Comes *accepit in feudum Curtem Asolae in Brixiano Comitatu, censu promisso in annos singulos mense Novembri.*

Sub eodem Abbate per commutationem acquisita sunt bona Monasterio intra Civitatem Laudensem prope Ecclesiam SS. Silvestri & Eustorgii. Pro Abbate subscripsit quidam Monachus Nonantulanus ab eodem Missus. Obiit Ingelbertus XIII. Kal. Martii Anno 941.

GERLO ABBAS XX.

GErlo *successor datus est Ingelberto, vir summa prudentia praeditus, qui Abbatiam a multis aerumnis, Deo adjuvante, liberavit, & ab hostibus defendit. Is Anno suae ordinationis VI. Salutis 947. IX. Kal. Septembris vitam cum morte commutavit.*

GOTTIFREDUS ABBAS XXI.

GOttifredus, Hugonis Arelatensis olim Comitis, postea Italiae Regis filius, *Patris auctoritate Abbas Nonantulanus post Gerlonem Anno 947. adlectus a Monachis, non diu tenuit Abbatiam; nam Patre ex Italia excedente, &* Lothario Rege *ejus Fratre e vivis sublato, successorem in Abbatiae administratione, sive Praepositum habuit* Widonem Episcopum Mutinensem *ab inimicis Patris, & Fratris intrusum.*

WIDO EPISCOPUS MUTINENSIS ABBAS XXII.

WIdo Episcopus Mutinensis, *relicto Ugone Italiae Rege, quamvis opima Nonantulae Abbatia ab eo donatus,* Berengario, *qui postea* Rex Italiae *fuit, adhaesit. Hanc eamdem Abbatiam rursus ille obtinuit Pridie Nonas Octobris Anno 962. ab* Ottone I. Imperatore *Papiae commorante,* Adeleidae Augustae *precibus adjutus, quippe ejusdem Ottonis is erat Archicancellarius & Consiliarius. Sed & ante concessionem Ottonis abusum fuisse Widonem nomine Abbatis & Abbatiae administratione, inde patet, quod Anno VII. Berengarii, & Adelberti Regum ipse Wido Mutinensis Episcopus, & Abbas Nonantulanus locavit Ausredo de Guisvertis, qui dicebatur Giso, Curtes Nogariae, ad Duas Robores, & Filidiano, imposito annuo censu. Scriptae tabulae in Castro Nogariae mense Aprilis.*

Exstat etiam Diploma Anno supradicto 962. Imperii Primo, die II. mensis Octobris ab eodem Ottone Augusto *datum, quo omnia Privilegia Regum & Imperatorum Abbatiae Nonantulanae concessa confirmat. Ante Annum 970. Wido e vivis excessit.*

HUBERTUS EPISCOPUS PARMENSIS ABBAS XXIII.

HUbertus, *sive* Humbertus Episcopus Parmensis *Nonantulanus Abbas, sive Praepositus (Abbatis enim*

honor a Berengario II. Rege *ad Praepositos translatus fuerat,) quamdam fecit permutationem, in qua, datis nonnullis terris, accepit domum in Civitate Ticinensi prope Ecclesiam S. Mariae de Capella.*

JOHANNES ABBAS XXIV.

OTto II. Imperator *in Italiam veniens, ac Coenobium Nonantulanum inveniens iniquorum hominum pravitate paene desolatum, quippe diu Abbatibus veris destitutum, quum nullum inter Monachos aptum inveniret*, Johannem *quemdam* Graecum Archimandritam, *& Consecretalem suum, probis moribus, & scientia ornatum, in Pastorem ejusdem Monasterii promovit. Cui rogatu, & interventu* Theophaniae Conjugis, *& Consortis Imperii sui, Anno 982. Privilegia confirmavit, mentionem in suo Diplomate faciens Fanani, Lizzani, & Galba, simul cum Silva Majore usque ad finem Crepunani, & Aquae currentis juxta Castellum Panzani, quae vocatur Zena.*

Exstant tabulae Geriberti Notarii de commutatione quorumdam bonorum in Civitate Papiensi inter Johannem Abbatem, & Bernardum Monetarium, scriptae Anno 984. VIII. Martii. Quo eodem Anno, tempore Ottonis II. Regis & Imperatoris sub Indictione XII. habetur precaria in Careto, Montecello, & aliis locis agri Papiensis concessa per eumdem Abbatem Giselberto filio quondam Leoprandi.

Biennio post Thedaldus Attonis Comitis filius, idemque Comes & Marchio, Missus Domni Imperatoris, *sententiam pronuntiavit in favorem Abbatiae Nonantulanae super Ecclesia Sanctae Mariae de Solaria contra Bosium Comitem.*

Hunc Johannem Abbatem *Romani auctoritate* Crescentii Consulis *Pontificem in schismate contra Gregorium V. declararunt Anno Christi 996.* Placentinae *quoque* Ecclesiae Archiepiscopum, *is superbia inflatus sese appellabat. Certe inter eum titulo Archiepiscopi Placentini & Nonantulani Abbatis donatum ex una parte, & Gundefredum, qui & Azo, Magistrum Monetae ex alia, sequuta est permutatio quarumdam terrarum intra Civitatem Ticinensem prope Basilicam S. Mariae, aliorumque bonorum in agro Ticinensi exsistentium in loco, ubi dicitur de Ponte, ut ex tabulis Warimberti Notarii scriptis die III. Januarii, Anno 989. constat.*

MARTINUS ABBAS XXV.

MArtinus *Diaconus, & Praepositus Monasterii S. Silvestri de Nonantula Anno 992. commutationem fecit quarumdam terrarum in loco Clavenacia cum Dominico, qui Boniza dicebatur, filio quondam Restaldi, ut apparet ex charta Adelberti Notarii.*

Extat & venditio manu supradicti Notarii scripta die VIII. Septembris Anno 993. ad favorem Adietrasbertae filiae quondam Ildebrandi de Comitatu Lucense, medietatis Curtis Montireni prope Rastellinum, & nonnullorum bonorum in locis Besentuli, & Gavilli in qua charta proditur, libram valere denarios CCXL.

LEO ARCHIEPISCOPUS ABBAS XXVI.

A*Nno Salutis 996. ordinatus fuit Abbas Nonantulanus* Leo Archiepiscopus, *ut puto,* Ravennatis Ecclesiae, *cui* Otto III. Imperator *veteres possessiones confirmavit, & novas addidit.*

JO-

JOHANNES ABBAS XXVII.

LEoni in Abbatia Nonantulana successit Johannes Anno 998. ordinatus Abbas. Is biennio post Kalendis Novembris vitam cum morte mutavit.

LEO ABBAS XXVIII.

JOhanni vita functo successit Leo, qui usque ad Annum 1002. in vivis egit.

RODULFUS ABBAS XXIX.

MOnachis Nonantulanis Abbas, quo per multa tempora caruerant, ab Ottone III. Imperatore, tamdem fuit redditus, electo Rodulfo Abbate Anno 1002. Quo Anno per eumdem Abbatem Gulprando procuratori Communitatis Battoni facta fuit concessio silvarum, aliarumque terrarum incultarum in Spinarecta, Monte Chiarello, & Monte Castellione pro annuo canone solidorum quinque Lucensium ex tabulis Goffredi Notarii.

Huic Abbati preces obtulit Bonifacius Marchio Thedaldi filius pro aedificanda Ecclesia in loco ubi dicitur Roversella, in Dioecesi Mutinensi, & donatae ab ipso Marchione fuerunt terrae juxta flumen, quod dicitur Cremonella.

Anno 1009. Regnante Henrico II. facta est commutatio inter Domnum Warinum Episcopum Mutinensem cum consensu Canonicorum suorum, praesente Aldegerio Judice sacri Palatii, & Advocato Ecclesiae S. Geminiani de Mutina, & Domnum Rodulfum Abbatem S. Silvestri de Nonantula cum consensu Fratrum suorum, praesente Adelfredo sacri Palatii Judice, & Advocato ipsius Monasterii. Episcopus dat medietatem Castri, quod est situm in loco qui dicitur Finalis, cum medietate Capellae in ipso Castro dicatae in honorem S. Laurentii Confessoris, cum clausura, terris &c. Ipse vero Episcopus recipit jugera centum terrae in loco qui dicitur Rusula, jugera XXIII. in loco Coeulo, & alias terras. Actum in Villa Saliceti.

Anno 1011. Rodulfus Abbas Ecclesiam S. Michaëlis extra Castrum Nonantulae a Theodorico Abbate olim fundatam erexit in Plebem cum potestate decimandi, quam constitutionem Henricus II. Rex confirmavit suo Diplomate. Qui Henricus Anno 1013. Rodulfo eidem donationem fecit multarum terrarum in agro Mutinense.

Anno 1016. IX. Kal. Decembris, Indictione XV. Henrico Imperante, Arnulfus filius quondam . . . . & Simbaldus filius quondam Alberti de loco Rastellini pro remedio animarum suarum donarunt Domno Rodulfo Abbati & successoribus, aream de terra, ubi Castrum Rastellini est aedificatum, una cum ipso Castro, domibus, & casis suis, & quinque partes de Capella in honorem S. Michaëlis dedicata infra ipsum Castrum.

Anno 1017. & Quarto Henrici Imperatoris VII. Kal. Aprilis, Indictione V. Bonifacius Marchio Thedaldi filius, & Richilda ejus Uxor donarunt Monasterio Nonantulano jus eligendi Canonicos in Ecclesia S. Silvestri ad ipsos spectans in fundo Nogariae Comitatus Veronensis, si tamen ipsi obierint sine filiis filiabus, & nepotibus legitimis.

Anno eodem 1017. praedicta Richelda Bonifacii Marchionis Uxor emit a Petro Presbytero de Ruvere multa bona in Ruvere, Nogaria, & aliis locis, quae postea donavit Coenobio Nonantulano.

Anno Henrici Imperatoris Octavo, die V. Martii Rodulfus Abbas concessit titulo

titulo precariae nonnullis Judicibus Archidiaconissae Ecclesiae Placentinae terras & Cellam in honorem S. Silvestri constructam sub annuo canone solidorum duorum Papiensium de argento.

Anno 1017. Bonifacius Marchio filius b. m. Thedaldi Marchionis, & Richilda ejus Uxor *filia* Giselberti Comitis Palatini, *donant Rodulfo Abbati casas, & res in Antado, Auratica, seu Granariolo, in fundo Tresentae, & medietatem Curtis Tresentulae cum casis, areis, & Capella S. Michaëlis Archangeli, & alia multa bona, ut videre est in tabulis Donati Notarii Sacri Palatii.*

Anno V. Henrici Regnantis in Italia die II. Martii Domnus Warinus Episcopus Mutinensis *confitetur, se accepisse a Domno Rodulfo Abbate precariam in Roncone & Navissella juxta fluvium Panarium, ex tabulis Nigeni Notarii.*

Anno III. Henrici Regis, Indictione IV. concessa fuit per Dominum Rodulfum Abbatem precaria magna in agro Papiensi Aledramo filio b. m. Alberici. Qui Aledramus in compensationem donavit Monasterio Nonantulano jugera 50 *terrae in Runco Rondenarii ex tabulis conscriptis per Walfredum Notarium.*

Anno Henrici Regis & Imperatoris Decimo Monasterium Nonantulanum totum igne concrematum est.

Anno 1025. *Conradi Imperatoris Secundo, X. Kalendas Februarii* Walderada *filia quondam* Marchionis Ottonis *emit Curtem Sorbariae.*

Anno 1026. *Nonantulana Abbatia* Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo *subjecta fuit. Quo eodem Anno Rodulfus Abbas recepit quaedam bona in Civitate Placentiae, ubi dicitur Campagna, & Aqualonga, & Albonano, dedit autem Presbytero Ingelramno de Ordine Ecclesiae SS. Antonini, & Victoris petiam terrae cum aedificio ligno & horto positam Placentiae prope Ecclesiam S. Agathae ex tabulis Antonii Notarii.*

Anno 1030. *XVI. Kal. Januarii extat quaedam commutatio, in qua Rodulfus Abbas concessis quibusdam terris in agro Papiensi* Abbati S. Salvatoris Ticinensis, *recepit ab eo Ecclesiam S. Ambrosii prope fluvium Secchiam, ubi dicitur Campo Gajano, ut ex tabulis Petri Notarii apparet.*

Anno 1032. *Conradi Imperatoris Octavo Rodulfus Abbas permutavit cum* Comitibus Widone, & Riprando quondam Uberti Comitis Filiis, & *cum Widone, & Ottone praedictorum Nepotibus, qui professi sunt omnes se ex Natione sua Lege vivere Salica, tres partes bonorum quamplurium in finibus Brixiae ad jugera* 1500. *recipiens ab eis multa bona in Comitatu Bononiense, & Mutinense, & in Civitate & Territorio Taurinense, in Carmagnola, in Rivolo, & aliis locis, inter quae bona enumerantur Wilzagara cum Curtibus & fundis suis (nunc Castrum S. Caesarii nuncupatur) cum Capellis ibi aedificatis in honorem S. Caesarii, & S. Geminiani, cum Castro Manzolino, Garzoleto, Taivolo, & aliis.*

Eodem Anno commutavit ipse Abbas quartam partem sibi residuam supradictorum bonorum cum Adelberto Comite filio quondam Uberti Comitis, & Sophia illius Conjuge filia Pachleurandi Comitis, *quae profitetur Natione sua se Lege vivere Longobardorum, sed nunc pro viro suo Lege vivere videtur Salica. Recepit autem a suprascripto* Adelberto Comite, & *ejus Uxore, portionem, quae ad illos spectabat in Castro Wilzagara, aliisque locis supra nominatis.*

Anno

Anno 1034. *VII. Kal. Octobris* Conradus Imperator *concessit Abbatiae Nonantulanae loca in Plebe S. Agathae, S. Martini, in Castellione, Casale Brancolini, Castellione Cuvalisio, Falsignano, Valmanino, Brazalino, Formilisio, Fregnanello, Ronalia, & Persiceto. Exstant etiam literae ejusdem Conradi Augusti scriptae sub die XI. Novembris, Anno* 1034. *super discordia inter Rodulfum Abbatem Nonantulanum, & Albertum filium quondam Amezoni habitatorem Mantuae, subscriptae ab Alinzo Notario.*

RODULFUS II. ABBAS XXX.

Rodulfus *Canonicus Metropolitanae Mediolanensis Ecclesiae, Rodulfi Abbatis defuncti Nepos, eidem in Abbatiae regimine non a Monachis, sed ab* Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo *electus, successit Anno* 1036.

Anno Conradi Imperatoris XV. die III. Decembris, Indictione XIII. Rodulfus Abbas concedit multa bona sui Monasterii Uberto filio b. m. Ammani, qui profitetur se ex Natione sua Lege vivere Francorum, & recipit ab eodem medietatem Curtis, & Castri Sorbariae cum Capella S. Laurentii.

Anno 1040. *coram* Gotebaldo Misso & Capellano Henrici Imperatoris *disceptatum est inter Azonem Praepositum Ecclesiae S. Michaëlis de Florentia adhaerentem Monasterio Nonantulano, & Willelmum Clericum defendentem pro se Ecclesiam S. Miniati ejusdem loci; sententia fuit, etiam ex renuntiatione spontanea praedicti Willelmi, eamdem Ecclesiam cum area sua spectasse & spectare ad Monasterium Nonantulanum.*

Anno 1043. *facta fuit concessio per Abbatem Rodulfum Adriacae nobili feminae Ferrariensi de Hostilia Mantuana, & aliis locis.*

Leo IX. Papa *Anno* 1049. *ad preces* Bonifacii Marchionis, *ejusque Conjugis* Beatricis, *confirmavit Abbatiae Nonantulanae Privilegium Hadriani Papae Primi Anselmo Abbati concessum. Subinde Curtem Quarantulae cum Castello Mirando, & Ecclesia S. Mariae, & S. Possidonii idem Bonifacius Marchio a Rodulfo Abbate precario jure accepit: quam Curtem postea* Matildis ejus filia *dono dedit Hugoni de Manfredis, salvo jure Abbatiae. Obiit Rodulfus eodem Anno* 1049.

DEODATUS ABBAS XXXI.

Deodatus *Abbas successor Rodulfo datus est a Monachis Anno* 1050. *sub isto* Anselmus Veronae Comes, *qui multa bona a Monasterio Nonantulano jure precario tenebat, promittit se numquam ei moturum quaestionem de dominio, neque allegaturum praescriptionem aliquam Anno* 1055.

GOTHESCALCUS ABBAS XXXII.

Post Deodatum ab Anno 1056. *ad Annum usque* 1058. *invenitur* Gothescalcus, *modo Abbas, modo Praepositus Monasterii Nonantulani appellatus.*

LANDULFUS ABBAS XXXIII.

Gotescbalco vita functo Landulfus *Rodulfi II. Abbatis Nepos, Civis Mediolanensis, circiter Annum* 1061. *factus est Abbas.*

Anno 1065. *interposita fuit appellatio per Syndicum ejusdem Landulfi Abbatis Nonantulani, eo quod Vicarius Domni* Manfredi Electi Veronensis *noluit confirmare electionem factam per Domnum Abbatem de Johanne in Archipresbyterum Eccesiae S. Petri de Nogaria.*

Anno

Anno 1067. *Landulfus ab* Alexandro Papa II. *obtinet Privilegium pro exemtione Monasterii sui, cum confirmatione Aliorum Privilegiorum. Data est Bulla Lucae VII. Idus Junii, Pontificatus VII. Indictione V.*

Anno 1068. *XVII. Kal. Januarii idem Abbas accepit libellario jure in perpetuum Monasterium & Ecclesiam S. Bartholomaei de Porta Ravignana Civitatis Bononiae a Petro & Bernardo de Civitate Bononiae, promittens ipse Abbas & Fratres se quotannis soluturos eisdem tertiam partem oblationum advenientium in Festis Paschatis, Nativitatis D. N. J. Christi, & S. Bartholomaei ad eamdem Ecclesiam.*

Eodem Anno ipse Abbas prope flumen, quod dicitur Gambacanis juxta Palatam construxit Ecclesiam in honorem Sanctorum Silvestri, Johannis, Nicolai, Synesii, & Theopompi, pro utilitate Monasterii, & cunctorum navigantium per flumen, quod dicitur Fossa nova, & illam dotavit.

Anno 1072. *VIII. Idus Februarii, Guido, Albertus, & Gottifredus filii quondam Rodulfi de Castro de Curte in remedium animarum suarum donant Landulfo Abbati Castrum Torcillum cum tenimento & fossato, exceptis casis domnicalibus cum areis suis. Eodem quoque die idem Abbas praedictis Guidoni, & Alberto concessit precario jure supradictum Castrum Toricelli.*

Anno 1088. *V. Kal. Martii* Comitissa Matildis *concessit Abbatiae Nonantulanae Ecclesiam Sancti Silvestri, sitam in Castro Nogariae cum omnibus terris &c. confirmamus donationem ejusdem Ecclesiae factam a* Richilda Comitissa, *seu a* Bonifacio, *&* Beatrice *ipsius Mathildis Genitoribus.*

JOHANNES ABBAS XXXIV.

JOhannes *Landulfi successor in Abbatia Nonantulana reperitur Anno* 1092.

Anno 1095. *die I. Junii Imelda mulier Papiensis, filia quondam Tidonis, Lege vivens Romana donat Abbatiae Nonantulanae Ecclesiam S. Quirici & Juditae prope Portam Palatii, & Ecclesiam SS. Simonis & Judae, & S. Silvestri Civitatis Papiae, & terras in vicis Manonis & Thidonis.*

Anno 1100. *Indictione IX. mense Septembri, Monachi & Monachae Ecclesiae S. Benedicti de Cremona omnia sua Monasterio Nonantulano, & se in perpetuum subjiciunt.*

Anno 1102. *XV. Novembris, Indictione II.* Matildis Comitissa *de licentia* Domni Bernardi S. R. E. Cardinalis *in Lombardiae partibus Generalis Vicarii* Domni Paschalis Papae, *in suorum peccatorum remissionem, & Sanctae Nonantulanae Ecclesiae restaurationem, in qua Corpus Beatissimi Confessoris Silvestri requiescit, Johanni Abbati, & praedictae Ecclesiae in perpetuum donavit Castrum Tedaldi cum Ecclesia S. Johannis Baptistae, eo onere ut Nonantulanum Monasterium unum bizantium quotannis in Lateranensi Palatio nomine pensionis persolvat. Actum in Castro Panciani, scribente Widone Notario Sacri Palatii, subscribente ipsa Matilde, & Bernardo Cardinale, Judicibus, & testibus.*

Eodem Anno Albertus Comes *cuidam elargitus est bona in loco Castelliuni Plebatus S. Laurentii in Collina, quae postea pervenerunt ad Abbatiam Nonantulanam.*

DA-

DAMIANUS ABBAS XXXV.

Damianus Monachus Johannem Anno 1104. Excepit. Qui VIII. Idus Martii donavit quaedam bona Fratribus Canonicis Ecclesiae S. Petri in Siculo.

JOHANNES ABBAS XXXVI.

Successit inde Johannes Anno 1113. IV. Idus Novembris a Paschale II. Papa consecratus, & a quo & retulit Diploma datum Laterani per manum Johannis S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii III. Idus Junii Anno 1114. in quo confirmatur donatio Comitissae Matildis & aliorum.

Eodem Anno 1114. Comitissa Matildis ad preces Domni Bernardi Episcopi Parmensis, dum apud Bondenum erat una cum Johanne Abbate Nonantulano, & Ameto Priore Nogariae, pro illa pensione, quam debebat persolvere Monasterio Nonantulano pro Castro, & Curte Nogariae, eidem concessit Brandam, &. Palmatam, & Maorsum & alia ad habendum & possidendum. Chartula scripta est Indictione VII. VIII. Kal. Novembris per manum Ubaldi Capellani cum signo ipsius Matildis.

Anno 1115. XII. Kal. Decemb. Johannes Abbas investivit Monasterium S. Benedicti de Cremona, quod est sub regimine Abbatiae Nonantulanae, de una petia terrae perticarum XII. Eodem Anno homines Castri Gipsi restituunt praedicto Abbati Misso Domni Henrici Imperatoris multa bona posita in Curte Kaigesiae.

Anno 1117. Die VII. Junii Johannes Abbas locavit Johanni Comiti bona in lo.o Scotedulo Cremonae.

Anno 1121. die I. Martii Indictione IX. habetur Syndicatus jussu Johannis Abbatis & Monachorum factus a Priore Monasterii S. Crucis de Cremona super administratione bonorum ejusdem Monasterii, & Ecclesiae SS. Benedicti & Silvestri de Cremona, necnon Sancti Silvestri de Placentia, & in eisdem Civitatibus, suburbiis, & territoriis.

Anno 1124. Johannes Abbas concessit licentiam fundandi Castrum S. Mariani in partibus Tusciae in Dioecesi Arretina habitatoribus illius loci. Et sequenti Anno iidem homines S. Mariani, Milites in tabulis nuncupati, se obligant Johanni Abbati de emendo equos infra certum tempus sub poena amittendi bona feudalia.

Anno 1125. Callistus II. Papa confirmavit Johanni Abbati, & Monasterio Nonantulano omnia privilegia, Castra, Curtes, Ecclesias &c.

Anno 1128. idem Abbas Monialibus S. Benedicti de Cremona non pauca bona elargitus est.

Anno 1132. Mense Augusto praedictus Abbas concessit in emphyteusim ad centum annos Abbati & Monachis S. Proculi de Bononia omne id & totum, quod habuit Johannes per scriptum a Comitissa Matilda in Curte Cellulae, & duas petias terrae, quae fuerunt Alberti Beneventani.

Eodem Anno exstat oppignoratio facta per Monasterium Nonantulanum Communi & Populo Ferrariensi de Hostilia, & aliis locis.

HILDEBRANDUS ABBAS XXXVII.

Hildebrandus: Abbas Nonantulanus, Johanne ipso adhuc vivente, reperitur, fortasse ob schisma tunc exortum in Ecclesia Romana; nam Anno 1131. chartae habentur ipso rectore conscriptae.

Anno 1131. Innocentius II. Papa *per Bullam datam Laterani VII. Kal. Decembris praecipit Militibus & bonis hominibus Nogariae, ut recognoscant in suam dominam Ecclesiam Nonantulanam. Qui idem Pontifex Anno* 1133. *Diplomate dato Nonantulae per manum* Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis *& Cancellarii IV. Idus Octobris, Indictione X. Pontificatus Anno III. amplissimum Privilegium Hildebrando Abbati concessit, in quo vetera omnia confirmantur, & conceduntur insignia pastoralia.*

BIERLO ABBAS XXXVIII.

V*Ivente adhuc Hildebrando*, Bierlo *Abbatem Nonantulanum gessit, qui Anno* 1137. *die X. Aprilis confirmavit Aymoni & Adelberto Scavino investituram Silvae, quae est infra Pagum Persicito territorio Mutinensi.*

ANDREAS ABBAS XXXIX.

S*Uccessit Anno* 1142. Andreas *Abbas, qui privilegium concessit Plebi S. Mariae de Bondeno de Decima & aliis rebus.*

ALBERTUS ABBAS XL.

ALbertus *Abbatiam regere coepit Anno* 1144. *quo Anno* Conradus Rex *ad preces* Geltrudis Reginae Conjugis, *Abbatiam Nonantulanam sub sua defensione suscipiens, ea omnia privilegia confirmat. Datum est Diploma Ratisbonnae Anno XX. ejusdem Conradi.*

Anno 1147. Eugenius III. Summus Pontifex *controversiam diremit inter Albertum Abbatem Nonantulanum, &* Theobaldum Veronensem Episcopum *super Plebe Nogariae, decernens, ut Episcopus haberet jus Parochiae, Abbas jus eligendi Archipresbyterum, qui de Plebis cura Episcopo respondeat, & Episcopus consecrationes & ordinationes faciat gratis.*

Eodem Anno 1147. Azo Florentinus Episcopus *declarat, Ecclesiam S. Silvestri de Rustignano spectare ad Abbatiam Nonantulanam.*

Anno 1152. *die XXV. Januarii donata fuit Monasterio Nonantulae Ecclesia S. Michaëlis de Casalecchio.*

Conradus Romanorum Rex *ad Abbatem Nonatulanum scribit, se mittere duos viros discretos, & magnae auctoritatis, Abbatem videlicet Corbejensem, & A. Cancellarium suum, qui negotia Abbatiae in melius commutabunt, & de ipsorum terris recuperandis operam dabunt. In aliis item literis significat, se in Italiam mittere Henricum Protonotarium suum, virum prudentissimum, qui ex dispositionis suae decreto Abbatiae Nonantulanae negotia secundum honorem Regni ordinabit.*

Anno 1156. *Mense Augusto Albertus Abbas Widoni, & Alberto filiis quondam Malistae concessit in feudum omnia, quae Malerba acquisierat a Marchione Conrado; & quod fuit feudum Comitis Alberti.*

Eodem Anno Hadrianus Papa IV. Abbatiae Nonantulanae amplissimum largitus est Privilegium.

Anno 1164. Fridericus I. Imperator *Privilegia renovavit eidem Abbatiae.*

Quum inter Monasterium Nonantulanum, & Episcopum Mutinensem controversia foret super possessione Lavoletti coram Hildebrando Cardinale, & Legato, *idem Episcopus ad audientiam* Alexandri III. Summi Pontificis *appellarat. Alexander eamdem caussam commisit* Ottoni de Brixia Diacono Cardinali S. Nicolai ad Carcerem Tullianum, *Apostolicae Sedis Legato, & po-*

& postea Manfredo S. Georgii ad Velum aureum Diacono *ejusdem Sedis Legato, qui sententiam tulit pro Monasterio. Sententia ab Alexandro Pontifice confirmata est.*

Anno eodem praedictus Papa O. Veronensi, & V. Mantuano Episcopis *mandat, ut nobilem Turrisendum Parochianum Veronensis Episcopi, qui Curtem Nogariae ad Monasterium Nonantulanum spectantem invadebat (acceperat ille in feudum a* Friderico Augusto) *& in suae salutis periculum detinebat, solicite moneant, & Ecclesiastica severitate, appellatione remota, rogent, ut eamdem Curtem pacifice Monasterio dimittat. Scriptae sunt literae Veletri VII. Idus Aprilis.*

Anno 1168. Hildebrandus S. R. E. Cardinalis Basilicae XII. Apostolorum, & Apostolicae Sedis Legatus *sententiam dedit, instante Mense Aprilis, Regnante Friderico Imperatore, Anno Imperii ejusdem XIV. contra* Henricum Episcopum Mutinensem *ad favorem Alberti Abbatis Nonantulani pro silva Lavoletti Solariae.*

Anno 1170. *VI. Kal. Maji, Indictione III.* Alexander Pontifex *Viterbii morans Diploma dedit Abbatiae Nonantulanae per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi confirmans Privilegia & immunitates eidem.*

Ad hunc ipsum Annum pertinet sententia Odonis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis *& Apostolicae Sedis Legati, lata Brixiae die XV. Mensis Martii in controversia vertente inter Albertum Abbatem Nonantulanum, &* Offredum Episcopum Cremonensem *super Monasterio Sancti Benedicti de Cremona, in qua Abbati restituitur eadem Ecclesia & Monialium Coenobium quippe ereptum ipsi tempore Octaviani Schismatici, qui Cremonam veniens Abbatissae interdixerat, ne Abbati Nonantulano de cetero obediret, quia idem Abbas obedientiam eidem Octaviano praestare recusabat. Alexander Papa III. per suas literas datas Vercellis VI. Kal. Maji sententiam istam confirmavit.*

Conradus Legatus Friderici Imperatoris restituit Ecclesiae de Valle-Fabrica praedia, quae filii Munaldi abstulerant. Fridericus vero Imperator eamdem sententiam ac restitutionem ratam habuit tam in his, quae restituta sunt in Comitatu Assisii, quam in Comitatu Nucerino, vel in aliis locis, videlicet Curtem S. Donati, Curtem Porcili, Castrum Casagaldi, ipsamque Ecclesiam de Valfabrica Nonantulano Monasterio subjectam sub sua Imperiali protectione suscepit, Diplomate dato Assisii Anno 1177. *XIII. Kal. Januarii, Indictione XI.*

BONIFACIUS ABBAS XLI.

Bonifacius, *adhuc vivente* Abbate Alberto, *& ipse Abbas est nuncupatus, fortassis a Paschale Antipapa. Reperiuntur ejus Acta Anno* 1172. *& sequentibus.*

Anno 1180. *Indictione XIV. die XIX. Mensis Octobris* * Fridericis I. Imperator *Ecclesiae S. Silvestri de Nonantula per suum Diploma datum Alteburgii restituit possessionem rerum, quas Turrisendus Veronensis in loco Nogariae vel ejus Curia injuste tenebat, eo pacto ut quocumque tempore ipse Fridericus, vel filius ejus Romanorum Rex, vel alius ex suis successoribus Nonantulanae Ecclesiae censum vel pensionem, quam* Comitissa Matildis, *vel Antecessores* Henricus Imperator, & Rex Conradus *inde solvere consueverunt, & ipse solvere voluerint, praedicta Ecclesia Nonantulana illum censum recipiat, & ipsum Fridericum & Filium, ejusque Successores sub jam dicto canone possessionem*

praedictam sine contradictione tenere permittat.

Anno 1191. Caelestinus Papa *Diplomate dato Romae per manum* Egidii S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis *VI. Kal. Julii*, *Pontificatus Anno I. confirmavit omnia praedecessorum Privilegia Bonifacio Nonantulano Abbati ejusque Ecclesiae. Quo eodem Anno praedictus Pontifex mandat hominibus Civitatis Cremonae, ne se intromittant in Ecclesiam S. Crucis ejusdem Civitatis, sed illam Abbati Nonantulano dimittant*.

Anno 1192. *Bonifacius Abbas renovavit Episcopo Ferrariensi concessionem illi alias factam de Hostilia, & aliis locis*.

Anno 1194. *VI. Kal. Martii idem Abbas Bonifacio Priori S. Silvestri de Nogaria donavit omnes terras, quas Monasterium Nonantulanum habebat ultra Lacum Gardae versus Brixiam in Episcopatibus Veronense, & Brixiense in Scovolo, & aliis locis, & etiam in Tridentino Episcopatu. Tabulae scriptae sunt Veronae coram* Domno Fidantio Presbytero Cardinale *titulo S. Marcelli Apostolicae Sedis in Italia Legato, ipso ratam habente donationem*.

RAYMUNDUS ABBAS. XLII.

Innocentius III. Summus Pontifex, *amoto ab administratione Abbatiae Nonantulanae* Bonifacio *ejusdem dilapidatore* Raymundi Amici *ex Abbate S. Mariae in Strada XII. Kal. Julii, Anno* 1202. *eidem Monasterio Abbatem dedit. Idem Pontifex Anno* 1209. *Privilegia confirmavit praedicto Coenobio, Bulla data IV. Nonas Julii, Indictione XI. Viterbi, per manum Johannis S. Mariae in . . . . Cardinalem S. R. E. Cancellarium*.

Anno 1210. *Raymundus Abbas amplissimum ab* Ottone IV. Imperatore *Privilegium obtinuit, quo praecedentia confirmantur*.

Subsequuntur ceteri Abbates, nempe Landulfus, *sive* Rodulfus *Anno* 1248. Cursaccus *Anno* 1250. Bonacursius *Anno* 1256. *quibus etiam temporibus inveniuntur Abbates Nonantulani* Guido Albertus *&* Raymundus. *Tum* Landulfus *Anno* 1264. Guido 1286. Frater Nicolaus de Prato *Ordinis Praedicatorum, Magister in Theologia, ex Episcopo Spoletino, & Vicario Papae in Urbe, a* Benedicto Papa IX. Episcopus, Cardinalis Ostiensis *&* Veliternensis *creatus, Anno* 1303. *vivente adhuc* Guidone Abbate, *Monasterii Nonantulani generalem administrationem per Sedem Apostolicam obtinuit. Deinde* Fridericus Abbas *Anno* 1311. Deodatus *Anno* 1312. Nicolaus filius quondam Domini Acti de Barattis de Parma *Anno* 1312. *Tum* Guido Episcopus Mutinensis *Anno* 1320. *Postea* Bernardus *Anno* 1322. *&* Nicolaus *iterum; tum* Bernardus *iterum Anno* 1329. Guillielmus *Anno* 1334. Fridericus *Anno* 1347. Deodatus *Anno* 1351. Ludovicus *Anno* 1357. Ademarus *Anno* 1363. Thomas *Anno* 1369. Nicolaus de Assisio *Anno* 1387. Baptista Guzzadinus Bononiensis *Anno* 1398. Delfinus Guzzadinus *Anno* 1400. Jacobus Episcopus Veronensis *Anno* 1404. Balthassar Cossa Diaconus Cardinalis S. Eustachii, & Legatus Bononiae *Anno eodem*. Johannes Galeatius de Pepulis *Anno* 1406. Guronus Maria Estensis Nicolai Marchionis Ferrariae filius *Anno* 1450. Julianus de Ruvere S. Petri ad Vincula Cardinalis *Anno* 1483. Galeottus de Ruvere S. Petri ad Vincula Cardinalis *Anno* 1503. Julianus Caesarinus S. Angeli Diaconus Cardinalis *Anno* 1505.

1505. Johannes Matthaeus Sertorius Mutinensis Archiepiscopus S. Severinae *Anno* 1509. Johannes Jacobus Sertorius, *tum* Antonius Maria Sertorius *Anno* 1531. Julius Sertorius Archiepiscopus S. Severinae 1551. Carolus Cardinalis Borromaeus Archiepiscopus Mediolanensis Bononiae & Romandiolae Legatus *Anno* 1561. Johannes Franciscus Bonhomus Cremonensis *Anno* 1568. Guido Cardinalis Vercellensis *Anno* 1572. Philippus Guastavillanus S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis S. R. E. Camerarius *Anno* 1582. Hieronymus Matthaeus Romanus Diaconus Cardinalis S. Hadriani *Anno* 1589. Alexander Matthaeus Camerae Apostolicae Clericus *Anno* 1603. Ludovicus Ludovisius S. Mariae Transpontinae Presbiter Cardinalis, S. R. E. Camerarius, & Archiepiscopus Bononiensis *Anno* 1621. Antonius Barberinus S. R. E. Cardinalis *Anno* 1632.

Si *Nonantulanum* excipias, ut supra vidimus, cum *Farfensi* nullum aliud in Italia Monasterium antiquis temporibus certare potentiâ, amplitudine, aliisque praerogativis poterat. Sed prae Nonantulano Farfense felix, quod Archivi sui monumenta vetusta fere omnia in hunc usque diem servarit. Nam etsi Diplomata ceterasque membranas depopulata sit aut flamma, aut hominum iniquitas, insigne tamen Chartarium, sive *Regestum*, quod *Registrum* alii dicere amant, incolume temporis injurias evasit, uti jam commemoravi in Praefatione ad Chronicon Farfense Par. II. Tomi II. Rer. Italicarum; in quo sacri illius loci Chartae usque ad Annum MXCII. descriptae fuerunt. Egregium sane volumen, quod omnibus bonarum Literarum amatoribus optandum est ut integrum aliquando in lucem prodeat; inde enim non solum ediscere liceret, quanta rerum copia praestantissimo illi Coenobio olim fuerit, sed etiam multa ad eruditionem Saeculorum rudium praesidia possent derivari. Ego quod possum, seriem priorum Chartarum illic descriptarum, qualem olim accepi publici juris facio.

CA-

CATALOGUS

NONNULLARUM CHARTARUM REGESTI MSTI

MONASTERII FARFENSIS.

Praefatio Johannis Grammatici, qui collegit, & dispofuit Regeftum jubente Berardo Abbate Anno MXCII. Imper. Henrico IV. Indict. XV. XIII. Kal. Majas. Scriptor Regefti Gregorius e Sabinenfi Comitatu oriundi Nobiliffimis parentibus orti.

*VErfus exprimentes rerum fupradictarum * ferim & temporum.*

Imago Beatae Mariae Virginis, & Abbatis offerentis librum, & Scriptoris, & Collectoris.

Epiftola Faroaldi Ducis Spoletani Joanni Papae, *in qua recenfet multa a fe donata Monafterio Sanctae Mariae Farfenfi, & dicit Monafterium a fe reftauratum per* Thomam Abbatem. *Circ. Annum 703.*

Joannis Papae *Privilegium Thomae Abbati, in quo originem Monafterii recenfet, fundatum videlicet a* Laurentio quondam Epifcopo *de peregrinis veniente in fundo, qui dicebatur Acutianus. Datum pridie Kalendas Julii, imperante Domno noftro piiffimo P. P. Augufto Tiberio Anno VIII. Principatus ejus Anno VI., fed & Theodofio atque Conftantino. Circ. Annum 703.*

Venditio Oliveti facta Thomae Abbati. Actum ad Sanctum Petrum in Germanitiano territorii Sabinenfis. Quam vero Cartulam venditionis ego Arichis Notarius per juffionem Sindolphi Caftaldionis Civitatis fuprafcriptae fcripfi. Circiter Annum 691.

Alia venditio olivarum eidem Abbati temporibus Transfmundi Ducis Langobardorum, *& Sindolphi Caftaldionis Civitatis Reatinae. Circ. Annum 691.*

Obiit Thomas poft XXV. annos & VII. menfes regiminis, & dies quinque, IV. Idus Decembris.

Succeffit Autepertus *Tolofanus, qui praefuit annis VII. menf. V. & diebus XVIII.*

Succeffit Lucerius *Maurigena ortus Provincia, qui praefuit annis XVI. menf. VI. & dies X. & obiit XVI. Kal. Julii.*

Transfmundus Dux Langobardorum *Lucerio Abbati donat Ecclefiam Sancti Getulii. Datum menfe Majo, Indictione VII.*

Anno 724.

Flavii Liutprandi Regis *Lucerio Abbati Privilegium, quo confirmat donata Monafterio a Ducibus Spoletanis, & aliis, & concedit, ut defuncto Abbate, Monachorum Congregatio alterum eligere poffit. Actum Spoleti in Palatio XV. die menfis Junii.*

Circ.

Circ. Ann. 724.

Transmundi Ducis *donatio*. *Datum mense Januario, Indictione VIII. sub Rione Castaldione.*

Anno 725.

Testamentum Adualdi, & Audolphi temporibus Luponis Ducis Langobardorum *Anno ejus Primo, mense Novembris.*

Anno 746.

Fulcoaldus *Aquitanus praefuit annis XIX. & mens. VI. & dies XII. Obiit IV. Nonas Decembris.*

Donatio Luponis Ducis. *Datum Spoleti in Palatio Anno Ducatus nostri in Dei nomine Primo, mense Decembri, Indict. XIV.*

Anno 746.

Luponis *altera donatio. Datum jussione Civitate nostra Reatina Anno in Dei nomine Ducatus nostri Primo, Indict. XIV. sub Bertone Castaldione.*

Anno 746.

Ejusdem Luponis *alia donatio pro mercede Ratchisii Regis. Datum jussione in Gualdo nostro in Pontias, Anno Ducatus nostri in Dei nomine II. mense Octobri, per Indictionem XV. sub Restone Castaldione, & Casualdo Archipercario, vel Gundualdo Actionario nostro.*

Ejusdem alia donatio ex jussione Ratchis Regis. *Data jussione in Civitate Ticino, Anno Ducatus nostri in Dei nomine II. mense Julio, per Indictionem XV. sub Gundualdo Actionario nostro.*

Anno 747.

Ejusdem Luponis *confirmatio Monasterio Sancti Petri in Classicella concessi a Transmundo Genitrici Fulcoaldi Abbatis. Datum jussione Spoleti in Palatio Anno Ducatus nostri in Dei nomine III. II. die praesentis Novembris, Indict. I. sub Godefrid Castaldione.*

Anno 747.

Ejusdem alia donatio. Datum jussione in Civitate nostra Reatina Anno in Dei nomine Ducatus nostri V. Indict. III. sub Immone Castaldione nostro.

Anno 749.

Ejusdem Luponis *jussio, ne mulieres ambularent per certas vias secus Monasterium, nisi per viam, quae Salaria est a Sancto Parcratio recte in Pontem Sancti Viti in Sala, & exinde in Textam, de Texta in Scappligiano. Datum jussione in curte nostra ad Varrianum Anno Ducatus nostri in Dei nomine V. mense Decembris, per Indictionem III.*

Anno 749.

Ejusdem alia donatio. Datum jussione in Palatio nostro Spoletano Anno Ducatus nostri in Dei nomine VI. mense Novembri, Indict. IV. sub Immone Castaldione.

Anno 750.

Luponis, & Hermelindae *confirmatio bonorum Parthenonis Sancti Georgii Martyris prope murum Civitatis Reatinae, subjecti Monasterio Farfensi. Datum jussione Spoleti in Palatio Anno Ducatus in Dei Nomine VI. mense Aprili, per Indictionem IV. sub Immone Gastaldione nostro.*

Anno 751.

Haistolphi Regis *confirmatio bonorum. Datum jussione Ravennae in Palatio IV. die mensis Julii Anno felicissimi Regni nostri III. per Indictionem IV.*

Anno 751.

Donatio Rotfredi temporibus Luponis Ducis Langobardorum, *& Gotfredi Gastaldionis Reatini.*

Anno 751.

Donatio Bonae relictae Averolphi Gastaldionis temporibus Luponis *Anno Ducatus ejus IV. mense Decembri, Indict. II. Actum Spoleti.*

Anno 748.

Donatio Isemundi, & Teudemundi fratrum Anno V. Luponis *sub Taciperto*

perto Gastaldione Reatino mense Julio, Indict. II. Actum in Reate.

Anno 7 4 9.

Judicium de supradicta donatione, jubente Lupone &c.

Venditio acceptis in praesenti loco pretii Cavallis VI. pro solidis IX. & auro cocto pensante solidos CCCXL. Luponis *Anno V. sub Taciperto Gastaldione Reatino. Actum Reate.*

Anno 7 4 9.

Diremptio litis pro Monasterio Sanctae Mariae, & Sancti Archangeli Michaëlis, constructo in Terentiano a Claudiano Presbytero, & Monacho Farfensi per Luponem Langobardorum Ducem *mense Decembri, per Indict. IV. Spoleti.*

Anno 7 5 0.

Testamentum Palumbi Diaconi tempore Luponis. *Actum in Civitate Reatina.*

Anno 7 5 0.

Donatio Bonae tempore Luponis. *Actum in Sabinis in Casa Beati Martyris Hyacinti mense Majo, per Indict. XV.*

Anno 7 4 7.

Donatio Luponis, *ex jussione Potestatis. Actum in Curte nostra ad Varrianum Anno Ducatus nostri in Dei nomine VI. mense Decembris, Indictione IV. sub Immone Gastaldione.*

Anno 7 5 0.

Commutatio Teudemundi Actionarii temporibus Transmundi Ducis, *& Piconis Gastaldionis Reatini mense Aprilis, per Indictionem XII. Actum in Reate.*

Anno 7 2 9.

Judicium in Insarii ex jussione Ratchis Regis *Anno Domni Ratchis Regis in Dei nomine III. die XVII. mensis Aprilis, Indict. XV.*

Anno 7 4 7.

Conventio inter Fulcoaldum Abbatem, & Grimoaldum, & Anzonem pro rebus Claudani Presbyteri & Monachi. Regnante Haistolpho Rege Anno Regni ejus III. sub Probato Gastaldione Reatino mense Novembris, Indict. V. Actum in Reate.

Anno 7 5 1.

Donatio Rotharii Abbatis, *& Hittae Sanctimonialis Conjugis ejus, Anno Aistulphi Regis IV. mense Februarii, per Indict. V. Actum Spoleti.*

Anno 7 5 2.

Venditio facta a Teudone Monacho Monasterii Sancti Salvatoris per concessum & assensum Domni Astualdi Abbatis, *& cunctae Congregationis. Regnante Domno Haistulpho Rege Anno Regni ejus IV. sub Probato Gastaldione Reatino mense Novembris, per Indictionem VI. Actum in Reate.*

Anno 7 5 3.

Judicium Teutonis Episcopi, *& Laicorum Judicum, inter Furcoaldum Abbatem, & Maurum Clericum.*

Donatio Miccionis Anno IV. Aistolphi Regis sub Probato Gastaldione Reatino mense Aprilis, per Indict. VI. Actum in Reate.

Anno 7 5 3.

Donatio altera Anno V. Aistulphi Regis mense Julio, per Indictionem VII.

Anno 7 5 4.

Cambium Teutonis Episcopi *Anno VIII. Haistulphi Regis mense Novembris, per Indictionem VIII.*

Anno 7 5 4.

Donatio Guinealpi Sculdais, & Conjugis Stephaniae Anno I. Albuini Ducis *sub Alefrido Gastaldione Reatino mense Martio, Indict. X.*

Anno 7 5 7.

Donatio Felicis coloni, Albuini temporibus.

Datio Curtis ad laborandum, Albuini Anno I. XIV. Kal. Novembris, Indict. XI.

Anno 757.

Quinctus Abbas Guandelbertus, *qui uno praefuit anno, menses VII., & postulavit Fratres, ut alium eligerent: quo facto in Firmana Civitate Monasterium S. Hippolyti a Fratribus accepit.*

Sextus Halanus *praefuit annos VIIII. menses III. dies VIII. Obiit V. Nonas Martias.*

Conventio quaedam Theodorae pro Gratorio Sancti Angeli, Imperante Constantino, a Deo coronato Imperatore Anno XLVII. &........ ejus Anno XXVII., sed & Leone ejus Filio Anno XVII. Indictione V. mense Augusto, die XVII. in praesentia Leonis Episcopi Civitatis Castri Urb........

Anno 767.

Venditio Anno I. Ducatus Gisulfi Ducis *mense Aprili, per Indictionem XIII. Pacta..... pro remedio solido, sex modia milii pro medio solido, & solidum in auro unum.*

Anno 760.

Venditio terrae facta ab Allone & Albrichino Monachis Sancti Vincentii cum concessione Hermeperti Abbatis, *& confratrum Anno II.* Gisulfi. *Actum in Marsis mense Januario, Indictione XIV.*

Anno 761.

Compositio pro Cavallo furto sublato, Gisulfi *Anno II. mense Martio, Indict. XIV.*

Anno 761.

Judicium Gisulfi *in Civitate Reatina Anno ejus II. mense Aprilis, Indict. XIV.*

Anno 761.

Aliud Judicium ejusdem cum Misso Domni Regis, & Judicibus suis, Teutone Episcopo &c. *mense Februario, per Indictionem XIV.*

Anno 761.

Donatio Aliperti cum formula Quisquis in Sanctis &c. *Anno II. Gisulfi VIII. Kal. Apr. Indict. XIV.*

Anno 761.

Donatio Gisulfi Anno ejus II., & V. Regni Desiderii, *& II.* Adelgis *Filii ejus, sub Alifrido Gastaldione, & Lupone Archipurcorio.*

Anno 761.

Commutatio Heletrici Actionarii Anno supradicto mense Julio, Indict. XIV.

Anno 761.

Donatio Theodori Desiderio & Adelchis Anno Regni eorum VI. mense Octobri, Indict. I.

Anno 762.

Desiderius Rex *confirmat donationem quandam factam ab Abnetrada cum filiis suis de Monasterio Sancti Hippolyti. Datum jussione Ticino in Palatio XVII. die mensis Decembris Anno felicissimi Regni nostri VI. Indict. I.*

Anno 762.

Venditio, Regnante Desiderio, & Adelchis Anno VI., & IV. * Thodocii Ducis Spoletani, *Indict. I.*

Anno 763.

Donatio Theodicii Ducis *Anno supradictorum Regum VII. & IV. Data jussione Spoleti Anno Ducatus ejus I. mense Julio, Indict. I. sub Alserido Gastaldione.*

Anno 763.

Donatio Audesis de Reate Anno supradictorum mense Augusto, Indict. I.

Anno 763.

Alia donatio Hisemundi Anno supradictorum, Indict. II.

Anno 764.

Refutatio Anno Regni supradictorum VIII. & V. mense Martio, Indict. II.

Anno 764.

Cambium Anno eodem.

Confirmatio Theodicii Ducis *Anno eodem, & Theodicii III. mense Decembris, Indict. III.*

Anno 764.

Donatio Larciani coloni Anno supradictorum VII. & IV. mense Decembris, Indict. III.

Anno 7 6 4.

Venditio Sisonis Anno supradictorum VIII. & VI. mense Decembris, Indict. III.

Anno 7 6 4.

Venditio Lucanuli Anno eodem, mense Martio, Indict. III.

Anno 7 6 5.

Venditio Manni Anno eodem, mense Martio, Indictione III.

Anno 7 6 5.

Cambium Ratperti Anno eodem, mense Septembris, Indict. III.

Anno 7 6 4.

Oblatio Sisonis Anno supradictorum IX. & VII. mense Decembris, Indict. IV.

Anno 7 6 5.

Cambium Theodosii Anno eodem, mense Januarii, Indict. IV.

Anno 7 6 6.

Donatio Scamberti Anno supradictorum IX. & VII. mense Aprilis, Indict. IV.

Anno 7 6 6.

Venditio Miccinelli Anno supradictorum X. & VII. mense Aprilis, Indict. IV.

Anno 7 6 6.

Donatio Teudicii Ducis *Anno supradictorum X. & VII. Ducatus Teudicii IV. mense Junii, Indict. IV. sub Godiscalco Actionario.*

Anno 7 6 6.

Venditio Feruli Anno eodem, mense Junio, Indict. IV.

Anno 7 6 6.

Donatio Crisodoni Anno supradictorum XI. & IX. mense Augusti, Indict. V.

Anno 7 6 7.

Cambium Fulcoaldi Monachi Anno eodem, mense Aprili, Indict. VI.

Anno 7 6 8.

Donatio Autonis Anno eodem, mense Decembris, Indict. VI.

Anno 7 6 7.

Donatio Taneldis relictae Pandonis Anno supradictorum XII. & IX. mense Martii, Indict. VI.

Anno 7 6 8.

Commutatio inter Abbatem Farfensem, & Ansilpergam Abbatissam Monasterii Domini Salvatoris fundati infra muros Civitatis Brixianae *Anno eodem XIX. die mensis Aprilis, Indict. VI.*

Anno 7 6 8.

Testamentum Teuderacii Anno eodem, mense Majo, Indict. VI. Monasterio Domini Salvatoris, sito in Lethenano, donat is Casale in Villa Maria. Factum in Reate.

Anno 7 6 8.

Donatio Theodicii Ducis *Anno eodem. Datum Spoleti Anno Ducatus ejus VI. mense Septembri, Indict. VIII.*

Anno 7 6 9.

Venditio Mauri Anno supradictorum XII. & X. mense Februarii, Indict. VII.

Anno 7 6 9.

Hic Alanus Abbas *in extremo die suasit cuidam Episcopo, cui nomen* Guicbertus, *facere promissionem Regulae, & ipsum adhuc hospitem constituit Abbatem, qui per XI. menses exercuit tyrannidem. Rogantibus Monachis jussu Regis Desiderii Alefridus Gastaldius Reatinus de Monasterio expulit eum.*

Septimus Probatus *praefuit annis XI. mensibus IV. diebus XV. Obiit quarto Idus Augusti.*

Confirmatio Guillerami donationis factae a Patre suo Anno supradictorum XIII. & XI. mense Februario, Indictione VIII.

Anno 7 7 0.

Testamentum Acerisii filii Stephani Anno supradictorum XIV. & XI. mense Martio, Indict. VIII.

Anno

Anno 770.

Confirmatio donatorum facta a Teodicio Duce *Anno supradictorum XVI. & XIV. Teodicii X. mense Julio, Indict. X.*

Anno 772.

Donatio Ubaldini Anno supradictorum XVI. & XIII. mense Martio, Indict. X.

Anno 772.

Donatio Ilderici, & Matris ejus Anno supradictorum XVII. & XIV. mense Martio, Indict. XI.

Anno 773.

Judicatum pro quibusdam bonis Monasterii, in quo subscribit inter alios Gumpertus Episcopus.

Donatio Ilderici Gastaldionis Anno supradictorum IX. & VII. mense Aprili Indict. III.

Anno 765.

Donatio Helenae Sanctimonialis Anno supradictorum XIV. & XI. mense Maji, Indict. VIII.

Anno 770.

Alia donatio ejusdem Anno supradictorum XV. & XII. mense Maji, Indict. IX.

Anno 771.

Donatio Lanfredi Anno supradictorum XVI. & XIV. mense Februarii, Indict. X.

Anno 772.

Testamentum Johannis Archipresbyteri Reatini Anno supradictorum XVII. & XIV. mense Septembris, Indict. XII.

Anno 773.

Commutatio Teutberti & Probati Anno Desiderii XI. mense Augusto, Indict. II.

Anno 764.

Adriani Papae *Privilegium constituens Priorem Vestiarii Sanctae Ecclesiae Judicem pro rebus ablatis Monasterio. Datum X. Kal. Majas, Imperantibus Domno nostro piissimo Augusto Constantino a Deo coronato Magno Imperatore Anno LIII. & Principatus ejus Anno XXXIII. sed & Leone Magno Imperatore ejus Filio Anno XXI. Indict. X.*

Anno 772.

Donatio Hildeprandi Ducis *temporibus Beatissimi & Coangelici Domni Hadriani Pontificis, & universalis Papae.*

Anno 774.

Oblatio Vimi, & Petri filii ejus habitatorum Castri Viterbii, Regnante Domno nostro Karolo Viro Excellentissimo Rege, Anno Regni ejus in Dei nomine II. in Italia, mense Julio, per Indictionem XIII.

Anno 775.

Donatio Hildeprandi Ducis Spoletani, *Regnante Domno Karolo Excellentissimo Rege Francorum atque Langobardorum, Anno Regni ejus in Italia, Deo opitulante II. Anno Ducatus Hildeprandi III. sub Rimone Gastaldione.*

Anno 775.

Alia donatio ejusdem eodem Anno.

Judicium Hildeperti Ducis.

Donatio ejusdem Hildeperti Anno eodem.

Judicium Hildeperti cum Adeodato Episcopo, Gualtar Episcopo de Firmo, Vatperto Episcopo Balbensi, Auderis Episcopo Esculano, *& aliis.*

Donatio Teuferii Anno Regni Karoli IV. Mense Septembri, Indict. I.

Anno 777.

Donatio Aliperti Anno eodem, mense Januario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Haleradi & Ursi Anno eodem, mense Januario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Pleonis Anno eodem, mense Martio, Indict. XV.

Anno 777.

Conventio cum Valentione Anno eodem, mense Martio, Indict. XV.

 Anno

Anno 777.

Judicatum Ducis Hildeprandi *de Ecclesia Sancti Michaëlis de Reate.*

Donatio facta ab Hildeprando Duce *Monasterio Beati Archangeli Michaëlis, sito foris ponte secus Civitatem Reatinam, anno eodem, Ducatus ejus V. mense Martio, Indict. I. sub Rimone Gastaldione.*

Anno 778.

Donatio ejusdem eidem Monasterio Anno V. Karoli, & V. ejusdem Hildeperti.

Anno 778.

Oblatio Pimpulae Anno Karoli IV. mense Junio, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Gemmuli cum fratre suo, Anno eodem, mense Februario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Victoris Anno Karoli V. mense Octobri Indict. I.

Anno 777.

Donatio Theudemundi Anno Karoli V. mense Novembri, Indict. I.

Anno 777.

Donatio ejusdem Anno eodem, mense Martio, Indict. I.

Anno 778.

Donatio ejusdem Anno Karoli III. mense Decembri, Indict. XV.

Anno 776.

Oblatio sui, & suorum Teudeberti Clerici Anno Karoli V. mense Aprilis, Indict. I.

Anno 778.

Donatio Hildeperti Ducis *Anno eodem, & Ducatus ejus V. mense Aprilis, Indict. I.*

Anno 778.

Cambium cum Petro Episcopo *Anno eodem, mense Aprilis, Indict. I. Actum in Reate.*

Anno 778.

Donatio Arnaldi Anno eodem, mense Majo, Indict. I.

Donatio Hildeperti Ducis *Anno eodem, mense Majo, Indict. I.*

Testamentum Johannis Presbyteri Anno eodem, mense Majo, Indict. I.

Donatio Basselonis Anno eodem, mense Julio, Indict. I.

Donatio Ansae Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Cambium cum Stephano Notario Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Donatio Gudescalchi Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Donatio Hebremundi Anno eodem, mense Augusto, Indict. I.

Anno 779.

Donatio Gaderisii Anno Karoli VI. mense Aprilis, Indict. II.

Donatio Zaronis Anno eodem, mense Augusto, Indict. II.

Anno 779.

Donatio Ursi Anno eodem, mense Septembris, Indict. II.

Karoli Francorum Regis, & Langobardorum, & Patricii Romanorum *Privilegium. Datum IV. Kal. Junii Anno VII. & I. Regni nostri. Actum Carisiago Palatio in Dei nomine feliciter.*

Anno 780.

Ejusdem aliud Privilegium, ut Monasterium gaudeat eisdem Privilegiis, sicut cetera Monasteria Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur. Datum sub die IX. Kal. Junii, Anno VIII. & I. Regni Domni nostri Karoli gloriosissimi Regis. Actum Karilego Palatio publico in Dei nomine feliciter.

Anno 780.

Guitbertus Episcopus *concedit Monasterium Sancti Angeli, positum inter duo flumina ad pontem fractum ante Civitatem Reatinam, & Monasterium Sancti Angeli in Narnate. Actum Spoleti.*

leti. Regnante Karolo Anno Regni ejus in Italia VII. & Anno VII. Hildeprandi Ducis Spoleti, mense Junio, Indict. III.

Anno 775.

Donatio Liutperti Presbyteri temporibus Adriani Pontificis, & universalis Papae, & Hildeprandi Ducis, & Rimonis Gastaldionis Reatini, mense Decembri, Indict. XIV.

Anno 775.

Venditio vinearum Cauculi Anno Karoli VIII. & II.

Donatio Spentonis Anno eodem, mense Aprili, Indict. XIV.

Anno 776.

Donatio Teudemundi Anno eodem, mense Aprili, Indict. XIV.

Anno 776.

Karoli Francorum, & Langobardorum Regis, & Patricii Romanorum *confirmatio Privilegiorum. Datum V. Idus Junias, Anno VIII. & III. Regni nostri. Actum Vincentia Civitate in Dei nomine feliciter.*

Anno 781.

Octavus Abbas Ragambaldus *praefuit annis III. mensibus VII. diebus XXIII. Obiit V. Non. Martii.*

Judicatum Karoli *pro Monasterio Sancti Angeli Civitatis Reatae ad Vadum Medianum finibus Florentinis, mense Julio, Indict. IV.*

Anno 781.

Donatio Hildeprandi Ducis, *Regnante Domno nostro Karolo, & Pipino filio ejus Excellentissimis Regibus Francorum, atque Langobardorum, & Patritio Romanorum, Anno Regni eorum in Italia, Deo propitio X. & II. Datum Spoleti mense Aprilis, Indict. VI. Anno Ducatus ejus X. sub Rimone Gastaldione, & Adeodato Actionario.*

Anno 783.

Cessio Teuderadi Anno Karoli & Pipini XI. & IV. & XII. Hildeprandi Ducis.

Anno 784.

Karoli Regis Francorum, & Langobardorum, & Patricii Romanorum *Privilegium pro Sancto Angelo in Reate. Datum XV. Kal. Septembris Anno XIV. & IX. Regni nostri. Actum Haristalio Palatio nostro feliciter.*

Anno 786.

Nonus Abbas Altpertus *praefuit annos V. menses X. & dies XV. Obiit XVIII. Kal. Januarii.*

Oblatio Romualdi Anno Karoli, & Pipini XIII. & V., & Ducatus Hildeprandi XIII. mense Septembri, Indict. IX.

Anno 786.

Venditio Paulo Falconario Anno eodem, mense Julio, Indict. IX.

Anno 786.

Donatio Hilderici, & Tacipergae Genitricis ejus de Monasterio Sancti Jacobi Apostoli, quod Avius ejus a fundamentis aedificaverat. Anno Karoli & Pipini XIV. & VIII. & Hildeprandi XIV. mense Decembris, Indict. X. Actum in Reate.

Anno 787.

Donatio Hilderici Clerici Anno eodem, mense Decembri, Indict. X.

Anno 787.

Donatio Hildeprandi Ducis *Anno eodem.*

Oblatio Gayri. Anno Deo propitio Pontificatus Domni nostri Adriani ter Beatissimi, & Apostolici Papae in Sacratissima B. Petri Apostolorum Principis Sede XVI. mense Februario, Indict. XI. Actum ad Sanctum Valentinum in Silice.

Anno 788.

Donatio Aribonae Adriani Papae Anno XVII. mense Januario, Indict. XII. Actum Viterbi.

Anno 789.

Donatio Teudemundi, & Filii ejus Anno Karoli & Pipini XVII. & IX., & tem-

& temporibus Guinichis Ducis Spoletani Anno I. menſe Octobris, Indict. XIII.

Anno 7 8 9.

Karoli Francorum, & Langobardorum Regis, & Patricii Romanorum *confirmatio donationum* Hildeprandi Ducis. *Datum V. Kal. Aprilis Anno XX. & XIV. Regni noſtri. Actum in Ghillinhaim Villa noſtra in Dei nomine feliciter.*

Anno 7 9 3.

Decimus Abbas Mauraldus *praefuit annos XII. menſes IV. dies XV. Obiit VIII. Kal. Novembris.*

Donatio Leonis Sculdais filii Teudemundi Anno Karoli & Pipini XVIII. & XI., & Anno III. Guinichis Ducis Spoletani, *menſe Junio, Indict. XIV.*

Anno 7 9 1.

Donatio Palumbi Anno ſupradictorum XIX. & Guinichit IV. menſe Februarii, Indictione XV.

Anno 7 9 2.

Teſtamentum Pauli, & Taſſilae Conjugis ejus eodem Anno, menſe Majo, Indict. XV.

Anno 7 9 2.

Donatio Goderiſii, & Aldae Conjugis ejus eodem Anno, menſe Februario, Indictione XV.

Anno 7 9 2.

Judicatum Guinichis Ducis. *Actum Spoleti menſe Januario, Indict. * XIV.*

Anno 7 9 1.

Oblatio Gemuli Anno ſupradictorum XX. & XIII. & Guinichis Ducis V. menſe Junio, Indict. I.

Anno 7 9 3.

Oblatio Mauri Clerici, Anno eodem, menſe Junio, Indict. I.

Donatio Probati, & Piconis fratrum. Anno ſupradictorum XXIX. & XXI. XII. die menſis Auguſti, Indict. I. Inſeritur Flavii Liutprandi Regis *Diploma favore Piconis latum. Actum Spoleti XII. die menſis Novembris, Anno Regni ejus XXXI. Indict. XI.*

Anno 7 9 3.

Commutatio Maurualdi cum Uſualdo Abbate Sancti Salvatoris *in Territorio Reatino loco, qui vocatur Letenandus, ſive Bojandus. Anno Karoli, & Pipini XXV. & XIX. menſe Auguſto, Indict. VII.*

Anno 7 9 9.

Judicatum pro Monaſterio. Anno Karoli, & Pipini XXVII. & XXI. menſe Auguſto. Dum in Dei nomine conjunxiſſet Pipinus Magnus Rex *Cancello in finibus Spoletanis, & reſediſſem ego* Atebroard Comes Palatii *in judicio, reſidentibus ibi* Adelmo Epiſcopo, *qui nobiſcum aderat &c.*

Anno 8 0 1.

Karoli Regis Fancorum, & Langobardorum, & Patricii Romanorum, *confirmatio donationum Hilderici, & Taciperghae. Datum menſe Auguſto Anno XXIII. & XVIII. Regni noſtri. Actum Regnasburg Civitate, Palatio pulico in Dei nomine.*

Anno 7 9 7.

Conceſſio ad uſum facta Serengo Mediolanenſi rerum Monaſterii exſiſtentium in Territorio Mediolanenſi, & Ticinenſi. Anno ſupradictorum XXV. & XIX. menſe Majo, Indict. VII. Actum Mediolanis.

Anno 7 9 9.

Cambium cum Urſo Presbytero, ſeu Petro, & Sindoni germanis. Anno ſupradictorum XXVIII. & XX. menſe Octobris, Indictione VIII.

Anno 8 0 0.

Judicatum Atebroard Comitis Palatii *reſidentis in Cancellis finibus Spoletanis. Anno Karoli, & Pipini XXVII. & XXI. menſe Auguſto, Indict. IX.*

Anno 8 0 1.

Inveſtitio Mauroldi de Cella Sancti Petri in Claſſicella per Halabolt Abbatem & Miſſum Domni Pipini Regis. *Sub die XI. menſis Maji, Indict. IX. An-*

IX. *Anno Deo propitio Domni Karoli, & Filii ejus Pipini XXVII. & XX. in diebus illius, quando Domnus Karolus ad Imperium coronatus. Testis Johannes Episcopus. Actum in ipsa Missa Sancti Antimi mense Majo.*

Anno 8 0 1.

Oblatio Rainaldi Clerici. Anno supradictorum XXIX. & XXI. XX. die Mensis Octobris Reate.

Anno 8 0 2.

Donatio Opterami. Anno supradictorum XXIX. & XXI. XII. die Mensis Novembris, Indict. X.

Anno 8 0 1.

Donatio Gulferii. Regnante Domno nostro Piissimo, perpetuo, & a Deo coronato Karulo Magno Imperatore, anno Imperii ejus I. seu & Domno nostro Leone Summo Pontifice & universali Papa in sacratissima Beati Petri Apostolorum Principis Sede anno VI. mense Junio, Indict. VIIII.

Venditio Anionis, & Atriciasi. Anno suprascripto Mense Augusto.

Anno 7 9 8.

Judicatum Mamianis Abbatis, & Hisembard Missi Domni Regis, *Spoleti, Anno Karoli, & Pipini Regis XXIV. & XVIII. Mense Majo, Indict. VI.*

Anno 7 9 6.

Testamentum Alticausi. Anno I. Pontificatus Leonis Mense Octobri, Indict. V. Actum ad Fontem.

Anno 8 0 3.

Undecimus Abbas Benedictus *praefuit Annos X. Menses V. dies III. Obiit III. Id. Augusti.*

Karolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus & Pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, *qui & per misericordiam Dei* Rex Francorum, & Langobardorum, *confirmat Privilegia & res Monasterii. Datum Idibus Junii, Anno. III. Christo propitio Imperii nostri, & XXXV. Regni nostri in Francia, atque XXIX. in Italia, Indict. XI. Actum Aquis Palatio nostro publico in Dei nomine feliciter. Amen.*

Anno 8 0 3.

Donatio Desiderii. Anno Karoli & Pipini Regum in Italia XXX. & XXIII. die VI. Mensis Martii, Indict. XI.

Anno 8 0 4.

Redditio mutui Probato, & Piconi fratribus. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. DCCCIV. & auxiliante Domino Anno IV. Imperii Karoli a Deo coronati Magni & Pacifici Romanum gubernantis Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Langobardorum, anno Regni ipsius in Francia XXXV. & in Italia XXXI. seu & Regnante Pipino Filio ejus anno in Dei nomine XXIV. Mense Februarii, XIX. die per Indictionem XII. Actum in Reate.

Anno 8 0 4.

Donatio Liuderis. Anno eodem, Mense Majo, die XXVIII. Indict. XII. Actum Reate.

Anno 8 0 5.

Venditio Inguli. Anno Imperii Karoli Magni V. Leonis Pontificis X. Mense Augusti per Indictionem XIII. Actum Castro Viterbi.

Anno 8 0 5.

Conventio cum Pintiolo. Anno eodem, Mense Septembri, Indictione XIV. Actum Viterbi.

Anno 8 0 2.

Venditio Gualfredi, & Agiperti fratrum. Anno II. Imperii Karoli Magni, & VII. Pontificatus Leonis, mense Februarii, Indict. X.

Anno 8 0 6.

Donatio Melliti. Anno ab Incarnatione DCCCVI. Sexto Imperii Karoli Magni, Regni in Francia XXXVII.

in

in Italia XXIII. Pipini verò Filii ejus XXV. mense Martio, die IV. Indict. XIV. Actum in Reate.

Anno 806.

Ususfructus concessus quarumdam rerum Mellito. Anno VI. Imperii Karoli Magni XXXVII. &c. ut supra mense Aprilis, die I. Indict. XIV.

Anno 806.

Donatio Racorudae. Anno ut supra, mense Aprilis, die I. Indict. XIV.

Anno 806.

Judicatum Romani gloriosi Ducis *in Castro Viterbiensi. Actum temporibus Karoli Domni nostri piissimi, perpetui Augusti, a Deo coronati, Magnifici Imperatoris Anno Deo propitio Imperii ejus VI. atque Domni nostri Leonis Summi Pontificis, & universalis Papae in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli Anno XI. in mense Majo, per Indictionem XIV.*

Anno 807.

Judicatum Ardemanni, & Gaidualdi Missorum Karoli Imperatoris, & Domni Regis Pipini XXII. die mensis Februarii, Indict. XV. Reate.

Anno 807.

Venditio Homuli. Anno Imperii Karoli Magni VII. Leonis Papae XII. mense Aprili, Indict. XV. Actum ad Casalem in Curte Monasterii.

Anno 808.

Investitio Abbatis facta a Rodoperto XIV. die mensis Januarii, Indict. I. Anno VIII. Imperii Karoli Magni, Regni Franciae XXXVIII. Italiae XXXVI. Pipini XXVIII.

Anno 808.

Donatio Rodovici. Anno Imperii Karoli VIII. Regni Franciae XXXVIII. Italiae XXXVI. Pipini XXVIII. ab Incarnatione DCCCVIII. mense Januario, die VIII. Indict. I. Actum in Reate.

Anno 808.

Donatio Frauperti. Anno ab Incarnatione DCCCVIII. Imperii Karoli VIII. Regni Franciae XXXIX. Italiae XXXVI. Pipini XXVIII. mense Martio, die XXX. Indict. II. Actum in Reate.

Anno 809.

Donatio Massioli. Anno supradicto, mense Junio, die XVIII. Indict. II.

Anno 808.

Venditio Ursiperti. Anno VIII. Imperii Karoli Magni, Leonis Papae XIII. mense Aprilis, Indict. I. Actum in Vico Arnena.

Anno 808.

Commutatio cum Teudaldo. Anno supradicto, mense Februario, Indictione I. Actum Viterbi.

Anno 809.

Cambium cum Scaptolfo. Anno supradicto Karoli, & Pipini, mense Julio, die XVIII. Indict. II. Actum in Reate.

Anno 809.

Donatio Pauli, & Autarii fratrum. Anno Imperii Karoli IX. Pontificatus Leonis XIV. mense Februario, Indict. II. Actum Viterbi.

Anno 810.

*Donatio Spentonis, Statii, & * toti fratrum. Anno IX. Karoli, Regni Francorum XXXIX. Italiae XXXVI. Pipini XXVII. mense Martio, die XVII. Indict. III. Actum in Monasterio Sanctae Mariae.*

Anno 810.

Donatio eorumdem. Anno ab Incarnatione DCCCIX. cetera ut supra, *mense Martio, die XVII. Indict. III. Actum in Monasterio Sanctae Mariae.*

Anno 810.

Cambium Grifonis Sculdais. Anno supradicto, mense Aprili, die XVII. Indictione III. Actum in Reate.

Anno

Anno 8 1 1.

Judicatum Guinichi Ducis, Isemundi Episcopi, *& aliorum inter Ittonem Presbyterum & Monachum Farfensem, & Leonem Sculdaim, mense Januario, Indict. IV. Anno Imperii Karoli Magni X.*

Anno 8 1 1.

Donatio Teudolphi. Anno ab Incarnatione DCCCXI. Imperii Karoli Magni XI. Regni Francorum XLI. Italiae XXXVII. mense Majo, die XXIV. Indict. IV. Actum in Reate.

Anno 8 1 3.

Judicatum Leonis Summi Pontificis *in Sacro Palatio Lateranensi cum* Johanne, & Tastaldo Episcopis, *Theodoro Numinculatore, Georgio Bibliothecario, Gemmoso Vestiario, Alminino Quisdelori, Agiprando Cubiculario, Nordo Racuvio, Naningo de Viterbo. Anno Imperii Karoli Magni XIII. Pontificatus Leonis XVIII. mense Majo, Indict. VI.*

Anno 8 1 4.

Donatio Acerisii. Anno DCCCXIV. Imperii Karoli XIV. Regni Francorum XLIV. Italiae XL. die XXVIII. Octobris, Indictione VII.

Anno 8 1 4.

Donatio Helenae ancillae Dei. Anno DCCCXIV. cetera ut supra, *mense Julio, die XVIII. Indict. VI.*

Anno 8 1 4.

Donatio ejusdem. Anno eodem, mense Julio, die XVIII. Indict. VI.

Donatio Ursi, & Ildeperchae. Anno eodem, mense Julio, die XVIII. Indict. VI.

Anno 8 0 7.

Notitia Judicati inter Ruphonum Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris, *siti Baugiano, &* Benedictum Abbatem Farfensem. *Actum ad Sanctum Angelum foris Pontem, mense Aprili, Indict. XV.*

Notitia Judicati inter Benedictum Abbatem, & Romualdum, facti a Guinico Duce, *& aliis Judicibus.*

Traditio facta a Lupo.

Anno 8 1 4.

Judicatum Adhalardi Abbatis Missi Domni Imperatoris Karoli *inter Benedictum, & Leonem. Actum Spoleti. Anno Domnorum Karoli, & Bernardi Regum XLII. mense Februario, Indict. VII.*

Redditio Molendini facta a Misso Guinichi Ducis in Reate.

Locatio emphiteotica Gualperto Viterbiensi.

Donatio Hilderici Gastaldionis, Ludogvico Serenissimo Augusto *a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatore, Romanum gubernante Imperium, Anno ejusdem in Christi nomine I., seu & Regnante Bernardo Rege Langobardorum Anno ejus in Dei nomine II., sed & temporibus* Guinichis Ducis *Ducatus Spoletani, Anno ejus in Dei nomine XXV. mense Majo, die XVIII. Indict. VII. Actum in Reate.*

Anno 8 1 4.

Concessio vitalitia Curtis cujusdam Hilderico Gastaldioni, & Conjugi ejus, sub certa solutione annuali, mense Martio, Indictione VII. Anno Imperii Ludovici I., Bernardi Regis Langobardorum II.

Anno 8 1 4.

Redditio cujusdam terrae per Missum Guinichis Spoletani.

Donatio Grisonis. Anno I. Ludovici, *II.* Bernardi, *XXV.* Guinichis, *die VIII. mensis Novembris, Indict. VIII.*

Anno 8 1 5.

Donatio Scatolphi, & Formosae Conjugis ejus. Anno II. Ludovici, II. Bernardi, XXVI. Guinichis, mense Januario, die XVII. Indict. VIII.

Anno 815.

Donatio Ragifredi Anno II. Ludovici, XX. Leonis Papae, menſe Martio, Indict. VIII.

Anno 815.

Ludovici Imperatoris *Privilegium confirmatorium Privilegii Karoli Magni. Datum II. Non. Auguſti, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hludowici piiſſimi Auguſti, Indictione VIII. Actum Francofurt in Dei nomine feliciter. Amen.*

Anno 815.

Ejuſdem alterum Privilegium confirmatorium ut ſupra. In hoc recenſentur inter cetera bona, Monaſterium Sancti Euangeliſtae, ſitum juxta muros Spoletanae Civitatis, Monaſterium Sancti Salvatoris, ſitum non procul ab eadem Civitate Spoletana, Monaſterium Puellarum, quod nuncupatur Sancti Georgii, conſtructum ſub muro Civitatis Reatinae, Monaſterium Sancti Silveſtri, vel Sanctae Marinae in territorio Firmano. Datum II. Nonas Auguſti. Anno Chriſto propitio II. Imperii noſtri, Indictione VIII. Actum Francofurt Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno 816.

Duodecimus Abbas Ingoaldus *praefuit...... Obiit VII. Kal. Aprilis.*

Donatio Donuli Tranſpadini. Anno Ludovici III. Leonis XXI. menſe Majo, Indictione IX.

Anno 816.

Donatio Spentonis. Anno Ludovici III. Bernardi IV. die XXIII. menſis Junii, Indictione IX.

Anno 816.

Venditio Ruponis. Anno III. Ludovici, & I. Stephani Papae. Actum Viterbi.

Anno 816.

Donatio Benedicti, & Luponis fratrum. Anno ut ſupra, menſe Auguſto, Indictione IX. Actum in Monaſterio Sanctae Mariae.

Anno 816.

Ludovici Imperatoris *Privilegium concedentis Monaſterio res Majorani, & duorum filiorum ejus. Datum XI. Kal. Julii Anno Chriſto propitio III. Imperii Domni Hludowici piiſſimi Auguſti, Indict. IX. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.*

Anno 817.

Stephani Papae *confirmatorium Privilegium omnium bonorum, quae recenſentur, & praecipue commutata cum Eccleſia Romana ſub Adriano Papa, cum conditione, ut Monachi quotidianis diebus pro remiſſione peccatorum ſuorum centum Kyrie eleiſon cantent; & ſolvant pro praefatis fundis exiſtentibus ex corpore Patrimonii Sabinenſis penſionis nomine decem auri ſolidos. Scriptum per manus Chriſtophori Scriniarii in menſe Januario, Indict. X. Bene valete. Datum X. Kal. Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctae Sedis Apoſtolicae, Imperante Domno Hludowico Auguſto a Deo coronato, Magno pacifico Imperatore Anno III. & Pontificatus ejus Anno III. Indictione X.*

Anno 817.

Paſchalis Papae *Privilegium confirmatorium &c. Scriptum per manus Chriſtophori Scriniarii Sanctae Romanae Eccleſiae, in menſe Februario, Indict. X. Bene valete. Datum Kalendis Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctae Sedis Apoſtolicae. Imperante Domno Hludowico piiſſimo perpetuo Auguſto a Deo coronato, Magno pacifico Imperatore, Anno III. Indict. X.*

Reliqua deſiderantur.

In accumulandis autem tot opibus ac bonis jam monui, praeter ſpontaneas

neas Fidelium oblationes, insudasse etiam non levi studio atque industriâ Monachos, & reliquos in Clero militantes; eosque majoribus Elogiis cumulatos, qui prae ceteris opulento jam patrimonio majora procurabant augmenta. Et sane hominum genus idem semper fuit, semperque futurum erit. Verùm mihi minime in praesentia dissimulandum, antiquis etiam Seculis non defuisse, quibus tantum terrenarum rerum studium in sacris viris nequaquam probabatur. Debuisset enim, ut ipsi sentiebant, Ecclesiasticae, ac praesertim Monasticae vitae institutum ab humanis affectibus suos expurgare sectatores; atque alibi potius quàm in Claustris exquirenda fuisset, non dicam Avaritia, sed anxia illa rei alienae ac divitiarum cupiditas. Et quamquam perfectionem sibi ante oculos pingere, facillimum sit, at difficillimum factis attingere: attamen ne cum primis quidem Evangelii rudimentis componebatur tanta Religiosorum hominum solicitudo, ut sua Templa, suumque Coetum, quot possent modis ditarent. Quae enim Chartae supersunt, satis indicant, nunquam finem factum novis in dies oblationibus procurandis, & lubentissime suscipiendis. Huc minime derivabo, quae in hanc eamdem rem olim congessi in Tract. *de Charitate Christiana*, potissimum Cap. XVIII. Sed ea tantùm addam, quae inclytus ille, semperque memorandus Romanorum Imperator, & Francorum Rex Carolus M. in Capitulari Anni DCCCXI. sive Memoriali excogitabat. „ Inquirendum est (ita ille ajebat) si ille „ Saeculum dimissum habeat, qui „ cotidie possessiones suas augere quolibet modo, qualibet arte non cessat., suadendo de Caelestis Regni „ Beatitudine, comminando de aeterno supplicio Inferni, & sub nomine Dei, aut cujuslibet Sancti, „ tam divitem, quàm pauperem, „ qui simplicioris naturae sunt, & „ minus docti, atque incauti inveniuntur, si rebus suis exspoliant, „ & legitimos eorum heredes exhereditant; ac per hoc plerosque ad „ flagitia, & scelera propter inopiam, „ ad quam per hoc fuerint devoluti, „ perpetranda compellunt, ut quasi „ necessario furta & latrocinia exerceant, cui paternarum rerum hereditas, ne ad eum perveniret, „ ab alio praerepta est „. Haec ipsa, quaeso, rursus lege, memoriâ simul recolens, heic loqui Principem summe pium, & Christianissimum, summeque prudentem. Qui & haec alia infra addit: „ Iterum inquirendum, quomodo Saeculum reliquisset, qui cupiditate ductus propter „ adipiscendas res, quas alium vidit „ possidentem, homines ad perjuria, „ & falsa testimonia pretio conducit; „ & Advocatum, sive Praepositum „ non justum ac Deum timentem, „ sed crudelem ac cupidum, ac perjuria parvipendentem inquirit, & „ ad inquisitionem rerum non qualiter, sed quanta, adquirat. *Pergit idem Augustus infra dicere:* „ Quid „ de his dicendum, qui quasi ad amorem Dei, & Sanctorum, sive „ Martyrum, sive Confessorum, Ossa, & Reliquias Sanctorum Corporum de loco ad locum transferunt, ibique novas Basilicas construunt; & quoscumque potuerint, „ ut res suas illic tradant, instantissime adhortantur? Ille siquidem „ vult ut videatur quasi bene facere, „ seque propter hoc factum bene „ meritum apud Deum fieri, quibus „ potest persuadere Episcopis. Palam „ fit,

„ fit, hoc ideo factum, ut ad aliam „ perveniat potestatem. „ Ita ille de aevo suo. Sed quàm vetustus sit hic morbus e Sancto Hieronymo disces in Epistola ad Rusticum. „ Vidi ego, „ *inquit*, quosdam postquam renuntiavere Saeculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non „ rebus, nihil de pristina conversatione mutasse. *Tum in epitaphio Nepotiani:* „ Alii nummum addant „ nummo, & marsupium suffocantes, matronarum opes venentur „ obsequiis; sint ditiores Monachi, „ quàm fuerant Saeculares. „ Ut etiam habetur in Vitis Antistitum Cenomanensium apud Mabillonium in Analect. Cap. XII. Alano diviti viro eripuerat unicum filium mors importuna. Propterea ad illius hereditatem *multi servi Dei* inhiabant eum orantes; „ ut ad loca Sanctorum, quibus insistebant, suas res „ traderet; & si vellet, ab eis pretium acciperet, & utrumque haberet, & eleemosynam ex eis, & „ munera. Haec suadebat ei Abbas „ de Monasterio Turonensi, in quo „ Sanctus Martinus requiescit; similiter & Abbas, qui dicitur Duo „ Gemelensis Monasterii, sive alii „ Praepositi, & Abbates, & Servi „ Dei multi. *Haec acta circiter Annum Ch. 626.*

Non ergo excogitandum, in taciturnos semper Monachos sponte effluxisse rorem terrenarum hereditatum. Nihil eos remorabatur, quin pios homines ad liberalitatem erga suas Ecclesias solicitarent quotidie; atque de ejusmodi consuetudine nihil remissum fuerat, vivente Carolo Magno, ut vidimus. Certe ejusmodi fluxarum rerum aviditatem is minime probabat in iis, qui Seculo & divitiis se valedixisse profitebantur. Propterea neque in supra memoratis verbis constitit inclyti Imperatoris providentia. Habemus illius Legem CXXII. inter Langobardicas Par. II. Tomi I. Rer. Italic. ubi ait: „ De „ liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut „ prius hoc non faciant, quam a „ nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus „ aliquos ex illis non tam caussâ „ devotionis hoc fecisse, quàm pro „ exercitu, seu pro alia functione „ Regali fugienda. Quosdam verò „ cupiditatis caussâ ab his, qui res „ illorum concupiscunt. Et hoc ideo „ fieri prohibemus. „ In additamentis quoque ad easdem Leges Langobardicas pag. 162. a me editis constitutum hoc videas a Ludovico II. Augusto; „ Ut nullus Canonica aut „ Regulari institutione constitutus (*idest nullus Canonicus*, *nullus Monachus*) aliquem consecrari propter „ res adipiscendas deinceps persuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, Synodali vel Imperiali sententia modis omnibus feriatur. „ Et nullum quidem tempus fuit, quo humana cupiditas, vel in ipsa Sacra, piorumque cellas non penetrarit; eoque ex numero exclusum minime censeo Secularem Clerum, quamquam is non pari ac regularis successu in ejusmodi venatione processerit. Sed & nullum fuit Seculum, quo Sancti viri non floruerint, qui paucis contenti, a rebus alienis sibi suove Monasterio, conquirendis, atque a domibus ambitiosis abhorrebant. Instar omnium esse posset Sanctus Nilus Monachus natione Graecus, cujus egregia acta refert magnus Annalium Ecclesiasticorum parens ad Annum Ch. 1000. integra autem edita habemus a Clariss. PP. Martene & Du-

& Durando Tom. VI. Veter. Script. Habitabat ille in humili Monasterio Calabriae, quo quum venisset Otto Tertius Imperator, „ & vidisset Fra„ trum tuguria circa Oratorium con„ structa, dixit: Ecce tabernacula „ Israel in deserto. Ecce habitatores „ Regni Coelorum. Isti non ut habi„ tatores, sed ut peregrini manent „ heic. „ Obtulit autem ei Imperator *Monasterium & proventus*, eumque hortatus est, ut curam de suis alumnis haberet, ne ipso Nilo sublato e vivis, angustiati paupertate ac loci difficultate dissiparentur. At Sanctus vir omnia recusavit, inquiens: „ Si omnino sunt Monachi „ fratres mei, & custodient pro vi„ rili Christi mandata: ipse, qui u„ sque adhuc mecum curam gessit „ de illis, multo majorem geret ab„ sque me de iis, qui sperant in e„ jus misericordia. *Offerebant ei alii* „ *pecunias*, praetexentes Monachorum „ indigentiam, & pauperum distri„ butionem. Is autem in stercora „ ea vitabat, *Monacos beatos praedi*„ *cans*, si labores manuum suarum „ manducaverint; „ nam nihil habentes, omnia possidentes. Scilicet, ut est in eadem Vita Cap. 77. intelligebat ille, „ rerum abundantiam „ multis caussam esse intemperantiae, „ & impietatis. „ Hisce adde quid senserint Sancti celebres duo Corbejenses Abbates *Adhalardus & Wala*. Illi (ut Auctor est Pascasius Radbertus Lib. I. Cap. 18. de gestis ipsius Walae) ejusmodi cupiditatem in suis Monachis aversabantur, suadentes, „ ne rebus multum ditescere „ gauderent, neque divitias Saeculi „ appeterent, ita ut in eis cor ap„ ponerent. *Ad haec* suos praemone„ bat filios, ne rebus affluerent hu„ manis, pro quibus Saeculo deser„ virent &c. „ Nihil tamen mirandum, tantum in humanis cordibus potuisse rerum terrenarum concupiscentiam, cui tamen se renuntiare profitebatur, quisquis Monasticae vitae se se addicebat. Luculentiora etiam exempla suppeditavit aetas subsequuta. Certe haec de Monachis Cartusianis Robertus de Monte Continuator Sigeberti scribebat ad Annum 1131. „ Monachi Cartusienses „ paullatim pullulabant, qui prae ce„ teris continentes, pesti Avaritiae, „ qua plurimos sub Religionis habi„ tu laborare videmus, terminos po„ suerunt, dum certum numerum „ hominum, animalium, possessio„ num, quem eis praetergredi nullo „ modo liceat, statuerunt. „ Benedictinus Abbas fuit Robertus Montensis, adeoque luculentum in eo testem habemus cupiditatis (*pestem* „ *Avaritiae* is appellat) qua *plurimi* „ *sub Religionis habitu* tunc *labora*„ *bant*. „ At quid tandem factum de tam severo, & paupertatis amico Instituto? Nihil opus est, ut digito innuam vastissimas eorum Basilicas, amplissima Monasteria, latifundia innumera. Haec si vidisset Sanctus Bernardus, qui nascentis instituti paupertatem ac virtutes tantopere Saeculo XII. laudavit, mutato stilo carpsisset, arbitror, in iis, quae in Cluniacensibus quoque gravissime improbavit. Et subsequenti quidem Saeculo XIII. Humbertus Burgundus, Quinctus Ordinis Praedicatorum Magister Generalis, animadvertit, quos fructus pareret jam abrogatus a Cartusianis pristinus opum contemtus. Sunt ejus verba in Serm. XXIV. ubi de eisdem Cartusiensibus agit: „ Quar„ tum est in terminis possessionum. „ Ut finis poneretur cupiditati, ordi„ natum est apud istos, quod omnis

„ domus

„ domus habeat terminos, ultra quos „ non liceat eis aliquid habere. Sed „ quia sunt aliqui, qui paullatim „ per quasdam dispensationes antiquos terminos sunt transgressi, ostendendum est eis, quomodo ex „ hoc crescentibus terminis Ordo decrevit. Animosius etiam, quàm Sanctus Bruno paupertatem plenissimam amplexus est, atque opibus bellum indixit Franciscus Assisinas, mirae sanctitatis vir; nihil enim possidere, fundamentum Instituto suo substruxit: quod ante eum (si primos Aegypti Monachos excipias) nemo alius excogitarat. Quid contra egerit Frater Elias Ordinis illius Minister Generalis, ipso etiam sanctissimo Institutore vivente, Historia Ecclesiastica satis prodit. Successerunt & alii Religiosi ordines, apud quos paupertas eadem summa lex facta est; & hos tamen quotidie cernimus, neque miramur, aliis nominibus eludere mentem Institutorum suorum, ac terrena concupiscere: quasi paupertas intollerandum monstrum sit, a quo sibi cavere quisque pro viribus debeat.

Illud etiam animadvertas velim, interdum piorum Fidelium liberalitatem diversis verbis Monachorum gulae fomenta praebuisse, quum ea largirentur Monasteriis, *ut opulenta refectio constitueretur* Monachis certo quodam die, *quatenus illi quoque ipso tempore anni in vigiliis, & Missarum celebrationibus libentius recordentur nostri*, ut est in donatione Anni 853. Monasterio Sancti Maximini Treverensis facta Tom. I. pag. 131. Veter. Scriptor. Martene & Durand. Frequentes autem sunt in antiquis Chartis hujusmodi *Refectionum* exempla, quum sibi donatores pii persuaderent, Monachos lubentius Deum pro se exoraturos, si hilaritatis caussam eis conferrent. En ut sensim in corporis voluptates rigida Monachorum disciplina deflectebat. Eo autem devenerat omnium ferme Monachorum terrena cupiditas Saeculo Ch. Undecimo, ut palam quoscumque solicitarent ad effundendas opes in sua Monasteria. Quod aegre ferentes Parochi, aliique Seculares Clerici Deo militantes, querimoniam detulere ad Leonem IX. Pontificem Romanum, insignis Sanctitatis, ut omnes norunt, virum: Itaque ille *ad omnes per Italiam Episcopos* Epistolam dedit, quae ad Labbeum Tom. IX. Concil. Octava est. En ejus verba.

„ Leo Episcopus &c. Relatum est „ auribus nostris, esse quosdam per„ verse agentes, qui subvertere at„ que dividere conantur Ecclesiae u„ nitatem. Videlicet Abbates & Mo„ nachi, qui non studio caritatis, „ sed zelo rapacitatis invigilant, & „ docent atque seducere non cessant „ Saeculares homines, quos illaquea„ re possunt, ut res suas atque pos„ sessiones, sive in vita, sive in mor„ te, in Monasteriis illorum tradant; „ & Ecclesiis, quibus subjecti esse „ videntur, & a quibus Baptismum, „ Poenitentiam, Eucharistiam, nec „ non pabulum vitae cum lacte ac„ ceperunt vel accipiunt, nihil de „ bonis suis relinquant: Hanc deni„ que formam discordiae nos ani„ madvertentes, omnibus modis in„ hibere volumus; & ne amplius „ fiat, omnino prohibemus; consi„ derantes, non esse bonum, ut il„ li, qui olim fuerunt socii passio„ num, secundùm Apostolum, sint „ immunes a societate consolatio„ num; & quia dignus est operarius „ mercede sua. Ideoque praecipimus „ atque jubemus, ut quicumque a„ modo

„ modo in Monaſterio ſe converti „ voluerit, ſive in vita, ſive in morte, omnium rerum & poſſeſſionum, quas pro ſalute animae ſuae diſponi decreverit, medietatem Ecclesiae, cui ipſe pertinere dignoſcitur, relinquat; & ſic demum in Monaſterio, pro ut libitum ſibi fuerit, eundi convertendique habeat licentiam. Quicumque autem hujus Decreti contradictor extiterit ac temerator, anathematis gladio ſubjaceat. „ Quae verò turbae & controverſiae Seculo Ch. XIII. & ſubſequentibus invaluerint inter Parochos, & Fratres Mendicantes, ejuſmodi de cauſſis, libens praetereo. Atque utinam nos meliore Seculo nati, Chariſmata etiam meliora aemulemur.

ELEN-

ELENCHUS TOMI DECIMITERTII.